# FR. IGNATII HYACINTHI AMAT DE GRAVESON

*ORD. FF. PRÆDICATORUM*

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORIS,
ET COLLEGII CASANATENSIS THEOLOGI,

# OPERA OMNIA

NUNC PRIMUM DILIGENTER COLLECTA, IN UNUM CORPUS REDACTA, ET LUCULENTISSIMIS ADDITIONIBUS, PERPETUISQUE ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATA

*A PATRE*

JOANNE DOMINICO MANSI

*Congregationis Matris Dei Lucenſi.*

## TOMUS TERTIUS

*COMPLECTENS*

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Veteris Teſtamenti Volumen Tertium, una cum Tractatu de Scriptura Sacra.

VENETIIS,
MDCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

# HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI,

## SEU

## QUINTÆ MUNDI ÆTATIS,

*Quæ incipit a quarto Regni* Salomonis *anno, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, & producitur uſque ad Captivitatem Babylonicam.*

HISTORIA quintæ Mundi Ætatis, quæ ab anno quarto Regni *Salomonis*, quo ab eodem Rege jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, ducit exordium, & protenditur uſque ad Captivitatem Babylonicam, non ſolum complectitur ſeriem & Geſta Regum Juda & Iſrael, necnon Acta Prophetarum, qui ſub illis Regibus Vaticinia fuderunt; verum etiam arctam habet agnationem & affinitatem cum Hiſtoria Prophana, ſeu Regum Ægyptiorum, & Chaldæorum, ſeu Babyloniorum. Quocirca, ut compendioſam quidem, ſed accuratam rerum omnium, quæ vel ad Hiſtoriam Sacram quintæ Mundi Ætatis, attinent, vel ſpectant Hiſtoriam Prophanam, cum qua connexionem aliquam habet eadem Hiſtoria Sacra, notitiam aſſequi poſſis, tria, juxta nobis præfixam methodum, in deſcribenda Hiſtoria quintæ Mundi Ætatis, inſtituemus Colloquia; in quorum primo dabimus, juxta Hiſtoriam, cum Sacram, tum pro-

phanam, ſeriem & Geſta Regum tam Juda, quam Iſrael, & eorum regiminis exactum annorum calculum. In altero Colloquio aliquot Dubia, quæ Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes circa Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis movere ſolent, maxime circa auctoritatem Librorum, cum Moralium, tum Hiſtoricorum, quos ſacri quintæ Mundi Ætatis Scriptores exararunt, diſcutiemus, breviterque diſſolvemus. In poſtremo Colloquio texemus, Hiſtoriam Prophetarum, qui ſub Regibus Juda & Iſrael ante captivitatem Babylonicam, tam in Regno Judæ, quam in Regno Iſrael, vixerunt, ibidemque oſtendemus, bene multa in his, quos, divino afflati ſpiritu, libris, conſcrìpſerunt, extare Oracula, quæ ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, totiuſque generis humani Redemptorem, ſemota omni caligine, referuntur.

# COLLOQUIUM PRIMUM,

*In quo, juxta Hiſtoriam, cum Sacram, tum Prophanam, Series & Geſta Regum Judæ & Iſraelis deſcribuntur, eademque opera, eorum regiminis accuratus annorum traditur calculus.*

DISCIP. JAM ſcio *Salomonem* anno quarto Regni ſui jeciſſe fundamenta Templi Hieroſolymitani (cujus formam delineaverat pater ipſius *David*, Rex) illudque miris impenſis & laboribus exornaſſe, ac tandem ſeptem annorum ſpatio in monte *Moria* ædificaſſe, eique ultimam admoviſſe manum. At, optarem nunc, ut hujus magnificentiſſimi Templi ſtructuram ac formam paucis verbis deſcriberes, quam tam ſapiente, tamque potente Architecto dignam fuiſſe nullus dubito.

M. Materia Templi Hieroſolymitani potiſſimum ſita erat in lignis cedrinis, & abiegnis, olivarum, ære, argento, auro puriſſimo, & in lapidibus exquiſitiſſimis, ita fabrorum arte & induſtria, dolatis, politis, perfectis, apteque inter ſeſe conjunctis, ut tota inde aſſurgens ſtructura, oculos intuentium in admirationem raperet. Hinc, Chriſto Domino, egredienti e Templo Hieroſolymitano, *ait unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ*, ſicut legitur cap. 13. v. 1. Evangelii *S. Marci*. Formam quod attinet Templi Hieroſolymitani, conatus eſt Rex *Salomon* in extruendo ex lapidibus Templo Hieroſolymitano exprimere, quantum potuit, formam antiqui Tabernaculi, a *Moyſe* juſſu Dei in Deſerto erecti, quod tamen, ſicut oſtendimus in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis, portatile tantum erat, & ex pellibus compactum. Duplex autem erat forma Templi Hieroſolymitani, interior una, exterior altera. Duæ ejuſdem Templi Partes interiores erant, quarum una ſimpliciter dicebatur *Sancta*, & in ea erant Altare thymiamatis, Menſæ decem aureæ Panum Propoſitionis, & decem Candelabra aurea. Hæc pars Templi quadraginta cubitos longitudine habebat, latitudine vero viginti. Pars altera appellabatur *Sanctum Sanctorum*, quæ muro & velo intermedio a priori parte, quæ *Sancta* vocabatur, erat ſeparata, atque in ea recondita erat Arca Fœderis, & Deus Reſponſa, ſeu Oracula, reddebat Summo Sacerdoti, ipſum per *Urim* & *Thummim* conſulenti. Pars exterior Templi Hieroſolymitani dicebatur *Atrium*, idque erat multiplex, videlicet primo erat Atrium Sacerdotum, quod continebat Altare Holocauſtorum, & Mare æneum, ſeu labrum aquæ ampliſſimum. Secundo, erat Atrium populi, quo viri & fœminæ Iſraelitæ ad orandum & Deo debitum cultum deferendum convenire ſolebant. Tertio, erat Atrium Gentilium, quo prophanæ Gentes adire poterant, & in eo ſtare; ſed eis ultra progredi nefas omnino erat. Porro, Atria cum Sacerdotum, tum Iſraelitarum cingebantur porticibus, exedris, gazophylaciis, paſtophoriis, variis conclavibus, & cellis, ſive ad reponendum ſal, quo aſpergebantur membra victimarum; oleum, quod infundebatur lucernis Candelabrorum; vinum, quod effundebatur in Sacrificiis; ſive etiam ad ſervandas veſtes Sacerdotum, Vaſa, Candelabra, Pateras, Phialas (quarum uſus erat ad excipiendum victimarum ſanguinem) Cantharos, Lances, Crateres, Acerras, & alia id genus inſtrumenta ſacra, numero & magnificentia pene incredibili; ſive denique ut apta & commoda domicilia haberent Sacerdotes, Levitæ, & alii Templi Miniſtri, qui in ordine vicis ſuæ, ſeu toto eo tempore quo miniſteriis vacabant, hoc eſt, a Sabbato ad aliud Sabbatum, a Templo non diſcedebant. Ad veſtibulum Templi Hieroſolymitani duæ extabant columnæ æreæ æquales, quarum una erat a dextris, & vocabatur *Joachin*, altera a ſiniſtris, quæ nuncupabatur *Booz*, (utroque nomine *firmitatem* ſignificante). Infinitus profecto eſſem, & præſcriptos brevitatis cancellos excederem, ſi in præſentia vellem templi Hieroſolymitani, quod artificio, ſymetria, architectura humanam induſtriam longe ſuperavit, hic repræſentare formam, omneſque illius enumerare partes, in quibus ars cum materia certare videbatur. Hoc unum dumtaxat dicam, unde hujus Templi magnificentiam & gloriam poteris facile æſtimare, videlicet, pavimenta illius Templi, parietes, tectum, capitella, teſſellato opere, laminis aureis, tegulis æneis, cælaturis, & gemmis pretioſiſſimis fuiſſe tanto cum ſplendore adornata, ut, teſtibus *Villalpando* & *Saliano*, trigeſies centies millia aureorum, ſeu, juxta uſitatum noſtrum loquendi morem, tria millia millionum auri in ſtructura ſumptuoſi Templi Hieroſolymitani impenderit Rex *Salomon*. Sed de forma Templi Salomonici, quæ deſcribitur lib. 3. Regum cap. 6. lib. 2. *Paralipomenon* cap. 3. & *Ezechielis* cap. 41. ſi plura ſcire aveas, legeſis *Joſephum*, Hebræum, lib. 8. Antiq. Jud. cap. 2. *Theodoretum* Quæſtione 24. in lib. 3. Regum, *Bedam* lib. 3. de Templo, *Ariam Montanum* in Apparatu Regiorum Bibliorum, *Villalpandum* in Ezechielem, *Riberam* lib. 1. De *Templo*, quibus adde *Torniellum*, & *Salianum* in ſacris annalibus Veteris Teſtamenti, nec non recentiorem Scriptorem, perdoctum Congregationis Oratorii Presbyterum, *Bernardum Lamy* in ſuo Apparatu Biblico, ubi Tabulam in æs inciſam inſeruit, quæ formam Templi Hieroſolymitani, ac ſingula quibus conſtabat, partes accurate exhibet.

D. Reliquitne *Salomon*, præter hanc fabricam Templi Hieroſolymitani, alia magnificentiæ ſuæ monumenta?

M. Abſoluta omni ex parte Templi Hieroſolymitani fabrica, Rex *Salomon* in Regiæ ſuæ domus ſtructura tredecim annis occupa-

tus eſt. Dein, ut fines ac ditionem Regni ſui amplificaret, opes, vires, potentiamque augeret, claſſes inſtruxit in *Ophir*, & in *Tharſim* tranſmittendas, quæ magnam vim auri, argenti, gemmarum pretioſarum, lignorum thyniorum, eboris, &c. ſingulis annis advehebant. Quo factum eſt, ut illius mercaturæ beneficio *Salomon* opibus cæteros mortalium prætergreſſus, nominis ſui famam longe lateque propagaverit, & Regnum Iſraeliticum ad eam virtutem atque dignitatem ſublimaverit, quam antehac non habebat. Tantæ potentiæ & ſapientiæ *Salomonis* percrebreſcente ubique rumore excitata *Regina Saba*, Hieroſolymam venit, ibique Domus Regiæ elegantiam, Sacrificiorum magnificentiam, menſarum apparatum, ſervorum diſciplinam admirata, ac tantum non ſtupore correpta prorupit in hæc verba: *Major eſt ſapientia tua, & opera tua, quam rumor, quem audivi*. E Hieroſolymis diſcedens Regina Saba, poſtquam Regis *Salomonis* ſapientiam quibuſdam propoſitis ænigmatibus, hoc eſt, difficillimis Quæſtionibus, probaſſet, multis muneribus hunc Regem cumulavit, centum & viginti auri talentis, gemmarum pretioſiſſimarum copia, innumeris aromatibus, ſed præſertim, teſte *Joſepho*, Hebræo, Balſami planta, cujus feraciſſima eſt Palæſtina. (*a*) Rex itidem *Salomon* mutuis muneribus gratum animum Reginæ Sabæ teſtatus eſt, ipſique præterea dedit *omnia quæ voluit, & petivit ab illo*, ſicut legitur libr. 3. Regum capit. x. verſ. 13. Fabularum tamen loco accenſeri jure merito debet, quod rerum Æthiopicarum Scriptores literis conſignarunt, Reginam ſcilicet Saba ex *Salomone* concepiſſe filium. Id enim fabuloſum eſſe patet, primo ex ſilentio priſcorum Scriptorum, qui de *Salomone*, & Regina Saba tam multa tradiderunt, & ea de re ne ullum quidem verbulum fecerunt, non Scriptores ſacri, non Rabbini, non *Joſephus*, in Antiquitatibus Judaicis verſatiſſimus. Deinde, veroſimile non eſt, *Salomonem*, Regem tum religioſiſſimum, & Deo probatiſſimum, voluiſſe Reginæ Sabæ, cujus ſapientia cum ſingulari pietate conjuncta prædicatur, quamque Chriſtus Dominus in ſupremo judicio contra Judæos ſurrecturam teſtatur, tentare ac violare pudicitiam, hancque Heroinam fœminam ſe *Salomoni* proſtituiſſe. Tam putidam ergo apage fabulam.

„ (*a*) Fateor quidem olim balſamo feracem
„ Palæſtinam extitiſſe; nunc vero ne unicum qui-
„ dem ejus arbuſtum ibidem apparere Itinera-
„ rii Palæſtinæ ſcriptores teſtantur. Legendus in-
„ ter iſtos Shaw voyages tom. 2. pag. 65. cujus
„ hæc ſunt verba: *l'arbre du beaume ne ſubſiſte plus*.

D. Frequentaruntne Iſraelitæ ante tempora Regis *Salomonis* mercaturam cum Gentibus & Nationibus prophanis?

M. Collocaverat Deus Hebræos in regione undique montibus circumdata, ne propter illorum in Idololatriam propenſionem, ullum commercium, ſocietatemve haberent cum prophanis Nationibus, ſibique Deus in Populo Iſraelitico Regnum ſervavit, quod, ſicut in ſuperioribus noſtris Colloquiis jam obſervavimus, *Theocratiam* jure optimo appellant antiqui Patres. Hebræis tantummodo animum, curam, operamque ponentibus in colendo uno veroque Deo, & in cuſtodiendis cæremoniis ac Legibus, quas a Deo acceperant, quæque ad conſervationem ſocietatis, & animi ſanctitatem dirigebantur; adeo ut a navigatione, & mercatura prorſus alieni, vitam cum virtute & citra moleſtiam degerent. Verum, Iſraelitico Regno ad *Salomonem*, filium *Davidis* Regis, devoluto, ſapientiſſimus ille Rex, ut Regni ſui fines & ditionem amplificaret, vires, potentiamque augeret, non ſolum aliquot urbes condidit, ſed etiam præcipuas curas atque cogitationes ſuas contulit, ut res difficillimas & ampliſſimas ſuſciperet, præſertim mercaturam cum aliis Nationibus exercendam. Eam ob rem, ad naves conſtruendas animum appulit Rex *Salomon*, inivitque ſocietatem cum *Hiramo*, Rege Tyriorum, qui terra marique mercabantur. Tunc Hebræi facti ſunt *Viri bellatores*, ut ait Scriptura Sacra capit. 9. verſ. 22. libr. 3. Regum, artemque navigationis & mercaturæ didicerunt, procurante *Hiramo*, Rege Tyriorum, qui miſit ſervos ſuos nauticos & gnaros maris ad dirigendam claſſem *Salomonis*, ſicut teſtatur Scriptura Sacra verſic. 26. & ſequent. ejuſdem capitis 9. libr. 3. Regum mox a me citati: *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt juxta Ailath in littore maris rubri, in Terra Idumææ, miſitque Hiram* (Rex Tyriorum) *in claſſe illa ſervos ſuos, viros nauticos, & gnaros maris cum ſervis Salomonis; qui, cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad Regem Salomonem*. Nec tantum in *Ophir*, ſed etiam in *Tharſim* claſſem ſuam tranſmittebat *Salomon*, & ex mercibus, quæ inde devehebantur, ingentem ſibi opum copiam comparavit, totumque Regnum locupletavit. At, de ſitu *Ophir*, & *Tharſis* extat inſignis controverſia inter duos egregios Scriptores, Illuſtriſſimum *Danielem Huetium*, Epiſcopum Abrincenſem, & *Samuelem Bochartum*, quorum prior exiſtimat, *Ophir* eſſe Africæ oram orientalem, & ſpeciatim *Sopholam*. Cenſet etiam, *Tharſim* eſſe oram occidentalem Africæ & Hiſpaniæ, præcipue loca Boetis oſtiis proxima. Denique, oſtendit idem Epiſcopus temporibus *Salomonis* ex Mari rubro ad fretum Gaditanum, & ex freto Gaditano ad Mare Rubrum navigari ſolitum eſſe, atque ex *Tapobobrane*, ex *Sophola*, oraque, ei vicina, aurum, gemmaſque pretioſas advehi & aſportari potuiſſe. *Samuel* vero *Bochartus* ivit in ſententiam *Salmaſii*, opinantis, *Ophir* fuiſſe *Tapobobranem*, quam *Seilam* vocant; ait inſuper, *Tharſim* eſſe Inſulam in Oceano proximam *Ophir*, vel *Tapobobrane*, in quas navigaret claſſis *Salomonis*. In dirimenda iſta controverſia judicium meum interponere nolo, ſed utramque opinionem, ſuis fultam conjecturis, in medio relinquo. Hæc autem obiter obſervaſſe ſufficiat circa Hebræorum, temporibus Regis *Salomonis*, mercaturam, de qua ſi plura ſcire deſideres, legeſis perdoctam Diſſertationem *De Antiquorum Mercatu-*

*ris*,

*ris*, quam edidit Cl. & exoticarum callentiſſimus *Blaſius Caryophilus*, Neapolitanus, quæque eſt ordine prima in *Miſcellaneorum* libro, quem Romæ paucis abhinc annis publica luce donavit.

D. Peſſima atque inſidioſiſſima res eſt opulentia, quippe quæ multos ſubvertit, iiſque ſæpenumero immedicabilium malorum extitit cauſa. Fortuna etiam ſecundior eos, quibus affulget, inſolentes ut plurimum reddit, atque ab opibus in luxum & vitia præcipitare ſolet. Hinc, ſicut narrabat mihi nudiuſtertius vir eruditus, Rex *Salomon*, proſperis blandientis fortunæ eventibus elatus, & opum, quibus affluebat, copia ſuperbiens, ſenſim ſine ſenſu a recto virtutis calle deſcivit, & tandem ſenectutem ſuam effræni, cui indulſit, libidine, & idolorum cultu turpiſſime fœdavit.

M. Ita eſt. Rex *Salomon*, parta divinitus ſapientia, & opibus longe mortalibus omnibus antecellens, dum ad finem vitæ ſuæ vergeret, ſecundarum rerum magnitudinem non tulit, ſed fœminarum, quibuſcum inſana libidine adhæſit, factus eſt vile mancipium. At enim, præter filiam *Pharaonis*, Regis Ægyptiorum, quam ſibi matrimonio copulavit, multas alienigenas, contra præceptum Dei, uxores duxit, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, & Hethæas, ita ut, inaudito hactenus exemplo, ſeptingentas uxores, Reginarum nomine inſignes, & trecentas concubinas haberet, quibus, ut placeret, ante Idola, quæ colebant, luxurioſus ſenex procubuit, falſiſque Numinibus thus adolevit, victimas obtulit, poſuitque denique Templa, videlicet *Aſtarthæ*, id eſt, *Veneri*, Deæ Sidoniorum, *Molocho*, Deo Ammonitarum, & *Chamoſo*, Deo Moabitarum. Doctiſſimus *Paulus Pezronus*, Ordinis Ciſtercienſis, in libro, quem edidit, *De Antiquitate temporum reſtituta ac propugnata*, cenſet, *Salomonem* regnaſſe per octoginta annos, hoc eſt, per quadraginta annos pie ſapienterque regnaſſe, & deinde per alios quadraginta Regni ſui annos illecebris mulierum captum, impotenti ſuæ libidini fræna laxaſſe, & Idola coluiſſe, ſicque in integrum regnaſſe annos octoginta. Qua in re *Paulus Pezronus* conſentientem habet *Joſephum*, Hebræum; ſed dubium non eſt, quin ambo illi Scriptores in putandis annis Regni *Salomonis* fallantur; cum Scriptura Sacra capit. 11. verſ. 42. libr. 3. Regum aperte innuat, Salomonem regnaſſe dumtaxat annos quadraginta. Sic enim habet: *Dies autem, quos regnavit Salomon in Jeruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt*. Mortuus eſt igitur *Salomon*, cum annos quadraginta regnaſſet. De illius pœnitentia & ſalute nihil certi ex ſacris Literis elici poteſt, nec adhuc convenit inter ſanctos Patres & eruditos Scriptores, ſicut opportunius oſtendemus in ſequenti Colloquio, ubi nonnulla Dubia, quæ circa Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis proponi ſolent, breviter diſſolvemus, ibidemque Libros ſacros, videlicet *Proverbia*, *Eccleſiaſten*, & *Canticum Canticorum* Salomoni, ceu legitimo parenti, vindicabimus. Sufficiat hic obſervare, *Claviculam*, & *Annulum Salomonis*, aliaque Opera Magica, quæ *Salomonis* nomine impii quidam homines inſignire auſi ſunt, eſſe ſpurios fœtus, & prorſus indignos, qui *Salomoni* adſcribantur.

D. Facile mihi perſuadeo, *Salomonem* ex ſeptingentis illis, quas duxit, uxoribus, & trecentis, quas habuit, concubinis, numeroſam ſuſcepiſſe prolem.

M. *Salomon* unicum de tot thalamis filium ſuſcepit *Roboamum*, & duas filias, quarum una vocabatur *Taphet*, altera *Baſemath*, quarum meminit Hiſtoria Sacra lib. tertio Regum cap. 4. verſicul. 11. & 15. Defuncto *Salomone* ejus filius *Roboamus* patrium Regnum tenere cœpit, anno ætatis ſuæ quadrageſimo primi, ſicut legitur cap. 12. v. 13. lib. primi Paralipomenon: *Quadraginta & unius anni erat* (Roboamus) *cum regnare cœpiſſet*. Corrigendum eſt itaque mendum quod irrepſit in librum primum *Hiſtoriæ Sacræ* Sulpicii Severi, ubi elegans ille Scriptor ait, *Roboamum* ſucceſſiſſe patri ſuo *Salomoni*, Regnique primordia iniiſſe anno ætatis ſuæ decimo ſexto. Inauſpicatum fuit Regni *Roboami* exordium, ac peſſimum omnium malorum, quæ inde ſcaturierunt, augurium. Rogatus quippe *Roboamus* a populo, ut duriſſimum Tributorum jugum, ſibi a *Salomone* impoſitum, minueret, idque ſeniores viri, qui *Salomoni* quondam a conſiliis fuerant, nomine populi ei ſuadebant; ille, relicto ſeniorum conſilio, ex ſententia juniorum, quos ſtolide ſibi conſiliarios adhibuit, non ſolum preces ſupplicum ſuperbe repudiavit, nihilque de vectigalibus remittere voluit, ſed etiam ſic dure & minaciter eos affatus eſt: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus*. (*a*) Hæc novi Regis intempeſtiva & aſpera reſponſio ita plebem, paſſam in tam juſta petitione repulſam, efferavit, ut, nulla interpoſita mora, decem Tribus a Rege *Roboamo* defecerint, & *Jeroboamum*, filium *Nabati*, Ephraimitam, ſibi Regem præfecerint. Duæ tamen Tribus, videlicet *Judæ*, & *Beniamini*, penes *Roboamum*, Regem, ſteterunt, & in ejus fide conſtanter permanſerunt. Tunc in duo Regna ſciſſum eſt Judaicum nomen, quorum unum dictum eſt Regnum *Judæ*, & huic præfuit *Roboamus*; alterum appellatum eſt Regnum *Iſraelis*, cujus primus Rex a decem Tribubus conſtitutus eſt *Jeroboamus*. Quapropter, ne confundamus Reges *Judæ* cum Regibus *Iſraelis*, dabimus dumtaxat hic ſeriem & geſta Regum *Judæ* uſque ad captivitatem Babylonicam, & ſub finem hujuſce noſtri Colloquii ſubnectemus Tabulam Chronologicam, quæ non ſolum exhibebit annos, per quos ſupremum dominium obtinuerunt Reges Judę, verum etiam præfiget annos, per quos Reges Iſrael ſumma rerum potiti ſunt, eorumque geſta breviter indicabit.

„ (*a*) Juvat hic animadvertere Scorpionum no-
„ mine, quibus Roboamus ſe cæſurum Judæos
„ minatus eſt, non deſignari animalia eodem
„ nomine nota, ſed aduncum illud ferrum & cu-
„ ſpidibus ad latera armatum, quo ſæpe cæſos fuiſ-

„ ſe Chriſti martyres in eorum actibus legimus, „ quorum imaginem, & deſcriptionem exhibet „ Gallonius in ſuo libro de inſtrumentis martyrii. „ Juvat inſuper hic animadvertere, quam miſerandus fuerit exitus regni Salomonici; quod enim „ in exordio divitiis & rerum abundantia affluebat, in fine adeo miſerabiles evaſit, ut neceſſe „ fuerit populum oneribus intolerabilibus aggra- „ vari.

D. Potuitne *Roboamus*, Rex Judæ, poſtquam ab ipſo decem Tribus defecerunt, reſiſtere *Jeroboamo*, ad quem ut mox ajebas, decem Tribus Regnum Iſrael detulerunt?

M. *Roboamus* ex duabus Tribubus Judæ, & Beniamini, quæ ab ipſo ſtabant, Exercitum centum octoginta millium militum pavit, bellumque adverſus decem Tribus, quas a ſe alienaverat, bellum gerere decrevit. Sed hanc Expeditionem *Semejas*, Propheta, impedivit, monens *Roboamum*, dum jam acies promoverentur, & in procinctu certaminis eſſent, ne contra fratres pugnaret, neve reſiſteret Dei voluntati, cujus arbitrio hæc decem Tribuum defectio in pœnam peccatorum *Salomonis* contigerat. Ad hujus Prophetæ vocem a cœpto deſtitit *Roboamus*, tantuſque bellatorum diffluxit Exercitus. Poſthæc, Judæi in Idololatriam prolapſi, & in omnem libidinem, cæterarum Gentium more, effuſi ſunt. Rex etiam *Roboamus*, contra Dei voluntatem, ſibi a *Semeja* Propheta denunciatam, perpetuum bellum adverſus *Jeroboamum* geſſit, ut majorem Regni partem, ſibi ab illo Rege Iſraelis ereptam, armis repeteret, ſibique vendicaret. Sed fruſtra. Deus quippe, ad exterminandas abominationes, quibus ſe fœdabant Judæi, & caſtigandam perfidiam Regis *Roboami*, immiſit in Judæam *Seſacum*, Regem Ægypti, qui potentiſſimo munitus Exercitu, ex Ægypto, Lybia, Troglodytide, & Æthiopia collecto, munitiſſimas Regni Judæ Civitates occupavit, & Hieroſolymam uſque perveniens, compulit *Roboamum*, ut ſuam, ſuique populi libertatem nefando ſacrilegio redimeret, theſauris videlicet & donariis Templi, quibus onuſtus *Seſacus*, Rex Ægypti, Hieroſolymis receſſit. *Roboamus* vero, Rex Juda, poſtquam regnaſſet ſeptemdecim annos, abiit e vivis anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo.

D. Quis eſt iſte *Seſacus*, Rex Ægypti, quem Deus adverſus *Roboamum* cum ingentibus copiis evocavit in Judæam?

M. Iſte *Seſacus*, Ægyptiorum Rex, idem plane eſt ac *Seſoſtris*, Ægyptiorum Rex, ſicut teſtatur *Joſephus*, Hebræus, lib. 10. Antiquit. Jud. capite quarto. Id enim non obſcure innuunt *Herodotus* lib. 2. Hiſtoriæ, & *Strabo* lib. 17. qui aſſerunt, extitiſſe etiam ſuis temporibus *in Syria Palæſtina* monumenta victoriæ, quam *Seſoſtris*, Ægypti Rex, ibidem reportavit. Quod ſane quadrat optime in eum Regem Ægypti, quem Scriptura Sacra *Seſacum* appellat. Ille etenim *Seſacus*, Regi *Roboamo* infeſtus, validiſſimo, ut jam diximus, inſtructus exercitu, irruit in Palæſtinam, ſeu Judæam, eamque vaſtavit ac diripuit. Iſte autem *Seſoſter*, Rex Ægypti, quem Scriptura appellat *Seſacum*, in Verſione Latina *Diodori Siculi* vocatur *Seſooſis*, & *Seſonchis*, apud vero lxx. Interpretes nuncupatur *Seſachis*. Ut ut ſit de diverſis illis nominibus, certo conſtare debet, illum Regem Ægyptiorum, qui contra *Roboamum*, Regem Juda, bellum geſſit, quemque Scriptura Sacra *Seſacum* vocat, eundem eſſe ac *Seſoſtrim*, ſeu *Sezonchim*, Ægypti Regem, qui jam *Salomonis* temporibus regnabat, quemque in viginti duorum Regum Ægyptiorum Dinaſtia, quæ *Bubatiſtarum* eſt, primum collocant *Manetho*, Rerum Ægyptiacarum Scriptor, & *Julianus Africanus* apud *Georgium Syncellum* in ſua Chronographia. Hunc *Seſacum*, dictum apud Græcos *Seſoſtrim*, aut *Seſonchim*, regnaſſe in Ægypto annis quinquaginta novem ſcribit mox laudatus *Manetho*.

D. Quem in Regno Judæ ſucceſſorem habuit *Roboamus*?

M. Ex uxoribus decem & octo, & concubinis ſexaginta, quas duxerat Rex *Roboamus*, ſuſcepit viginti octo filios, & ſexaginta filias, ſuumque in Regno Judæ ſucceſſorem ex omnibus filiis, quos procreaverat, elegit *Abiam*, quem ex *Maacha*, uxore prædilecta, genuit, quemque ideo cæteris fratribus, etiam antiquioribus, præpoſuit. Impietate & flagitiis *Abias* patri ſuo ſimillimus fuit, ſed in bello ſtrenuum, & acerrimum ſeſe prodidit. Secundo marte contra *Jeroboamum*, Regem Iſraelis, qui octingenta millia militum in aciem eduxerat, pugnavit, & illum cum quadringentis hominum millibus aggreſſus, tanta clade affecit, ut ex ejus exercitu quingenta hominum millia cæciderit; partamque victoriam perſecutus, tres munitiſſimas Regni Iſraelitici civitates, nimirum *Bethleem*, *Jeſanam*, *Ephronem* cum ſuis pagis ei eripuerit, ſuamque in poteſtatem redegerit. Verum, *Abias* hunc felicem prælii exitum, non Deo, cujus tamen maximo in diſcrimine conſtitutus opem imploraverat, eamque præſentiſſimam fuerat expertus, retulit acceptum, nec ad meliorem frugem, uti debuerat, ſeſe recepit, ſed vano intumuit faſtu, & in impietate callum obduxit. *Abiam* ſex annos regnaſſe ſcribit *Sulpicius Severus* lib. 1. *Hiſtoriæ Sacræ*, ſed perperam; cum diſerte libri 2. Paralipomenon capite 13. ſcriptum ſit, *Abiamum* tres tantum annos regnaſſe. *Tribus annis*, inquit Scriptura Sacra, *regnavit Abias in Hieruſalem*. Quatuordecim uxores habuit Rex *Abias*, ex quibus viginti duos filios, & ſexdecim filias ſuſcepit. Poſt ejus obitum, *Aſa*, illius filius, Regnum Judæ obtinuit.

D. Fuitne Rex *Aſa* melior patre ſuo *Abia*?

M. Regni *Aſæ* exordia laudatiſſima fuerunt, ut pote ſtabiliendo divino cultui, & abolendis omnibus paternæ Idololatriæ veſtigiis conſecrata. Fecit *Aſa*, inquit Sriptura Sacra capite 14. libri 2. Paralipomenon, *quod bonum & placitum erat in conſpectu Dei ſui, & ſubvertit Altaria peregrini cultus, & excelſa, & confregit ſtatuas, lucoſque ſuccidit. Et præcepit Judæ, ut quæ-*

*reret*

*eret Dominum patrum ſuorum, & faceret Legem, & univerſa Mandata, & abſtulit de cunctis urbibus Juda aras, & fana, & regnavit in pace*. Eo regnante, *Zara*, Æthiopum Rex, qui cum decies centenis millibus militum, & curribus trecentis in Judæam irruperat, piis Regis *Aſæ* precibus, obſecundante Deo, in valle *Sephata* prope *Mareſam*, oppidum, in fugam datus eſt, totuſque numeroſus illius Exercitus, Cælo pro *Aſa*, Rege Judæ, pugnante, fuſus ac profligatus fuit. Nec in Deum de tam inſigni reportata victoria ingratus fuit Rex *Aſa*, ſed in ſpem adfuturæ ſibi deinceps protectionis divinæ erectus verbis Prophetæ *Azariæ*, qui ei victori occurrit, ardentiori ſtudio inſtaurandæ Religioni, divino cultui propagando, & radicitus extirpandis Idololatriæ reliquiis incubuit; ut his pietatis monumentis ſui erga Deum, qui victoriam in illius partes traxerat, grati animi ſignificationem exhiberet. Verum, cum nihil ſit ex omni parte beatum, nec aliquid tam pium, cui non ſint ſuæ additæ labes, contigit ut *Aſa*, Rex licet optimus, aliquid humani paſſus fuerit, & aliquas contraxerit maculas, quæ illum coram Deo culpabilem reddiderunt. At enim, ſummam proſperitatem, qua fruebatur *Aſa*, Rex Judæ, ægre admodum ferens *Baaſa*, Rex Iſrael, cum multis copiis occupavit, ut Judæis noceret, *Ramam*, urbem tantum ſtadiis quadraginta Hieroſolymis diſtantem, eamque vallis ac muro communivit. Quorſum tenderet tam audax *Baaſæ*, Regis Iſrael, conſilium, animadvertit quidem facile *Aſa*, Rex Juda, ſed conſilii inops, planeque immemor auxiliatricis Dei manus, quam toties expertus fuerat, confugit ad *Benadadum*, Syriæ Damaſcenæ Regem, eumque ad facilius retundendas æmuli ſui *Baaſa*, Regis Iſrael, molitiones, ſacrilega nundinatione, hoc eſt, auro & argento, quod in Templi Ærario, Regiſque Theſauris aſſervabatur, ſibi conciliavit. Miſit confeſtim *Benadad*, Rex Syriæ, copias ſuas contra civitates Regni Iſraelis, quibus repellendis impar *Baaſa*, Rex Iſrael, captam urbem *Ramam* deſerere, ſuamque in ditionem maturata fuga redire compulſus eſt. At, diuturna non fuit de recuperanda libertate ſua *Aſæ*, Regis Judæ, concepta lætitia. Ad eum quippe Deus Prophetam *Ananum* protinus miſit, ut ei ſacrilegam illam ſocietatem, quam cum *Benadado*, Syriæ Rege, inierat, exprobraret. Correptionem Prophetæ, non æquo & pœnitenti, ut par erat, animo, excepit *Aſa*, Rex Juda, ſed reprehenſionis impatiens, ad diffidentiam adjecit crudelitatem. Vatem enim dedit in vincula & multos e populo, de hoc facto obloquentes, interemit. Ex eo tempore *Aſa*, Rex Judæ, pœnas ab illo exigente numine, continuis bellis laceſſitus eſt, & podagræ doloribus per triennium vehementer conflictatus; in qua tamen infirmitate non quæſivit Dominum, nec in eo ſpem ac fiduciam collocavit, ſed totus in Medicorum artem intentus, humanis præſidiis dolorem pedum, quo torquebatur, delinire ſtuduit. Quod ei Scriptura Sacra vitio vertit, quia, ut appoſite obſervat *Theodoretus* Quæſtione XLVIII. in librum tertium Regum: *Qui vera pietate ſunt præditi, utuntur Medicis tanquam Dei miniſtris. Sciunt tamen quod nihil poteſt ars Medicorum Deo nolente, ſed tantum poteſt, quantum ipſe vult*. Obiit Rex *Aſa* anno Regni ſui quadrageſimo primo, eumque maculas illas, quas exiſtimationi ſuæ aſperſiſſe mox diximus, pœnitentia eluiſſe innuit Scriptura Sacra, quæ illum (capite 15. lib. 3. Regum) piis Principibus ac juſtis accenſet. *Aſæ*, Regi Judæ, ſucceſſit filius *Joſaphatus*, pietati ac zelo patri non modo non impar, ſed ſuperior.

D. Narra, ſi placet, res præclare geſtas *Joſaphati*, filii *Aſæ*, ejuſque in Regno Judæ ſucceſſoris; quas eo lubentiori animo auſcultabo, quod ille Princeps, Religionis virtutibus clarus, ſe ad imitationem *Davidis*, Regis, contulerit, præcepta Dei accurate ſervaverit, & inter Reges Juda fuerit eximius pietatis cultor.

M. Regnum Judæ ad ſummum decus extulit *Joſaphatus*, & in ipſo ſui regiminis exordio primam conſtituendæ Religionis, ſtabiliendi Dei cultus, & in tota ditione ſua profligandæ Idololatriæ curam habuit. Hinc ita potens & opulentus evaſit, ut in ejus gloriam ac divitias cælum atque terra conſpirare viderentur, ſicut teſtatur Scriptura Sacra capite 17. verſ. 3. & ſeq. libri 2. Paralipomenon, his verbis: *Fuit Dominus cum Joſaphat, quia ambulavit in viis David patris ſui primis, & non ſperavit in Baalim, ſed in Deo patris ſui, & non juxta peccata Iſrael; confirmavitque Dominus Regnum in manu ejus; & dedit omnis Juda munera Joſaphat: factæque ſunt ei divitiæ multæ, & multa gloria; cumque ſumpſiſſet cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelſa, & lucos de Juda abſtulit*. Animadvertens autem Rex *Joſaphat*, Idololatriam apud Judæos ex ignorantia, vel ex Legis Dei neglectu profectam eſſe; miſit anno tertio Regni ſui Sacerdotes, Levitaſque in urbes univerſi Regni ſui, qui populum Legem Domini edocerent, ſicque omnes Idololatriæ fibras evellerent. Hunc *Joſaphati* zelum gratum habuit Deus, eumque reddidit ſuis apprime charum, & finitimis Gentibus ita formidabilem, ut Philiſtæi & Arabes vectigalia, ſeu tributa, ultro ac certatim ei penſitarent, haberetque ipſe in ſuo exercitu undecies centena & ſexaginta millia virorum bellatorum, non numeratis his militibus, quos in præſidiis conſtituerat, ſicut legitur lib. 2. Paralip. cap. 17. verum, dum alta pace, ſummaque Regni felicitate gauderet *Joſaphatus*, ecce Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, & Syri, qui ejus potentiam ægris oculis videbant, conjunctis viribus & cum ingenti exercitu in Judæam irrumpunt, & imparatum Regem invadunt. In tanto tamen diſcrimine animum non deſpondit Rex *Joſaphatus*, ſed in Deo omne præſidium collocans, ardentiſſimas ad eum preces effudit, & e veſtigio turbati ac commiſſi inter ſe barbari certarunt. Ammonitæ, & Moabitæ in Idumæos, tum vero illi in ſemetipſos arma verterunt, ſeſeque mutua clade confecerunt. Quo factum eſt,

eſt, ut Rex *Joſaphatus* non tam armis, quam ſacris canticis Sacerdotum & Levitarum, quos ſecum deduxerat, hoſtes illos in ſe conjuratos debellaverit, & triumphantis ritu Hieroſolymam reverſus, Deo, victoriæ tam inſignis auctori, immortales in Templo gratias egerit, ſicut narrat ſacer Auctor lib. 2. Paralip. cap. 20. Præter hæc pietatis Regis *Joſaphati* momenta, duo alia refert Scriptura Sacra (lib. 2. Paralip. cap. 19.) quæ ſilentio prætermittere non debemus. Conſtituit enim pius ille Rex in ſingulis totius Regni ſui oppidis ſubſellia Judicum, quos ſapientia & prudentia præditos ſelegit, huicque obeundo muneri præfecit, illos gravi iſta admonitione adhortans: *Sit timor Dei vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum*. Digna ſane religioſiſſimo Principe Sententia! Præterea, conſtituit Hieroſolymis Rex *Joſaphatus* Levitas, Sacerdotes & Principes familiarum, qui ſacris judiciis præeſſent, & dirimerent quæſtiones, quæ inter Judæos circa Legem, Mandata, Cæremonias, & juſtificationes emergere poterant, *præcepitque eis dicens: ſic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto ...... Oſtendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira Dei ſuper vos, & ſuper fratres veſtros. Sic ergo agentes non peccabitis*. Hæ ſunt in ſumma res, quas præclare geſſit *Joſaphatus*, Rex Judæ, quaſque laudat Scriptura Sacra. At, duo ſunt Regis *Joſaphati* facinora, quæ ei Scriptura Sacra crimini dat, quæque hic breviter indicabimus. Et primo quidem, Rex *Joſaphatus* inauſpicato celebravit nuptias filii ſui *Jorami* cum *Athalia*, peſſimi *Achabi*, Regis Iſraelis, & crudeliſſimæ *Jezabelis*, filia. Has illicitas nuptias, quas familiæ *Davidis*, Regis, funeſtiſſimas fuiſſe, mox fatalis eventus probabit, redarguit Deus per Prophetam *Jehu*, filium *Hanani*, & ad correptionem illius Prophetæ, culpam ſuam agnovit Rex, pœnitentiam egit, nec deſtitit veniam flagitare, donec Deus per eumdem Prophetam ei denunciaverit, ſe intuitu bonorum illius operum, pietatis præſertim ac zeli, cujus in evertendis Idolis ſpecimen præbuerat, hoc delictum, ſevera alioqui animadverſione dignum, ei condonare. Deinde, Scriptura Sacra non ſolum culpat Regem *Joſaphatum*, quod ſuum ſanguinem miſcuerit cum impii *Achabi*, Regis Iſraelis, ſanguine, verum etiam, quod claſſem inſtructurus, quæ *Ophiram*, inquirendi auri cauſa, proficiſceretur, ad hujus expeditionis ſocietatem admiſerit *Ochoziam*, filium *Achabi*, Regis Iſrael. Hoc fœdus, quod cum *Ochozia*, nequiſſimo Iſraelis Rege, pepigit *Joſaphatus*, Rex Judæ, improbavit Dominus, miſitque Prophetam *Eliezer*, qui *Joſaphato* ſignificaret, claſſem, quam paraverat, in ipſo portu *Aſiongaber*, antequam ſolveret, perituram. Quod reapſe, ſicut prædixerat Propheta, contigiſſe, legitur cap. 22. lib. 3. Regum, & cap. 20. lib. 2. Paralipomenon. Poſtremo, Rex *Joſaphatus* anno ætatis ſuæ ſexageſimo, Regni vigeſimo quinto diem ultimum clauſit, & Hieroſolymis cum patribus ſuis ſepultus eſt, ut narrat Scriptura.

D. Ut quid mox dixiſti, nuptias, quas *Joramus*, filius Regis *Joſaphati*, cum *Athalia*, Regis ſceleſtiſſimi *Achabi*, & truculentæ *Jezabelis* filia, contraxit, familiæ *Davidis*, Regis, totique Regno Judæ funeſtiſſimas fuiſſe?

Prædictas nuptias familiæ *Davidis*, Regis, totique Regno Judæ funeſtiſſimas fuiſſe, heu nimium! crudelis eventus comprobavit. Mortuo quippe *Joſaphato*, pio Regi ſucceſſit in Regno Judæ filius ejus, natu maximus, *Joramus*, qui, inſtigante *Athalia*, peſſima conjuge ſua, *Achabi*, Regis Iſraelis, & *Jezabelis*, filia, ſeſe non minus crudelem in homines, quam impium in Deum toto Regni ſui tempore prodidit. In primis, ut quietius regnaret, ſex e ſuis fratres ſuſtulit, & aliquot proceres, qui erga illos bene erant affecti, interemit. Dein, excuſſo Religionis jugo, Idololatriam in Regnum Judæ invexit, & Idolo *Baal* Templa conſecravit. Tam ſacrilegam impietatem non diu impunitam tulit flagitioſiſſimus ille Rex. A Deo ſiquidem propter graviſſima illius crimina derelictus, perdidit totam Idumæam, quæ a *David*, Rege, olim ſubacta, Judaico Imperio hactenus paruerat, nec eam unquam recuperare potuit. Idumææ defectionem imitata itidem eſt *Lobna*, munitiſſima Judææ civitas. Philiſtæi, & Arabes in Judæam irruerunt, fœde devaſtarunt, Regiam diripuerunt, & in his depopulationibus non pepercerunt Regiæ Soboli, ſed interfecerunt omnes filios Regis *Jorami*, ſolo ſuperſtite relicto *Joachaz*, aliter dicto *Ochozia*, natu minimo. Tandem ad omnium malorum cumulum, inſanabili putreſcentium viſcerum dolore a Deo percuſſus eſt impius ille Rex, ac integro biennio diris tormentis vexatus, longa conſumptus tabe, & a ſuis omnino neglectus, miſerrime periit, cum viſcera ſua egeſſiſſet vivus. Annis octo regnavit Rex *Joram*, & licet Hieroſolymis ſepulturam habuerit, fuit tamen e tumulo Regum Majorum ſuorum excluſus, & Regio funere privatus, ſicut legitur cap. 21. lib. 2. Paralipomenon.

D. Utinam! omnes Reges hoc terribili in *Joramum*, iniquiſſimum Regem Judæ, divinæ vindictæ exemplo intelligerent, ſe ita Imperium gerere debere, ut actionum ſuarum rationem vel reddere, vel ſaltem a ſemetipſis exigere poſſint. Futurum eſt enim aliquando, ut Deus ab eis rationem exigat, apud quem nihil eis profuerit potentes fuiſſe in terris, niſi quod tanto rigidiorem habituri ſunt judicem, quanto grandior poteſtas fuerit eis commiſſa. Sit unus licet ſupremus totius Orbis Monarcha, qui pro arbitrio imperat, Deum tamen exactorem, & præpotentem ſcelerum ultorem, nec effugere, nec fallere nec terrere, nec corrumpere unquam poterit. Sed perge, quæſo te, ſeriem texere Regum, qui, poſt *Joramum*, Regnum Judę obtinuerunt.

M. Sicut fructus naturam arborum ſequuntur, ita fere liberi parentum mores imitari, indolem quoque ſimillimam referre ſolent. Hujus paren-

parentum in filios transfuſæ morum ſimilitudinis funeſtum in *Ochozia*, qui patri ſuo *Joramo*, Regi Judæ, ſucceſſit, habemus exemplum. Hic quippe, viginti duos annos natus, paterni Regni, ſicut ejus impietatis hæres; atque improbæ matris ſuæ *Athaliæ* nefariis conſiliis auſcultans, Idololatriam promovit, ſeque cultus Idoli *Baal* fautorem præbuit. Expeditionem militarem una cum avunculo ſuo [illegible], Rege Iſraelis, contra *Hazaelem*, Regem Syriæ, ſuſcepit. Sed poſt infelicem certaminis exitum, a *Jehu*, infenſiſſimo familiæ *Achabi* Regis Iſraelis inimico, trucidatus fuit, cum uno dumtaxat anno regnaſſet in Juda. Ejus cadaver Hieroſolymam delatum in ſepulchro Majorum conditum eſt. Hinc facile intelligere potes, me non immerito paulo ante obſervaſſe, familiæ *Davidis*, Regis, funeſtas fuiſſe illas, quas *Joſaphatus*, Rex Judæ, celebravit nuptias filii ſui *Jorami* cum *Athalia*, Regis Iſraelis *Achabi*, & *Jezabelis* filia.

D. Probe intelligo, ejuſmodi illicitas nuptias graviter diſplicuiſſe Deo, & in familia *Davidis*, Regis, iliadem malorum importaſſe. Sed multo acerbiori pœna Deum propter has illicitas nuptias, in familiam Regis *Salomonis* animadvertiſſe ajebat nuperrime Theologus, in ſacris literis haud parum exercitatus, afferebatque ſtirpem Regis *Salomonis* defeciſſe in *Ochozia*; & *Joam*, qui in Regno Judæ ſucceſſit *Ochoziæ*, non e *Salomonis* proſapia oriundum eſſe, ſed de *Nathanis*, alterius filii *Davidis*, progenie fuiſſe. Id autem an verum ſit, & ſacris literis conſentaneum? nunc a te ſcire vehementer cupio.

M. Cum bona venia illius Theologi, qui iſta tibi narravit, dixerim, oppido falſum eſſe, ſtirpem Regis *Salomonis* extinctam fuiſſe in *Ochozia*, *Joamque*, qui in Regno Judæ ſucceſſit *Ochoziæ*, non de *Salomonis*, Regis, ſed de *Nathanis* progenie extitiſſe. Hæc, inquam, falſa eſſe, e ſacris literis facile pateſcit. Quarti enim libri *Regum* cap. 11. v. 1. & ſeq. ita legitur: *Athalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium ſuum* (ſeu Ochoziam) *ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium. Tollens autem Joſaba, filia Regis Joram, ſoror Ochoziæ, Joas, filium Ochoziæ, furata eſt de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & abſcondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur*. Et cap. 12. ejuſdem libri quarti *Regum*: *Tulit Joas, Rex Judæ, omnia quæ conſecraverant Joſaphat, Joram, & Ochozias, patres ejus &c.* Et cap. 13. *Anno vigeſimo tertio Regis Joas, filii Ochoziæ, Regis* Judæ *&c.* Capite etiam tertio lib. 1. *Paralipomenon* in poſteritate Regis *Salomonis* diſerte recenſetur *Joas*, filius *Ochoziæ*, idque Evangeliſta *Matthæus* explicate confirmat, inquiens: *Joſaphat genuit Joram, Joram autem genuit Oziam, Ozias autem Joathan, Joathas autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam*. Generatione ergo omnes iſti Reges Judæ prodierunt ex ſtirpe Regis *Joſaphati*, ac proinde *Salomonis*, non vero *Nathanis*. Nemo itaque contra hæc apertiſſima Scripturæ Sacæ teſtimonia aſſeverare poteſt, ſtirpem Regis *Salomonis* in *Ochozia* defeciſſe. Fateor tamen, hanc fabulam de ſtirpis *Salomonis* defectione narrari in libro, qui *De Temporibus* inſcribitur, quemque noſter *Joannes Annius*, Viterbienſis, vindicat *Philoni*, Judæo; at conſtat nunc apud omnes Critices Diſciplinæ peritos, hunc librum eſſe ſpurium *Philonis*, Judæi, fœtum, tum quia *Euſebius* lib. 2. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 18. & *S. Hieronymus* in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* Opera *Philonis*, Judæi, diligenti criterio cenſuerunt, & tamen nullum memorant Opus, in quo *Philo* res geſtas Regni cujuſquam tempora notarit: tum quia etiam liber ille multa falſa, multa abſurda, nonnulla contra Scripturam Sacram profert, totque mendaciis, & anilibus fabulis a capite ad calcem refertus eſt, ut nemo, qui tantiſper eum lectitare voluerit, ſtatim non fateatur, hunc librum plane indignum eſſe, qui perito *Philoni*, Judæo, adſcribatur. Sed & aliud, quod hic prætermittere minime debeo, ſuppetit argumentum, quo evinci poteſt, ſtirpem Regis *Salomonis* in *Ochozia* non defeciſſe. Nam ſi ſtirps *Salomonis* exaruiſſet omnino in *Ochozia*, ſequeretur primo, jus regnandi devolutum eſſe non ad nepotes *Salomonis*, ſed ad poſteros *Nathanis*, alterius filii *Davidis*, Regis; quod ſane abhorret ab omni veri ſpecie, quia legimus c. 11. lib. 2. Paralipomenon, *Roboamum*, filium *Salomonis*, genuiſſe viginti octo filios; *Abiam*, filium *Roboami*, genuiſſe viginti duos cap. 13. *Joſaphatum* vero, filium Regis *Abiæ*, genuiſſe ſeptem liberos, cap. 21. Credibile autem non eſt, tam numeroſam ſtirpem nepotum *Salomonis*, qui a tempore *Roboami* uſque ad *Ochoziam*, filium *Jorami*, in plures familias ſuccreſcere potuerunt, ita poſt obitum Regis *Ochoziæ* fuiſſe extinctam, ut ne ullus quidem ex ſtirpe *Salomonis* ſuperſtes fuerit, qui jus habuerit ad regiam dignitatem, & ad eam poſteros *Nathanis* adſciſcere opus fuerit. Præterea, ſi ſtirps *Salomonis* plane defeciſſet in *Ochozia*, ſequeretur, poſt obitum *Ochoziæ* tranſiiſſe a Salomonidis ad Nathanitas, hoc eſt, a linea *Salomonis* ad lineam *Nathanis* promiſſionem a Deo factam de naſcituro Meſſia ex ſemine *Davidis*, adeo ut divina illa promiſſio impleta non fuerit in linea *Salomonis*, ſed in linea *Nathanis*. Quod ſane antiquorum Patrum, & Theologorum ſententiæ adverſatur, qui docent, promiſſionem divinam de proditure Meſſia e ſemine *Davidis*, Regis, completam fuiſſe in linea *Salomonis*, & non in linea *Nathanis*. Sed de ſucceſſione *Salomonis* nunquam interrupta, & per veram & naturalem nepotum procreationem uſque ad ortum Chriſti Domini jugiter continuata, ſi plura ſcire aveas, legeſis Diſſertationem quartam Tractatus, quem ſecundis curis anno MDCCXXIV. Romæ edidi: *De Myſteriis & annis Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri*, ubi conciliare ſtudui antilogiam, ſeu apparentem contradictionem, quæ videtur eſſe *Matthæum* inter & *Lucam*, Evangeliſtas, in ea, quam deſcribunt, genealogia Jeſu Chriſti, Salvatoris noſtri.

D. Ea,

D. Ea, quæ adduxiſti, momenta invicte probant, ſtirpem *Salomonis* non fuiſſe in *Ochozia* extinctam, ſed *Joaſum*, qui in Regno Judæ ſucceſſit *Ochoziæ*, vera, naturali, & carnali generatione filium eſſe *Ochoziæ*, illumque ſubinde non e *Nathanis*, ſed e *Salomonis* progenie originem traxiſſe. Sed nunc, obſecro te, compendioſa narratione deſcribe quid poſt obitum Regis *Ochoziæ* contigerit, & res, quas ejus filius, & in Regno Judæ ſucceſſor, *Joaſus*, memoria & commendatione dignas potiſſimum geſſit, ſummatim perſtringe.

M. Poſt *Regis Ochoziæ* obitum, *Athalia*, vidua Regis *Jorami*, & mater Regis *Ochoziæ*, mulier impotens & ambitioſa, atque Idoli *Baal* cultui addictiſſima, ſeſe tanquam inferni furiam, crudelitatis, & impietatis monſtrum exhibuit. Regnum Judæ, morte filii ſui *Ochoziæ* vacuum, confeſtim occupavit. Immanem in populum per ſex annos integros crudelitatem exercuit, & ſicut mox obſervavimus, in ſuum ſanguinem ſæviit, ac nepotes ſuos, Regis *Ochoziæ* filios, impotenti regnandi libidine abrepta, occidi curavit. Unus dumtaxat e Davidico ſemine truculentiſſimam illam cladem evaſit *Joas*, filius Regis *Ochoziæ*, anniculus puer, quem amita *Joſaba*, Regis *Ochoziæ* ſoror, & uxor *Jojadæ* Pontificis, ab imminenti morte eripuit, eumque cum nutrice in Templo per ſexennium occultavit, ipſa tantum, ejuſque marito *Jojada*, Pontifice, hujus rei conſciis, quibus ſubinde *Joaſus* vitam & ſceptrum accepta referre debuit. At, poſtquam *Joaſus* per ſex annos latitaſſet in Templo, viſum eſt tum populo, tum *Jojadæ*, Pontifici, opportunum tempus tyrannidem *Athaliæ* excutiendi, populum in libertatem vindicandi, & *Joaſo*, ceu legitimo hæredi, reddendi Regnum, quod ei *Athalia*, crudelis illius Avia, ſpretis divinis & humanis Legibus, præripuerat. *Jojadas* itaque Pontifex, urgente populo, tyrannidis *Athaliæ* diutius ferendæ impatiente, *Joaſum*, tum temporis ſeptennem, ritu ſolemni Regem Judæ in Templo inauguravit, eumque, depulſa *Athalia*, in paternum ſolium, feſtivis omnium acclamationibus & gratulationibus reſtituit. Hæc ubi reſciviſſet *Athalia*, excanduit, & tantum non furore correpta ad Templum feſtina acceſſit popularem motum ſedatura, & conjurationem impeditura. Sed ad nihilum reciderunt impiæ illius mulieris conatus. Eam quippe abſque mora extra Templi ſepta educi, ac necari juſſit Pontifex *Jojadas*. E vivis ſublata illa furia, longe crudeliori digna ſupplicio, *Joaſus* tranquillum Regnum obtinuit, & quamdiu *Jojadam*, ſummum Pontificem, parentis loco, uti debebat, habuit & coluit, ſe ſe divini cultus obſervantiſſimum, & optimum Principem præbuit. Templum Idoli *Baalis* evertit, Aras deſtruxit, Idola confregit, *Mathanem*, Baalis Sacrificum, coram Altari hujus Idoli jugulari ac mactari juſſit. Sarta tecta Templi, ab *Athalia* neglecti & vaſtati, inſtauravit, magniſque ſumptibus illud exornavit. Verbo dicam, quamdiu Rex *Joaſus* Præceptore & adminiſtro Principe *Jojada* uſus eſt, expreſſit in ſe imaginem Principis omnibus virtutum numeris abſoluti, omnibus proſpiciens, paternum in omnes gerens animum, religione nihil prius & antiquius habens, ſemper vigilans, quo ſuis ſubditis ſuppeteret tranquillitas, & illorum commodis conſuleret. At, poſtquam *Jojadas*, Pontifex, anno ætatis ſuæ trigeſimo ſupra centeſimum e vita migraſſet, *Joaſus*, ſui juris factus, & Aulicorum adulationibus (ut apud Principes fieri aſſolet) delinitus, eorumque pravis conſiliis corruptus, iram Dei meruit, & populi odium ſibi conflavit. Templi enim, quod nuper religioſe inſtauraverat, curam abjecit, veræ avitæque Religioni cultum Idoli *Baalis* antepoſuit, ad Lucos & Idola reſpexit, hiſque nefariis ſuperſtitionibus indigniſſimam addidit necem *Zachariæ*, Sacerdotis, & filii *Jojadæ*, illius Pontificis, cui vitam, Regnumque debebat, quod hic Propheta, Spiritu Domini afflatus, Regis, populique impietatem argueret. Hujus, inquam, Prophetæ *Zachariæ* zelum non tulit Rex *Joaſus*, ſed ad iram concitatus, & ſummam impietatem cum ingratiſſimi animi vitio jungens, ſanctum illum virum *Zachariam* (qui alter eſt ab eo *Zacharia*, qui inter Minores Prophetas undecimus eſt) in Atrio Templi, prohſcelus! lapidibus obrui juſſit. Hanc ſacrilegam mortem *Zachariæ*, inter ſaxorum grandinem vindictam expoſcentis, graviter Deus ultus eſt. Vix enim vertente anno poſt cædem hujus ſancti viri, Deus ſic animos Syrorum extulit, ut *Hazael*, Syriæ Rex, cum exercitu in Judæam irruperit, *Gethum* urbem ceperit, & hac inflatus victoria, poſt depopulatam ac vaſtatam Judæam, verſus Hieroſolymam, totius Regni Judæ caput, recta contenderit, eaque potitus fuiſſet, niſi Rex *Joas* theſaurum omnem, qui in ſacro Ærario aſſervabatur, ablatum victori in prædam tradidiſſet, & Templi auro turpiſſimam pacem redemiſſet. Sic *Hazael*, Rex Syriæ, quo, tanquam virga, ad flagellandum Regem *Joaſum* Deus uſus eſt, poſt numeratam ſacram, prophanamque pecuniam, poſt direptam victricibus armis Judæam, poſt primarios Regni viros internecione deletos, abſceſſit, hiſque pœnis, Regi *Joaſo* illatis, contentus fuit Deus, qui graviores tamen exigere potuiſſet. At, non multo poſt *Hazaelis*, Syriæ Regis, diſceſſum miſerrima ac diuturna ægritudine confectus *Joas*, Rex Judæ, a ſuis in lecto decumbens trucidatus eſt ineunte anno Regni ſui quadrageſimo, nec in ſepulturam Regum illatus eſt, ſicut legitur lib. quarto Regum cap. 12. & libr. 2. Paralipomenon cap. 24.

D. Cum peſſimum ſit adulationis genus, mirari profecto non ſubit, quod juvenis adhuc Regis *Joas* animum, ad pietatem inclinatum, peſtilenti adulatione corruperint viri Aulici, qui, ſicut funeſta ſæpius nos docet experientia, tantum abeſt, ut pravas vulgi opiniones ex animis Regum, quibus ſerviunt, revellant, ſi quæ inſident, & ſalutares bono Principe dignas inferant, ut potius ſuum agentes negotium, ſuiſque pri-

privatis commodis ſtudentes, rationem publicæ utilitatis negligant, & Reges, quorum favorem aucupari ambiunt, aſſentationibus, alloquiis, & obſequiis illiberalibus inficiunt, & ad ea ſollicitant, quæ ſunt parum digna Regibus. Sed mittamus has Regnorum & Rerum publicarum peſtes, & proſequamur Hiſtoriam Regum Judæ.

M. *Joaſo* in Regno Judæ ſucceſſit *Amaſias*, ejus filius, annos natus viginti quinque. Parentem ſuum *Joaſum* tam in primis, quam in ultimis Regni ſui annis æmulatus eſt, & ſicut illius Regni principia laudatiſſima & paternis initiis ſimillima fuerunt, ita in ultimis Regni ſui annis in pravos mores degenerans, infelicem, perinde ac ipſius parens, nactus eſt exitum, cæteriſque impiis Regibus reliquit magnum divinæ vindictæ documentum. At enim, *Amaſias* in exordio Regni ſui ſuſtulit quidem e medio eos, qui in ipſius patrem *Joaſum* conjuraverant, eique necem intulerant; liberis tamen eorum, juxta Legem a Deo per *Moyſem* datam, pepercit, probe ſciens, Deum, qui ſummus eſt vitæ, ac mortis arbiter, id pœnæ genus ſibi ſoli reſervaſſe, ut parentum peccata uſque ad quartam generationem caſtiget, quo acerbitate, diuturnitate, & amplitudine pęnæ, improbi homines, qui non virtutis amore, ſed tantum formidine pœnæ poſſunt a crimine ſubmoveri, dum ſibi, ſuiſque metuunt, injecto libidini fræno, peccare deſiſtant. Bellum totis Regni ſui viribus adverſus Idumæos adortus Rex *Amaſias*, trecenta ſuorum millia armavit, quibus centum millia ex Regno Iſraelitico in auxilium accita, centum talentorum anticipata ſolutione, adjungere ſtatuerat. Sed, ad vocem unius Prophetæ prohibentis, ne talium militum, qui Deo erant exoſi, auxilio uteretur, confeſtim eos domum dimiſit, & Idumæos commiſſo certamine aggreſſus, inſignem, ſupremo favente Numine, victoriam de illis reportavit. Sed, o inauditam, & pluſquam belluinam ingratitudinem! Rex *Amaſias*, victoriæ, ſibi a Deo conceſſæ, plane immemor, Idola, quæ inter direptas hoſtium manubias reperta ſunt, cultu ac ſacris proſequi non erubuit, neque ab illa deteſtanda ſuperſtitione abſterrentem Prophetam auſcultare voluit, ſed eum conviciis & minis dure excepit. Sic rebus proſperis ac ſecundis ſolent inſoleſcere mortales, ac ferrea & ſaxea geſtantes pectora, beneficiorum Dei penitus oblviſci. Non diu tamen tantæ ingratitudini debitam ultionem diſtulit Deus. Et primo quidem pœnas dedit *Amaſias*, Rex Judæ, dum in prælio, quod inconſulte cum *Joaſo*, Rege Iſraelis, conſeruit, captus eſt, & perductus Hieroſolymam, in quam *Joaſus*, triumphantium more, ingreſſus eſt per labem muri, dirutis videlicet ad quadringentorum cubitorum longitudinem mœnibus, ut cum liberet, eamdem urbem cum ſuis copiis facilius ſubire poſſet. Nec his contentus victor Rex Iſrael, theſauros omnes, & ſacros & prophanos expilavit, *Amaſiam* Regem Judæ ſibi vectigalem fecit, acceptiſque primariorum civium liberis obſidibus, ſua relegit veſtigia, & Samariam reverſus eſt. Dein, *Amaſias*, Rex Judæ, poſtquam huic cladi per quindecim annos ſuperſtes fuiſſet, potius quam præfuiſſet, iterum pœnas luit. In eum quippe facta eſt valida Optimatum, & populi conjuratio, eo potiſſimum nomine, quod Rex *Amaſias* imprudentia, & ignavia ſua Regnum Judæ vectigale, ac tributarium Regi Iſraelis reddidiſſet. Quam injuriam ferre non valentes, in Palatium irruperunt, Regem ad mortem depoſcentes, cumque ipſe verſus *Lachim* civitatem arripuiſſet fugam, eum inſecuti ſunt, ibidemque cæciderunt, cum regnaſſet in Judæa annis viginti, ſicut narratur libro 4. Regum cap. 14. & lib. 2. Paralipomenon cap. 25.

D. Quem Regni Judæ hæredem ac ſucceſſorem reliquit Rex *Amaſias*?

M. Regni Judæ hæredem ac ſucceſſorem reliquit Rex *Amaſias* filium ſuum *Oziam*, ſive *Azariam*, annos dumtaxat ſexdecim natum, qui paternum Regnum adeptus, Deum ſincere coluit, *Zachariæ*, Prophetæ (qui alter fuit ab eo *Zacharia*, qui inter Minores Prophetas undecimus cenſetur) conſiliis plurimum uſus, & ab ipſo ad omnem ſanctimoniam probe informatus, præcipuam curam obſequendi præceptis Dei habuit, Regnumque feliciter ac proſpere, quamdiu Deo fidelis fuit, adminiſtravit, Philiſtæos, Arabes, & Ammonitas, divino tectus præſidio, debellavit. Urbem *Elath*, ad Mare Rubrum ſitam, & a Judæ Regno jampridem divulſam, ditioni adjecit, & ad neceſſitatem atque magnificentiam diligenter communivit. Alias munitiſſimas urbes *Jabniam*, *Getham*, & *Azotum*, machinis bellicis verberatas, vi cepit, ac ſpoliavit mœnibus. Firmiſſima præſidia, & oppida in terra hoſtili extruxit, eoque Judæorum colonias deduxit, ut tuti ac ſecuri agros colerent, victique Philiſtæi in officio continerentur. Urbem Hieroſolymam novis propugnaculis, munitionibus, & turribus ſolidiſſimis firmavit, aliiſque rebus præclare geſtis nomen ſuum tam longe lateque celebravit, ut Ægyptiis, aliiſque circum Gentibus formidandum eſſet. Tanta illa felicitate clarus Rex *Ozias*, ſui omnino oblitus eſt, nec Regio Sceptro contentus, thuribulo manum admovere, & ſacra jura, quæ ad ſolos pertinent Sacerdotes, ſibi in Templo arrogare ſacrilega temeritate præſumpſit. Sed id non impune tulit. Confeſtim ſiquidem lepra correptus, & e Templo a Sacerdotibus expulſus, reliquum vitæ tempus privatis in Ædibus, contubernio hominum prohibitus, miſere tranſegit, tranſlata in *Joathamum*, ejus filium, procuratione Regni Judæ, ac tandem toto vitæ ſuæ tempore inuſtam corpori ſuo turpem criminis notam ferens, mortuus eſt *Ozias* anno Regni quinquageſimo ſecundo, uti legitur lib. 4. Regum cap. 14. & lib. 2. Paralipomenon cap. 26. Felicem profecto Regem *Oziam*, ſi intra terminos, ſibi a Deo præſcriptos, permanſiſſet. *Alii* namque (ut ait *S.* J*oannes Chryſoſtomus* Homilia IV. de Verbis Iſaiæ: *Vidi Dominum*) *ſunt termini Regni*,

*alii*

*alii termini Sacerdotii . Hoc Regnum illo majus eſt ...... Regis corpora commiſſa ſunt , Sacerdoti animæ . Rex maculas corporum remittit ; Sacerdos autem maculas peccatorum . Ille neceſſitate . Hic conſilio . Ille habet arma ſenſibilia , hic arma ſpiritualia ..... Verum , Rex Ozias , ſeu tranſiliens ſepta , modumque Regni tranſgreſſus , conatus eſt aliquid addere , atque ingreſſus in Templum cum auctoritate incenſum adolere volens .* Ob hanc ſuperbiam, omnium vitiorum matrem , Deus Regem *Oziam* , intra Sacrorum veſtibulum tanta cum impudentia irrumpentem , lepra percuſſit , dignum ſane, qui mille fulminis ictibus , extremo ſupplicio, cruciatuque afficeretur , quandoquidem illi, qui hæc primum auſi ſunt , hanc dedere pœnam, videlicet *Dathan*, *Core* , & *Abiron*, multo magis Regem *Oziam* ad hunc modum puniri oportuit, qui ne illorum quidem calamitatibus a patrando illo ſacrilegio non fuit deterritus . Verum, hoc non fecit Deus, ſed in pœna, quam inflixit Regi *Oziæ* , ſeverum ſimul & bonum ſeſe exhibuit, ut ſimul & terrore & bona ſpe ad pœnitentiam excitaret eum, qui lapſus erat.

D. Utinam Reges ac Principes Laici , quibus Deus quæ ſunt in terris commiſit , nunquam ſacra jura & officia ſacerdotum temere ſibi arrogare præſumant, ſed potius diligenter ſatagant , ut ſemper ſarta tecta vigeat concordia Sacerdotii, & Imperii. At, ut nunc pie faciunt ſcire velim, an *Joathan*, quem patri ſuo *Oziæ* in Regno Judæ ſucceſſiſſe mox inſinuaſti ; pie , proſpereque regnaverit? & an patris ſui eruditus exemplo a ſacrorum contactu abſtinuerit?

M. Paternæ pietatis æmulator fuit *Joatham* , Rex Judæ, & ſacra Sacerdotum jura non invaſit, quod ſciret, patrem ſuum iram Dei in ſe provocaſſe , & lepræ obnoxium vitam finiiſſe quia adverſus ſacra adyta ſumpſit audaciam, in Sancta Sanctorum ſeſe ſuperbe intruſit , & hunc locum , qui omnibus , præterquam Summo Pontifici , erat inacceſſus, prohanare auſus eſt . Regni ſui exordium a rebus Religionem ſpectantibus auſpicatus eſt *Joathamus*, annos natus viginti quinque, & Templum Hieroſolymitanum ſumptuoſis ædificiis exornavit. Poſtea , ad bellum contra Ammonitas gerendum ſe accinxit, quos , bellicæ fortitudinis gloria illuſtris , domuit , & ſtipendium , ſeu Tributum , præſtare coegit . Obiit Rex *Joathamus* anno ætatis ſuæ quadrageſimo primo , cum regnaſſet annos ſexdecim . *Joathamo* in Regno Judæ ſucceſſit *Achas* , ejus filius , viginti annorum juvenis , ſed impius , & ad omnem ſuperſtitionem , & idololatriam projectus, ideoque Deo maxime inviſus , & ob ſua execranda delicta a Deo derelictus , & *Razini* , Regi Syriæ , & *Phacee* , Regi Iſraelis , caſtigandus traditus. Enim vero, duo illi Reges ſuas conjunxere vires, Hieroſolymam obſederunt, ſed eam expugnare haud potuerunt , uti prædixerat Propheta *Iſaias*, ſicut opportunius oſtendemus in Colloquio tertio in Hiſtoriam quintæ hujus Mundi Ætatis, ubi Prophetarum geſta & vaticinia breviter deſcribemus. *Razin* , Rex Syriæ , & *Phacee*, Rex Iſraelis , obſidionem Urbis Hieroſolymæ ſolvere coacti , in Regem *Achazum* acrius invecti ſunt, eique , ac toti Regno Judæ maximam cladem intulerunt . Prior ſiquidem , ſeu Rex Syriæ, *Achazum*, Regem Judæ , in urbem *Damaſcum* abduxit captivum. Alter vero , ſeu *Phacee* , Rex Iſraelis, centum & viginti millia hominum ex ditione Regis *Achazi* cæcidit , optima præda potitus eſt, & ducenta millia mulierum, & puerorum Samariam deportavit, quibus tamen , ad vocem *Oded* , Prophetæ ex Samaria vaticinantis, conceſſa eſt libertas , & facultas ſeſe Hiericuntem recipiendi . Nec ſolum duo illi Reges, ſcilicet, Syriæ, & Iſraelis, in *Achazum*, Regem Judæ, quem Deus deſtituerat , inſurrexerunt, verum etiam Idumæi, & Philiſtæi magnam Judæorum ſtragem ediderunt, multa ſpolia abſtulerunt , & civitates Regni Judæ facto impetu plurimas occuparunt. Tot finitimarum gentium bellis miſere attritus Rex *Achazus*, non ad Deum confugit, ſed in malitia ſua obduratus, *Teglatphalaſarem*, Aſſyriorum Regem, in auxilium accivit , & confeſtim ille Aſſyriorum Rex , magna ſpe prædæ, auri & argenti illectus, objectum hamum devoravit , Regi *Achazo* ſuppetias tulit , *Razinem*, Syriæ Regem , bello aggreſſus, *Damaſcum*, Regni Syriæ, Metropolim , expugnavit , diruit , incolas Cyrenem deportavit , *Razinem* , Regem , interfecit . Victorem *Teglathphalaſarem*, Regem Aſſyriorum, venientem Hieroſolymam, Rex *Achaz* non ſolum magnificentiſſime, ceu liberatorem ſuum , excepit, multoque auro , argentoque , tam ſacro, quam prophano , donavit , ſed etiam illius Regis gratiam , Patriæ Religionis deſertione, & Aſſyriaca Idololatriæ æmulatione magis ac magis promereri ſtuduit, juſſitque ut clauderetur Templum, & Idola per univerſam urbem ſpargerentur ac colerentur , ſicut colligitur ex capite 28. libri 2. Paralipomenon, ubi hæc leguntur: *Direptis itaque Achaz omnibus vaſis Domus Dei , atque confractis , clauſit januas Templi Dei , & fecit ſibi Altaria , in univerſis angulis Jeruſalem . In omnibus quoque urbibus Juda extruxit Aras ad cremandum thus , atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum ſuorum* . In hoc nefariæ mentis piaculo abiit e vivis *Achaz*, omnium Regum Judæ nequiſſimus anno ætatis ſuæ trigeſimo ſexto, Regni decimo ſexto, indignus habitus , cujus corpus ſepulchris Regum inferretur.

D. Vah ſceleſtiſſimum illum Regem Judæ *Achazum*! non tantum pœnis , quæ, dum viveret, in ejus caput incubuerunt, juſte a Deo caſtigatum , ſed etiam dignum , cujus familia tota extingueretur , ſicque ipſe abſque prole , quæ ei in Regno ſuccederet , moreretur!

M. Sunt nonnulli Scriptores, qui exiſtimant , *Ezechiam*, qui *Achazo* , Regi Judæ , ſucceſſit , non fuiſſe verum & naturalem filium *Achazi* , eo quod libri 2. Paralipomenon capite 28. dicitur *Achazum* , Idoli *Baalis* , cultorem , filios ſuos ritu gentium , igne luſtraſſe , ſeu flammis combuſſiſſe . Sed dubium non eſt , quin fal-

lantur iſti Scriptores. Nec enim *Achazus*, Rex licet impiiſſimus, combuſſit filios ſuos, ſed illos dumtaxat traduxit per ignem, hoc eſt, filios ſuos, juxta ſacrilegam Gentium ſuperſtitionem, igne luſtravit, & conſecravit Idolo *Molochi*, illos tamen in honorem illius Idoli holocauſto non conſumpſit. *Ezechias* igitur, qui *Achazo* in Regno Judæ ſucceſſit annos natus viginti quinque, verus ac naturalis fuit ejus filius, paterni tamen multum diſſimilis ingenii. Hic ſiquidem religioſiſſimus Rex, divinæ Legis zelo ſuccenſus, Deorum Statuas omnes ac fana disjecit, lucos ſuccidit, excelſa ſuſtulit, Altaria prophana demolitus eſt, Serpentem Æneum, olim a *Moyſe* in deſerto erectum, cui Populus Judaicus vana ſuperſtitione thus adolebat, confregit, ſoliuſque veri Dei cultum non modo in Regno Judæ, ſed in finibus Tribuum *Ephraim* & *Manaſſes* late propagavit. Sic ad religionem, verique Dei cultum converſis omnium animis, Levitas, Sacerdoteſque omnes ad celebranda, ſecundum Legem Moſaicam, Sacrificia ordinavit, & Paſcha, quod jam pridem fuerat omiſſum, celebrari inſtituit, illudque cum tanta ſolemnitate, & omnium, ad ſacrum conventum Hieroſolymam confluentium, publica lætitia peregit, ut ſolemnis adeo celebritas a diebus Regis *Salomonis* peracta Hieroſolymis non fuerit, ſicut legitur lib. 2. Paralipomenon capite 30. Nec minori induſtria, qua divina curavit Rex *Ezechias*, rem bellicam adminiſtravit. Philiſtæos frequentibus præliis ac cladibus contudit jugum Regis Aſſyrorum, quod pater ejus, volens nolens ſuſceperat, excuſſit, eique tributa negavit. Hinc *Sennacherib*, filius *Salmanaſaris*, Rex Aſſyriorum, bellum Regi *Ezechiæ* intulit, & magno cum exercitu Judæam ingreſſus, late agros vaſtavit, civitates munitiſſimas aut cepit, aut evertit; nulloque obſiſtente, urbem Hieroſolymam obſedit. Sed, Rex *Sennacherib*, accepto nuncio, quod Ægyptii, cum Æthyopibus fœderati, in Regnum Aſſyriorum irrupiſſent, hanc Hieroſolymorum obſidionem protinus ſolvit, arma in Ægyptios & Ætyopes vertit, iiſque magnam intulit cladem. Ab hac expeditione reverſus *Sennacherib* formidoloſum exercitum Hieroſolymorum mœnibus iterum admovet, ſuperbas ad Regem *Ezcehiam* Epiſtolas ſcribit, blaſphemat, minatur excidium, inſultat, maturam deditionem imperat. Interea temporis, Rex *Ezechias* dolore confectus, hoſtiſque viribus longe inferior non auſus manum conſerere, ferventiſſimis precibus divinum præſidium imploravit, & illico Deus ejus precibus annuens, Angeli opera centum octoginta Aſſyriorum millia in caſtris interfecit. Qua inexpectata ſtrage attonitus Rex *Sennacherib*, in oppidum Niniven trepidus confugit, ibique a filius occiſus dignum ſe tulit exitium. Lethali morbo decumbens Rex *Ezechias*, mortem, ſibi per prophetam *Iſaiam* denunciatam, fuſis ad Deum precibus & lacrymis avertit, ſanitatem, & vitæ, Regnique prorogationem, in quindecim annos obtinere meruit. De illius ſalute, miſſa honorifica Legatione Rex Babyloniorum *Merodach Baladan* gratulatus eſt. Sed Regi *Ezechiæ* theſauros ſuos nimio faſtu Oratoribus Babylonis oſtendenti, denunciavit Deus per Prophetam *Iſaiam* imminentem captivitatem Babylonicam, in quam poſteri ejus, atque Judæi abduci debebant. Mortuus eſt Rex *Ezechias* anno Regni ſui vigeſimo nono, & *Manaſſem*, filium ſuum Regni Judæ hæredem ac ſucceſſorem reliquit.

D. Preſtitne Rex *Manaſſes* religioſiſſimi patris ſui *Ezechiæ* veſtigia?

M. *Manaſſes*, Regno Judæ duodennis potitus, a patre ſuo *Ezechia*, pietate in Deum, cæteriſque virtutum officiis clariſſimo, multum degeneravit, plurimiſque horrendis ſceleribus ſeſe inquinavit, quæ poſtea, flagellis a Deo emendatus, & ad meliorem frugem converſus, precibus, lacrymis, & pœnitentia expiare, Deumque placare ſategit. Hæc autem ſunt nefanda crimina, quorum Rex *Manaſſes* reum ſe conſtituit, & quibus relicto Domino, in ſacra pariter & humana graſſatus eſt. In primis, nihil intentatum reliquit *Manaſſes*, ut Dei Legem violaret, cultumque poſſet funditus evertere. Excelſa, in quibus colebantur Idola, quæque pater ipſius *Ezechias* diruerat, reparavit, lucos, Idolorum cultui itidem deſtinatos, reſtituit, Aras *Baali* erexit; ſidera, tanquam Numina, veneratus eſt, illiſque conſecravit Altaria, filium ſuum per ignem, juxta ſuperſtitioſum Gentium ritum, traduxit, ariolos, pythones, augures, aruſpices, magorum, incantatorum, veneficorumque omne genus conſuluit, verbo dicam, nihil reliquum fecit Rex *Manaſſes*; ſuaſque curas eo potiſſimum contulit, ut patriam Religionem aboleret, ſuoque exemplo, & publicatis Edictis, populum in Idololatriam præcipitaret. Præterea, *Manaſſes* non tantum in Deum impius, ſed in homines crudelis fuit. Hieroſolymam quippe innumeris cædibus cruentavit, in Sacerdotes, & Levitas, qui ejus impietatem increpabant, truculenter ſæviit, ſed præſertim in Prophetam *Iſaiam*, qui, licet e Regio genere ortus, & centum circiter annorum ſenio venerandus, juſſu tamen immanis illius Regis, ſerra lignea a vertice per medium umbilicum diſſectus eſt. Hic vides depictam imaginem Tyranni, qui metu, dolo, ac malis artibus Regnum adminiſtrat, qui ſuſpectos habet & inviſos cives illos, qui pietate, virtute, prudentia, & auctoritate pollent, qui delectatur aut ſceleratis, quibus ad ſuæ Tyrannidis præſidium abuti poſſit, aut adulatoribus, a quibus audiat quod libenter facit, qui metui ſtudet, non amari; qui denique Leges divinas & humanas, fœdera, conſtitutiones, edicta, ſacra prophanaque vel contemnit, vel ad ſui capitis tutelam pertrahit, cum tamen hæc omnia publico bono metiri deberet. Talis fuit Rex *Manaſſes*, quem Deus flagellis emendare volens, tradidit in poteſtatem Aſſyriorum. Captus namque fuit *Manaſſes* a Principibus Exercitus, quem *Aſſaradinus*, Babyloniorum ſimul & Aſſyriorum Imperator, in Judæam miſerat, & compedibus vin-

vinctus Babylonem abductus eſt, ubi malis edoctus, toto pectore ad Deum converſus eſt, eoque propitio, poſt aliquot annos in integrum reſtitutus eſt a *Saoſduchino*, ſucceſſore *Aſſaradini*. Libertati ac Regno reſtitutus *Manaſſes*, in alium hominem immutatus eſt. Cultum Dei, quem peſſumdederat, reſtauravit, prophanas Aras ſolo æquavit, Idola confregit, omnia ſuperſtitionis impiæ monimenta abraſit, & populum, quem ſuo exemplo ſeduxerat, ad avitæ Religionis, divinæque Legis obſervantiam, facti pœnitens, reduxit, ac tandem mortuus eſt, cum annos quinque ſupra quinquaginta regnaſſet. Apocrypha eſt ea, quæ ad calcem Bibliorum edita eſt, *Manaſſis Oratio*. Patri ſuo *Manaſſi* ſucceſſit in Regno Judæ *Amon*, qui eum peccantem ſecutus eſt, ſed non pœnitentem. Falſorum Numinum cultum redintegravit, & nova ſimulachra, & Idololatriæ monumenta erigendo, Deum deſeruit, & ab ipſo viciſſim deſertus eſt. Hinc ſuorum conjuratione & inſidiis circumventus *Amon* cæſus eſt in Palatio, anno ætatis ſuæ vigeſimo quarto, poſtquam ſceleratiſſime ad biennium uſque regnaſſet.

D. Perſtititne diu deploratiſſimus ille ſtatus, ad quem Judæos redegit impius Rex *Amon*?

M. Funeſtum illum Judæorum, regnante nequiſſimo *Amone*, ſtatum, in quo neglectæ fuerunt ceremoniæ, divinæ Legis præcepta inſuper habita, ſacrorum Codicum prætermiſſa lectio, cultus veri Dei pene extinctus, & Idololatria latiſſime diffuſa; hunc, inquam, infauſtum Judæorum ſub impio Rege *Amone* ſtatum immutavit, & Regni Judæ decus reparavit piiſſimus Princeps *Joſias*, filius ejuſdem Regis *Amonis*, quique octennis tantum puer in paterno ſolio a populo conſtitutus eſt. Ad virtutem & pietatem a teneris annis factus Rex *Joſias*, ſumma cura, ut par erat, divina adminiſtravit, Idola deſtruxit, ſuccidit, contrivit, Excelſa, Lucos, & prophanas Aras, toties iniquo victimarum ſanguine pollutas, ſubvertit, vaſa omnia falſorum Numinum cultui olim conſecrata, ac ſingula Idololatriæ inſtrumenta juſſit amoveri e Templo Domini. Delevit etiam aruſpices, & ſacrificulos *Baalis*, Solis, Lunæ, ac Siderum, nulla reliquit Idololatriæ veſtigia, ſicque urbem Hieroſolymam, ac Templum repurgavit ac mundavit, ut hæc *Civitas Sancta*, illud vero *Sedes Dei* jure optimo dicerentur. Eo regnante, *Helcias* invenit librum Legis Domini autographum, ſeu *per Manum Moyſis* (ſicut legitur lib. 4. Regum c. 21. & lib. 2. Paralipomenon cap. 34.) cumque hunc librum coram *Joſia* legiſſet *Saphan*, Scriba, audiſſetque Rex *verba Legis*, *ſcidit veſtimenta ſua*, & indoluit maxime, quod Judæi ceremonias & præcepta Dei tandiu neglexiſſent, quod ne deinceps contingeret, librum Legis coram omni populo congregato in Templo Legi præcepit, fœdus Deum inter & populum innovavit, & accuratam divinæ Legis obſervationem populo perſuaſit, eodemque anno, ſeu decimo octavo Regni ſui, tanto apparatu Paſcha Hieroſolymis celebrandum indixit, ut teſtetur Scriptura, non eſſe factum Paſcha tale a diebus Judicum, & Regum Iſrael & Juda. Tandem Rex *Joſias* adverſus *Nechaonem*, Regem Ægypti, qui bellum Syriæ inferebat, prælium, inconſulto Deo, committere volens, priuſquam acies inter ſe concurrerent, ſagitta ictus eſt, & ex eo vulnere, in urbem relatus, deceſſit, cum regnaſſet in Juda annis triginta & uno.

D. Ne longius, quam par ſit, in texenda ſerie Regum Judæ, eorumque deſcribenda Hiſtoria noſtrum protrahatur Colloquium, breviter nunc, quæſo te, conſtringe omnia, quæ poſt mortem Regis *Joſiæ* ſub aliis Regibus Judæ contigerunt uſque ad captivitatem Babylonicam, ita tamen, ut, brevitati ſtudens, nihil ex eorum Regum Judæ geſtis, quod ſit memoria dignum, ſubducas.

M. Occiſo *Joſiæ*, Regi Judæ, in prælio Magedonnenſi, ſuffectus eſt *Joachazus*, ejus filius, qui tamen paucos poſt menſes a *Nechaone*, Rege Ægypti, exutus Regno, in Ægyptum captivus abductus eſt, ibidemque mortuus. Regi *Joachazo*, demortuo in Ægypto, *Nechao*, Rex Ægypti, ſucceſſorem dedit *Eliakim*, fratrem ipſiuſmet *Joachazi*, & alterum filium Regis *Joſiæ*, qui etiam *Joakim*, & *Jechonias* eſt nuncupatus. Hic autem Regnum Judæ per annos undecim varia & ancipiti fortuna tenuit, ſed tandem ab Ægyptiorum ſervitute, cui erat mancipatus, recedens, & *Nabuchodonoſori*, Chaldæorum Regi, cui ſe addixerat, fidem datam violare, & impoſitum ſibi jugum excutere volens, ab Exercitu *Nabuchodonoſoris*, ex turmis Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum conflato, captus & interfectus eſt anno undecimo Regni ſui, a quo ultimo Regni *Joakimi* anno, qui concurrit cum anno octavo Regni *Nabuchodonoſoris*, Chaldæorum Regis, exordium Judæorum captivitatis Babylonicæ, quæ ſeptuaginta annis duravit, duci debet, indeque nonnulli decipiuntur Chronologi, qui initium 70. annorum captivitatis Babylonicæ accerſunt ab anno undevigeſimo Regni *Nabuchodonoſoris*, & ab anno undecimo ultimi Regis Judæ, ſeu *Sedekiæ*, quando videlicet *Nabuchodonoſor*, Rex Chaldæorum, miſit Ducem *Nabuzardam*, qui ſacrum Templum, domos, muroſque Civitatis Hieroſolymæ diruit, evertit, incendit, ac ſolo æquavit, ſicut Sacræ Literæ produnt lib. 4. Regum cap. 25. Sed de exordio & fine ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, opportunius, propitio Numine, differemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis. Redeamus itaque ad ſeriem Regum Judæ. *Eliakim*, Rex Judæ, qui, ut mox diximus, anno Regni ſui undecimo ab Exercitu *Nabuchodonoſoris*, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum Regis, occiſus eſt, reliquit filium binominem, dictum *Joakim*, & *Jechoniam*. Sed hic paternæ impietatis hæres, tribus menſibus in Regni adminiſtratione exactis, deportatus eſt in Babylonem, & in ejus locum ſubrogatus eſt *Mathanias*, dictus *Sedekias*, patruus Regis *Joachimi*, in Babylonem deportati, filiuſque Regis *Joſiæ*. Hic eſt ille *Sedekias* ultimus Judæ Rex, qui anno undecimo Regni ſui occæcatus, & vinctus in

capti-

captivitatem Babylonicam ductus eſt. Eodem anno undecimo Regni *Sedechiæ* venit Hieroſolymam *Nabuzardan*, Exercitus Babylonici Princeps, qui Templum, Regiam, domos univerſas concremavit, urbis mœnia circumquaque evertit, & Hieroſolymis homines dumtaxat tenuioris fortunæ colendis agris vineiſque reliquit, quibus *Godoliam* præfecit. Sed *Godolia* cum pluribus Judæis, & Chaldæis ab *Iſmaele*, Ammonita, occiſo, reliqui Judæi, qui Hieroſolymis remanſerant, profecti ſunt in Ægyptum, ſocios ſe eis adjungentibus Prophetis, *Hieremia* & *Barucho*, qui ſub Regibus *Joakimo*, & *Sedekia* imminentem captivitatem Babylonicam, & conflagrationem Templi prædixerant, ob idque ab illis Regibus, qui lucentem veritatem amabant, oderant redarguentem, variis, acerbiſque pœnis affecti ſunt, ſicut commodius oſtendemus in tertio Colloquio in Hiſtoriam quintæ hujus Mundi Ætatis, ubi data opera illuſtriora Prophetarum Geſta referemus, eorumque vaticinia expendemus. Habes nunc ſeriem & Hiſtoriam Regum Judæ, a quarto anno Regni *Salomonis* uſque ad *Sedekiam*, qui fuit ultimus Regum Judæ.

D. Memoria quidem teneo Hiſtoriam Regum Judæ uſque ad *Sedekiam*, qui fuit ultimus, & in quo nobiliſſimum Judæ Regnum omnino extinctum eſt, ita volente Deo, qui, ut ait Scriptura Sacra, *mutat tempora & ætates, & transfert Regna atque conſtituit*. Optarem tamen, ut, ad meæ memoriæ ſubſidium hic infereres accuratam Tabulam Chronologicam, quæ mihi indigitaret annum a creatione Mundi, quo Reges Judæ a *Davide* uſque ad *Sedekiam*, Regnum inierunt, & quot annos Regno potiti ſunt.

M. Tabulas Chronologicas a creatione Mundi uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, memini, me jam in præcedentibus Colloquiis, juxta calculum ſacri Textus Hebræi, contexuiſſe; nunc, ut votis tuis faciam ſatis, inhærendo eidem Chronologiæ, quam in putandis annis a creatione Mundi accuratiorem tradidi in ſingulis Mundi Ætatibus, attexam Tabulam Chronologicam, quæ tibi indicabit annum Mundi, quo Reges Judæ a *Davide* uſque ad *Sedekiam* Regnum inierunt, & quot annos Regno potiti ſunt.

## TABULA CHRONOLOGICA

### REGUM JUDÆ,

*A Davide uſque ad* Sedekiam.

DAvid Regnum Judæ iniit anno a creatione Mundi ter milleſimo ſeptuageſimo quinto. Regnavit quadraginta annis, & obiit anno Mundi ter milleſimo centeſimo decimo quinto ante Æram vulgarem, ſeu ante Natale vulgare Chriſti, anno milleſimo vigeſimo quarto.

*Salomon* Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo decimo quinto. Regnavit annis quadraginta, & exceſſit e vivis anno Mundi ter milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto, ante Æram vulgarem anno nongenteſimo octogeſimo quarto.

*Roboamus* Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo, centeſimo quinquageſimo quinto. Regnavit annis ſeptemdecim, & vita functus eſt anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, ante Æram vulgarem anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

*Abias* Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo. Regnavit tribus annis, & abiit e vivis anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, ante Æram vulgarem anno nongenteſimo ſeptuageſimo quarto.

*Aſa* Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto. Regnavit annis quadraginta & uno, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo decimo ſexto, ante Æram vulgarem anno nongenteſimo vigeſimo tertio.

*Joſaphat* Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo decimo ſexto. Regnavit annis viginti quinque, & obiit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo nonageſimo octavo.

*Joram* Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo. Regnavit octo annis, & deceſſit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono, ante Æram vulgarem octingenteſimo nonageſimo.

*Ochozias* Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono. Regnavit uno dumtaxat anno, & obiit e vivis anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo octogeſimo nono.

*Athalias* mater *Ochoſiæ*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quinquageſimo. Regnavit ſex annis, & interfecta eſt anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo octogeſimo tertio.

*Joas* Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto. Regnavit annis quadraginta, & diem ultimum clauſit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo quadrageſimo tertio.

*Amaſias*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto. Regnavit annis viginti novem, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo decimo quarto.

*Oſias*, ſeu *Azarias*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto. Regnavit annis quinquaginta duobus, & vitam cum morte commutavit anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, ante Æram vulgarem anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo.

*Joathas*, Regnum Judæ auſpicatus eſt anno

Mundi ter milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Regnavit ſexdecim annis, & obiit anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, ante Æram vulgarem anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto.

*Achaz*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio. Regnavit ſexdecim annis, & migravit e vita anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nono, ante Æram vulgarem anno ſeptingenteſimo trigeſimo.

*Ezechias*, Regnum iniit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nono. Regnavit annis viginti novem, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, ante Æram vulgarem anno ſeptingenteſimo primo.

*Manaſſes*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo. Regnavit annis quinquaginta quinque, & obiit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, ante Æram vulgarem anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto.

*Amon*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio. Regnavit duobus annis, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto, ante Æram vulgarem anno ſexcenteſimo quadrageſimo quarto.

*Joſias*, Regnum Judæ inivit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto. Regnavit annis triginta & uno, vitaque functus eſt anno Mundi ter milleſimo vigeſimo ſexto, ante Æram vulgarem anno ſexcenteſimo decimo tertio.

*Joachaz*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, quod tamen per tres dumtaxat menſes deguſtavit, eoque fuit exutus a *Nechaone*, Rege Ægypti. Quo fit, ut tres illi menſes Regni *Joachazi* confundantur cum annis Regni *Eliakim*, qui fuit ejus frater, & in Regno Judæ ſucceſſor.

*Eliakim*, qui *Joakim*, & *Jeconias*, dictus eſt, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto. Regnavit undecim annis, & interiit anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo ante Æram vulgarem anno ſexcenteſimo ſecundo. Ab hoc anno undecimo Regni hujus *Eliakim*, ſeu *Joakim*, duci debet initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ. *Joakim*, dictus etiam *Jechonias*, poſt mortem patris ſui *Eliakim*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo. Sed cum regnaſſet per tres tantum menſes, captivus in Babylonem abductus eſt, ideoque tres illius Regis menſes computantur cum annis *Sedechiæ*, illius patrui, & in Regno Judæ ſucceſſoris.

*Sedekias* Regum Judæ ultimus, iniit Regnum Judæ anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo. Regnavit undecim annis, & anno Regni ejus undecimo, qui concurrit cum anno decimo nono Regni *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis. Hieroſolymitana Civitas a *Nabuzardane*, Exercitus Regis *Nabuchodonoſoris* Principe, devaſtata, & incenſa eſt, Rex *Sedekias* in Babyloniam, ubi regnabat *Nubuchodonoſor*, deportatus eſt, ac penitus a Chaldæis everſum auguſtiſſimum Templum Hieroſolymitanum, poſtquam a Rege *Salomone* condi cœptum eſt, annis ccccxviii. ab initio autem Regni *Davidis* anno ccccLxii. a creatione vero Mundi juxta accuratiorem, quam ſequor, Chronologiam anno ter milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

D. De Regno Judæ, ejuſque Regibus hactenus ſatis. Veniamus nunc ad Regnum Iſraelis, ita dictum, quod ſicut antea obſervaſti, decem Tribus, durius Regis *Roboami*, filii, *Salomonis*, jugum excutientes, ab eo defecerunt, & novum Regnum Iſraelis, a Regno Judæ omnino diſtractum, conſtituerunt, ſibique *Jeroboamum* Regem præfecerunt. Ea igitur, quæ ſpectant Regnum Iſraelis, expendamus, ſi placet. Sed, ne in tanta argumenti amplitudine ultra præſcriptos brevitatis cancellos noſtrum excurrat Colloquium, abunde ſufficiet hic ſubjicere Tabulam Chronologicam, in qua ſtrictim deſcribes initium iſtius Regni Iſraelitici, ſeriem Regum, annos, per quos Regnum tenuerunt, præcipua eorum geſta, ac tandem ejuſdem Regni Iſraelis everſionem.

M. Poſtquam decem Tribus a Rege *Roboamo* defeciſſent, accerſiverunt ex Ægypto *Jeroboamum*, Ephraimitam, *Nabati* filium, eumque ſibi præfecerunt Regem, nec ſolum a domo *Davidis*, Regis, ſed a veri Dei cultu deſciverunt, & in Idololatriam prolapſi ſunt. Hoc pacto unum illud, quod ante *Roboamum* erat apud Judæos Imperium, in duo Regna, ſub initium Regni *Roboami*, diſtractum eſt, & ſi ita loqui fas eſt dilaceratum. Uni, ſeu Regno Judæ, quod duabus Tribubus, ſeu *Judæ*, & *Beniamini* conſtabat, præfuit Rex *Roboamus*; alteri vero, ſeu Regno Iſraelis, quod decem reliquas Tribus complectebatur, præpoſitus eſt *Jeroboamus* cujus geſta, & in Regno Iſraelitico ſucceſſorum ſeriem, annos, & Acta uſque ad integram illius Regni Iſraelitici deſtructionem breviter, ut optas, annotabo in ſequenti Tabula Chronologica Regum Iſrael. Hoc unum tamen velim in anteceſſum obſerves, id potiſſimum occurrere diſcriminis Reges Judæ inter & Reges Iſraelis, quod inter Reges Judæ fuerunt quidem nonnulli peſſimi, ſed aliqui tamen optimi & religioſiſſimi Reges, ſicut ſuperius oſtendimus; contra vero, omnes ad unum Reges Iſrael ſeſe omnibus flagitiis abominandis Gentium ſuperſtitionibus, & Idolorum cultu infames reddiderunt.

## TABULA CHRONOLOGICA
## REGUM ISRAEL,

*In qua breviter annotantur eorum anni, & præcipua geſta uſque ad integram Regni Iſraelitici everſionem.*

J*Eroboamus*, Ephraimita, qui fuerat ſervus *Salomonis*, cuique Regnum prædixerat *Abias* Silo-

Silonites, Propheta, conſtitutus eſt primus Rex Iſraelis a decem Tribubus, quæ a Rege *Roboamo* defecerunt. Porro *Jeroboamus*, qui *Therſæ* Regiam ſuam collocavit, ut Gentem ſibi Regnumque firmaret, omnemque Iſraelitis, quibus imperabat, aditum præcluderet ad Templum Hieroſolymitanum, & ad Regem Judæ recurſum, impio conſilio, & ſacrilega uſus politica, eos nova ſacrorum ſpecie a Templo Hieroſolymitano adeundo, & a defectione ad Regem Judæ avertit, duobus aureis Vitulis, qui ab inſano, deluſoque populo colerentur, erectis, uno in *Bethel*, altero in *Dan*. Regem *Jeroboamum* Vitulo aureo litantem ſuper Altare, quod extruxerat in *Bethel*, graviter quidem increpuit Propheta (quem *Jadonem appellat Joſephus*, Hebræus) eumque inſigni miraculo, quo ejus manus confeſtim exaruit, deterruit Deus; ſed, poſtquam inflictæ illius pœnæ gratiam *Jeroboamus*, ad preces converſus, obtinuiſſet a Deo, ad ſaniorem mentem non rediit, ſed in Schiſmate, quod in Religione fecerat obfirmato animo perſiſtens, fana in excelſis excitavit, Sacerdotes *Aaronis* & Levitas rejecit, & de levi plebecula promiſcue aſſumpſit Sacerdotes Idolorum. Quo factum eſt, ut Sacerdotes *Aaronis*, & Levitæ prædiis ſuburbanis, & poſſeſſionibus ſuis deſertis, in Judæam ſeſe receperint, eoſque multi ex decem Tribubus ſecuti ſint, ut Hieroſolymis Deo Majorum ſuorum ſacrificarent. Obiit *Jeroboamus*, impius Rex Iſraelis, poſtquam regnaſſet annis viginti duobus.

*Nadab*, *Jeroboami* filius, ei in Regno Iſraelis ſucceſſit, fuitque paternæ impietatis hæres. Sed anno Regni ſui ſecundo cum *Gebbethonem*, Philiſtæorum urbem, obſideret, a *Baaſa* occiſus eſt. Regnavit dumtaxat annis duobus.

*Baaſa*, interfector *Nadab*, ei in Regno Iſraelis ſucceſſit, totam Regis *Jeroboami* ſtirpem extinxit, ſecundum Prophetæ *Abiæ* Silonitis vaticinium, cumque animadvertiſſet, *Aſam*, Regem Judæ, avitam Religionem, Deique cultum inſtauraſſe, & multos in ſuo Regno Iſraelitico ad eum, Religionis cauſa defeciſſe, ut in fœdus Dei convenirent, & Idola abjicerent; perpetuum cum illo Rege Judæ bellum indixit. Urbem *Ramam* Regni Judæ occupavit, dumque eam munire, & muro circumdare pararet, ut impediret, ne quis e Hieroſolymis egrederetur, aut e Regno ſuo adiret *Aſam*, Regem Judæ: urgente *Benadado*, Syriæ Rege, qui cum *Aſa*, Rege Judæ, erat fœderatus, cœptas urbis *Ramæ* munitiones penitus deſerere coactus eſt. Idolorum cultui addictiſſimus fuit *Baaſa*, Rex Iſrael, cumque *Jehu* Propheta execrabile illud crimen ei exprobraret, & ipſi ac toti ſtirpi ejus integrum excidium denuntiaret, par huic, quod intulerat ſtirpi *Jeroboami*; hujus reprehenſionis impatiens ille impius Rex, adeo ira excanduit, ut hunc ſanctum Prophetam illico occiderit. Obiit *Baaſa*, Rex Iſrael, poſtquam regnaſſet annis viginti tribus.

*Ela*, filius *Baaſæ*, ei in Regno Iſraelis ſucceſſit. Sed cum eſſet omnibus vitiis deditus, bibens, ac temulentus in domo *Arſæ*, Præfecti urbis *Therſæ*, oppreſſus eſt a *Zamri*, ſervo perduelli, qui, juxta vaticinium Prophetæ *Jehu* totam Regis *Baaſæ* familiam delevit. Duobus ſolum annis *Ela* regnavit ſuper Iſrael.

*Zamri*, infamis parricida *Elæ*, Regnum Iſraelis actutum occupavit, & per ſeptem dies in urbe *Therſa* tyrannidem exercuit, ſed populus caſtra habens contra *Gebbethonem* Philiſtæorum urbem elegit *Amri*, qui erat Princeps militiæ, quo *Therſam*, ubi erat tyrannus, obſidente, ad has anguſtias redactus eſt *Zamri*, ut deſperata ſalute, ſe ſuoſque una cum Palatio combuſſerit.

*Amri*, quem populus Regem Iſraelis elegerat, habuit, poſt mortem Tyranni *Zamri*, unum ejuſdem Regni æmulum; ſeu *Thebnem*, filium *Ginathi*. Prævaluit tamen Rex *Amri*, & mortuo, quatuor poſt annos, æmulo ſuo *Thebni*, ſolus in Iſraele regnare cœpit, & poſtquam Therſæ regnaſſet ſex annis, regni Iſraelis ſedem tranſtulit Samariam, quam ædificavit in monte, quem emit a *Somer* duobus talentis argenti. Regnavit in integrum *Amri* annis duodecim, & exceſſit e vivis, & Samariæ ſepultus eſt.

*Achab*, mali Regis *Amri* peſſimus filius, ei in Regno Iſraelitico ſucceſſit, omneſque Reges Iſraelis crudelitate, & impietate longe ſuperavit. *Jezabelem*, filiam *Ethbaal*, Regis Sidoniorum, inferni furiam, duxit in matrimonium, ejuſque inſtinctu Idolo *Baali* Aram, Lucoſque conſecravit. Hæc eſt ſceleſtiſſima juxta ac crudeliſſima *Jezabel*, quæ *Nabothum*, vineam ſuam Regi *Achabo* vendere nolentem, falſis teſtibus oppreſſum lapidari curavit, & conculcatis divinis, humaniſque Legibus, Regem *Achabum*, virum ſuum, in vineæ *Nabothi* poſſeſſionem miſit. Quamobrem, Propheta *Elias* impio Regi *Achabo* cum tota ejus poſteritate, nec non ſceleſtiſſimæ *Jezabeli* ipſius conjugi, excidium denuntiavit, quod diu non fuit dilatum, *Achabus* ſiquidem bellum Syris illaturus, in prælio, ad *Ramoth Galaad* commiſſo, licet habitum diſſimulaſſet, occiſus eſt, juxta vaticinium Prophetæ *Michææ*, quem nequiſſimus ille Rex de futuro belli exitu antehac conſuluerat. Poſt vero elapſos aliquot annos *Jezabelem*, Regis *Achabi* uxorem, e feneſtra proſpicientem *Jehu*, qui tum erat Rex Iſrael, deturbari juſſit, & in eam, ab equis prius calcatam, irruentes canes ſecundum Prophetæ vaticinium, prædam devorarunt, nihil præter calvariam, & manuum, pedumque extrema relinquentes. Mox idem *Jehu*, Rex Iſrael, ſeptuaginta Reges *Achabi* filios e medio tolli imperavit, & quadraginta cognatos *Ochoziæ*, filii *Achabi*, ſuique in Regno Iſraelis deceſſoris letho dedit, ſicque totam impii Regis *Achabi* ſtirpem radicitus extirpavit. Viginti duobus annis regnavit ſuper Iſrael *Achabus*, obiitque, & Samariæ ſepultus eſt. Impietati Regis *Achabi*, ejuſque uxori *Jezabeli*, ſeſe tanquam murum æneum oppoſuit Propheta *Elias*, multaque inſignia edidit miracula. Sed de *Elia*, aliiſque Prophetis diſſerendi opportunior ſeſe dabit occaſio in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujus quintæ Mundi Ætatis, ubi

Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate tam ſub Regibus Judæ, quam ſub Regibus Iſrael vaticinati ſunt illuſtriora Geſta, & Oracula, quæ ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, collimant, referemus.

*Ochozias* in Regno Iſraelis ſucceſſit patri ſuo *Achabo*. Is cum æger corpore eſſet, miniſtros miſit, qui *Beelzebud*, Accaronitarum Deum, pro ſalute ejus recuperanda conſulerent. Legationem illam Propheta *Elias*, a Deo monitus, vehementer improbans, obviam ſe miniſtris Regis obtulit, illoſque increpitos renunciare ei jubet, mortem illius conſequuturam. Tum Rex ira percitus, multos miſit ſatellites, qui *Eliam* comprehenderent, eumque ad ſe vel invitum deducerent. Sed miſſi illi ſatellites cæleſti igne ad vocem Prophetæ *Eliæ* conſumpti ſunt, & Rex *Ochozias*, ut idem prædixerat Vates, mortuus eſt, poſtquam biennium in adminiſtratione Regni Iſraelitici exegiſſet.

*Joramus*, frater *Ochoziæ*, qui abſque prole defunctus eſt, ei in Regno Iſraelis ſucceſſit, & *Jeroboami* in Vitulorum cultu, firmandoque ſchiſmate impietatem imitatus eſt. Bellum contra Moabitas, fœderatus cum *Joſaphato*, Rege Judæ, & Idumæorum Rege, feliciter geſſit, Propheta *Eliſæo*, ei, in gratiam Regis *Joſaphati*, victoriam prædicente, ejuſque exercitui, in Idumææ Deſerto, ſiticuloſa regione, potus inopia periclitanti, ſubveniente, eique miraculoſe aquam a Deo impetrante. *Joramus* a *Jehu*, ab Exercitu Rege Iſraelitarum acclamato & inaugurato, occiſus eſt, cum Regno Iſraelis præfuiſſet annis duodecim.

*Jehu*, qui Regi *Joramo* mortem intulit, Regnum Iſraeliticum adeptus eſt, & ſtatim totam ſtirpem impii Regis *Acabi*, ut mox obſervavimus, funditus delevit. Sacrificulos etiam omnes *Baalis*, quos, ſimulando per dolum, ſe hoc Idolum colere velle, eique ſolemne offerre ſacrificium, unum in locum congregavit, & jugulari præcepit, ſimulachrum ſuccendit, prophanam ædem demolitus eſt. At, iſta ſimulatio, qua Rex *Jehu* finxit, ſe Idolum *Baalis* colere velle, merito a ſanctis Patribus damnatur, quia fuit mendacium pernicioſum, ſcandalum publicum, & profeſſio Idololatriæ, ſicut *S. Auguſtinus* lib. *contra Mendacium* cap. 2. probat contra Hæreticos *Priſcillianiſtas*, qui hoc *Jehu* exemplo ad occultandam Religionem fas eſſe adhibere mendacium perperam contendebant. Idem cum S. *Auguſtino* docet Angelicus Doctor 2. 2. Quæſt. 3. Art. 1. ad 2. ubi hæc habet: *Simulationem vero Jehu non eſt neceſſe excuſari a peccato, vel mendacio, quia malus fuit, ut pote ab Idololatria Jeroboam non recedens*. Quando igitur Scriptura Sacra cap. 10. v. 30. lib. 4. Regum ait, *Jehu* Regem Iſraelis, a Deo fuiſſe commendatum, & præmio temporali donatum, id de dolo, & ſimulatione Regis *Jehu* minime eſt intelligendum, ſed de zelo, quo ille Rex deſtruxit cultum *Baalis*, ſicut loco mox a me laudato explicat *S. Thomas*, dicens: *Jehu commendatur, & temporaliter remuneratur a Deo, non pro ſimulatione, ſed pro zelo, quo deſtruxit cultum Baal*. Qua in re *S. Thomas* conſentientem habet *S. Auguſtinum*, qui lib. *contra Mendacium* cap. 2. hæc de *Jehu*, Rege Iſraelis, ſcribit: *Cum vero ſcriptum ſit, eum rectum cor non habuiſſe cum Deo: quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam Regni temporalis accepit*. Quamvis autem *Jehu*, Rex Iſraelis, cultum *Baalis* aboleverit, omneſque illius Idoli ſacrilegos Sacerdotes e medio ſuſtulerit, attamen a *Jeroboami* colendis aureis vitulis nequaquam receſſit, ſed quamdiu regnavit, jam apud Iſraelitas inveteratæ Idololatriæ patrocinatus eſt. Obiit *Jehu*, Rex Iſraelis, cum annos regnaſſet viginti octo.

*Joachaz*, Regis *Jehu* filius, ei in Regno Iſraelis ſucceſſit. *Jeroboami* vitulorum aureorum cultui addictiſſimus fuit, & propter hanc ſuperſtitionem, ab *Hazaele*, Rege Syriæ, fuit oppreſſus, multiſque malis una cum Iſraelitis afflictus eſt & attritus. Obiit, poſtquam regnaſſet annis ſeptemdecim.

*Joas*, filius Regis *Joachazi*, ei in Regno Iſraelitico ſucceſſit. Æmulator quidem paternæ impietatis, patre tamen felicior. Vicit enim tribus præliis *Benadadum*, Syriæ Regem. Regnum Iſraelis obtinuit Rex *Joas* per ſexdecim annos, & mortuus eſt.

*Jeroboamus*, ſecundus hujus nominis Iſraelitarum Rex, filius *Joaſi*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Iſraelis. Sub hoc Rege *Jeroboamo II.* qui Regno Iſraelitico præfuit annis quadraginta & uno, ad ſummum culmen perductum eſt Regnum Iſraelitarum. Sed eo mortuo, omnia in pejus ruere cœperunt, multis exortis motibus, qui primum ruinæ domus *Jeroboami*, dein, Regni totius Iſraelitici prævii fuerunt induxeruntque Anarchiam, ſeu Interregnum, quod undecim annorum & dimidii ſpatio continuatum eſt.

*Interregnum* poſt mortem Regis *Jeroboami II.* duravit apud Iſraelitas per annos circiter duodecim.

*Zacharias*, filius Regis *Jeroboami II.* poſt elapſum illud annorum circiter duodecim Interregnum, ei ſucceſſit in Regno Iſraelitico, paternæ impietatis hæres. Sed duntaxat per ſpatium ſex menſium Regno potitus eſt, & poſt iſtud tempus ſemeſtre a *Sellumo*, filio *Jabes*, trucidatus eſt. In hoc *Zacharia*, Rege Iſraelis, defecit omnino poſteritas *Jehu*, Regis Iſraelis, quarta nimirum generatione, ſicut Deus prædixerat lib. 4. Regum cap. 10. v. 30.

*Sellumus*, filius *Jabes*, Regnum Iſraeliticum, quod parricidio invaſerat, unico tantum menſe occupavit, & poſt illud menſtruum tempus occiſus eſt a *Manahemo*, filio *Gadi*.

*Manahemus*, Regnum Iſraeliticum parricidio itidem aſſecutus, turbato rerum ſtatu, de Regni poſſeſſione per undecim fere menſes contendit, ſed poſtea per decem annos pacifice regnavit, & mortuus eſt.

*Phaceja*, filius Regis *Manahemi*, ei in Regno Iſrae-

Iſraelitico ſucceſſit, cumque per biennium regnaſſet, conjuratione *Phacee*, filii *Romeliæ*, e vivis ſublatus eſt.

*Phacee*, filius *Romeliæ*, interempto Rege *Phaceja*, Regnum Iſraeliticum occupavit, quod poſtquam per viginti annos adminiſtraſſet, conjuratione *Oſee*, filii *Elæ*, occiſus eſt.

*Oſee*, Regum Iſraelis ultimus, interfecto Rege *Phacee*, Iſraeliticum Regnum uſurpavit, ſed emergentibus turbis & ſeditionibus eo ſtatim potiri haud potuit, Republica ad Anarchiam quamdam, ſeu Interregnum, per novem annorum ſpatium recidente, ſed turbis domeſticis poſtea compoſitis regnavit novem annis, & ſub finem anni noni illius pacifici Regni Samariam expugnavit & cepit *Salmanaſar*, Rex Aſſyriorum, totum Regnum Iſraeliticum ſuam in poteſtatem redegit, & Iſraelitas, ſeu decem Tribus, quæ Regnum Iſraeliticum conſtituebant, deportavit in Aſſyriam, ſicut prædixerant Prophetæ, præſertim *Iſaias* cap. 7. v. 8. Hoc pacto, Regnum Iſraeliticum, quod a *Jeroboamo* primo Rege per defectionem Tribuum a *Roboamo*, Rege Judæ, exordium habuit, plane extinctum eſt in *Oſee*, ultimo Iſraelitarum Rege, non ob aliam certe cauſam, niſi quia omnes Reges Iſraelis, peſſimis moribus imbuti, Deum patrum ſuorum reliquerunt, coegeruntque Iſraelitas malos & impios fieri, vel ex hoc ipſo, quod illos a Deo, & ab avita Religione averterunt, ut falſorum Numinum Idola colerent. Quam in rem hæc appoſite lib. 5. *Divin. Inſtitut.* cap. 6. *Lactantius* ait: *Quid mirum, ſi omnis multitudo inſolito metu preſſa, in unius* (id eſt, Regis) *adulationem conceſſerat? hunc venerabantur, huic honorem maximum deferebant. Et quoniam mores ac vitia Regis imitari genus obſequii judicatur, abjecerunt omnem pietatem, ne exprobrare Regi ſcelus viderentur, ſi pie viverent. Sic aſſidua imitatione corrupti divinum fas reliquerunt, & paulatim male vivendi conſuetudo, mos factus eſt ....... Sed exploſa juſtitia, & veritatem ſecum trahens, reliquit hominibus errorem, cæcitatem, & ignorantiam. Hæc autem expulſio juſtitiæ, nihil aliud, quam deſertio divinæ Religionis putanda eſt &c.* Sed de Regibus Iſraelis, quorum ſeriem, geſta, & annos in iſta Tabula Chronologica breviter deſcripſimus, ſat ſuperque dictum ſit.

D. Præclaram hic protuliſti *Lactantii* Sententiam, & dignam ſane, quæ in Aulis Regum ac Principum literis aureis inſcriberetur. Vere enim *Lactantius* ait, deſertionem divinæ Religionis & defectionem ad Deorum cultum eſſe fontem omnium malorum. Quæ eſt enim ſuperſtitio Deorum? quæ vis? quæ diſciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ ſubſtantia? quo tendit? quid docet, niſi ſacrilegia & impietatem? aut quid pollicetur niſi caducas & obſcænas voluptates, honores, & divitias? quæ omnia damnat divina Religio, quæ a ſuis cultoribus exigit bonam mentem, purum pectus, innocentem vitam, ut cæleſtia, quæ illis promittit, bona conſequantur. Sed animadverto, imminere tempus Colloquio noſtro finem imponendi. Quocirca, te etiam atque etiam rogo, ut quidquid ſupereſt temporis impendas in tradenda notitia rerum, quæ ſpectant Hiſtoriam prophanam, quæque cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis affinitatem aliquam habere, vel ad eam illuſtrandam conducere poſſunt.

M. Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis multam affinitatem habet cum Hiſtoriis Tyriorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Medorum, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, Græcorum, & Romanorum. Cum igitur ex illarum Gentium Hiſtoriis haud parum adverſus Atheos & incredulos confirmari poſſit veritas & antiquitas Hiſtoriæ Sacræ, breviter res dumtaxat hic prælibabimus, quæ in iſtarum Nationum Hiſtoriis aliquam cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis affinitatem, ſeu connexionem habere poſſunt. Nec enim animus eſt integras harumce Gentium Hiſtorias, & Regum, qui eis præfuerunt, ſeriem lato calamo hic deſcribere, cum nos in tam amplo verſari argumento non patiantur noſtrorum Colloquiorum anguſtiæ. Si tamen harum rerum uberiorem habere notitiam deſideres, conſulere poteris, ſi tibi per otium liceat, *Annales Veteris Teſtamenti*, quos edidit *Uſſerius*.

D. Incipe, quæſo, a rebus Tyriorum, quæ aliquam cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis affinitatem habent.

M. Per illud tempus, quo ambobus Hebræorum Regnis *Judæ* videlicet & *Iſraelis*, præfuerunt Reges, quorum ſeriem jam in Tabulis Chronologicis dedimus, ac longo, poſt utrumque extinctum Regnum, ſpatio, regnatum eſt apud urbem *Tyrum*, Sidoniorum coloniam, quam annis ducentis & quadraginta ante conditum a Rege *Salomone* Hieroſolymitanum Templum fundatam fuiſſe, ex Tyriorum Annalibus prodit *Joſephus*, Hebræus, lib. 8. Antiq. Jud. cap. 2. In iis Tyriorum Annalibus fit mentio Regis *Salomonis*, & *Hiromi*, ſeu *Hirami*, Regis Tyriorum, qui, ut dicitur lib. 3. Regum cap. 5. conceſſit *Salomoni* cæſores lignorum ad Templi Hieroſolymitani conſtructionem. Plures Epiſtolas a Rege *Salomone* ad *Hiramum*, Regem Tyriorum, & viciſſim ab *Hiramo* ad Regem *Salomonem* ultro citroque ſcriptas fuiſſe aſſerit idem *Joſephus* cap. 2. lib. 7. Antiquit. Judaic. aitque, eum, qui vult habere exempla harumce Epiſtolarum, petere ea poſſe a publicis Tyriorum Archivorum cuſtodibus. Referuntur etiam cap. 5. lib. 3. Regum, & cap. 2. lib. 2. Paralypomenon Literæ, quas ad *Hiramum*, Regem Tyri, *Salomon* ſcripſit, ut mitteret ad eum *ligna cedrina & arceuthina, & pinea de Libano*, promittens ei, ſe ſervis illius, ſeu operariis, qui ligna cæſuri erant, daturum *in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque ſata viginti millia*. Rejici tamen debet tanquam plane commentitia & ſuppoſititia hæc Epiſtola, quam *Eupolemus*, Scriptor Ethnicus, in ſuo quodam de *Elia* Opere, ab *Euſebio*, Epiſcopo Cæſarienſi, laudato libro nono *Præparationis Evangelicæ* capite 31. ait, Regem *Salomonem* ſcripſiſſe ad *Suronem*, Regem Tyri,

Tyri, Sidonis, ac Phæniciæ. Hanc, inquam, *Salomonis* Epiſtolam confictam ac ſuppoſititiam eſſe, quilibet ex ſolo ipſius titulo facile judicare poteſt. Rex quippe Tyri, temporibus Regis *Salomonis* non appellabatur, *Suron*, ſed *Hiromus*, ſeu *Hiramus*, ut conſtat ex *Menandro Epheſio*, & ex *Dione* Rerum Phæniciarum Scriptore, apud *Joſephum*, Hebræum, lib. 1. contra *Apionem*, & lib. 8. *Antiquitat.* *Judaicarum*, capit. 2. Eumdem Regem Tyri, ſeu *Hiromum*, vel *Hiramum*, miſiſſe Nuncios ad *Davidem*, Regem, patrem *Salomonis*, & ligna cedrina, artificeſque lapidum a quibus *Davidis* Palatium extructum eſt, narrat Scriptura Sacra libro primo Paralipomenon cap. 14. verſ. 1. Regnavit *Hiromus*, ſeu *Hiramus* annis ad minus quinquaginta duobus, ſicut pluribus momentis evincit lib. 9. *De Doctrina Temporum* cap. 62. doctiſſimus *Petavius* contra *Joſephum*, Hebræum, qui lib. 1. contra *Apionem*, & lib. 8. Antiquit. Judaic. cap. 2. ex *Menandro Epheſio*, qui Tyriorum Hiſtoriam literis prodidit, refert, *Hiromum*, ſeu *Hiramum*, regnaſſe poſt mortem patris ſui *Abibali*, Regis Tyriorum, annis duntaxat viginti quatuor. Miſſos facio alios Tyriorum Reges, tum quia illorum, qui ante *Abibalum*, patrem *Hiromi*, ſeu *Hirami*, regnarunt, nomina, teſte *Joſepho*, loco mox a me laudato, plane ignoramus; tum quia aliorum Regum Tyri, qui poſt *Hiramum* regnarunt Hiſtoria, nullam cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis affinitatem habet. Carthago condita a Tyriis, ſeu Phænicibus, dicitur anno poſt Templum *Salomonis* inchoatum centeſimo quadrageſimo quarto. Hæc eſt Carthago, urbs in Africa celeberrima, olim Romæ æmula, quam poſtea *Scipio*, Conſul Romanus, & Bello Punico Præfectus, expugnavit, funditusſque delevit. Eadem tempeſtate, qua in Africa Carthago condita eſt a Tyriis, Rempublicam *Lacedæmoniorum* in Græcia ſaluberrimis Legibus celebrem reddidit *Lycurgus*, de quo *Plutarchus* in ejus vita.

D. Hiſtoria Regum Ægypti habetne cum Sacra Hiſtoria quintæ Mundi Ætatis aliquam affinitatem?

M. Scriptura Sacra trium Regum Ægypti mentionem facit, quorum notitia haud parum Hiſtoriam Sacram quintæ Mundi Ætatis illuſtrare poteſt. Primus Ægypti Rex, cujus meminit Scriptura Sacra c. 14. v. 25 l. 3. Regum, eſt *Seſacus*. Sic enim habet: *In quinto autem anno Regni Roboam, aſcendit Seſac, Rex Ægypti, in Hieruſalem, & tulit theſauros domus Domini, & Theſauros regios, & univerſa diripuit, ſcuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon.* Hunc Regem Ægypti, quem Scriptura Sacra appellat *Seſacum*, alium non fuiſſe, quam *Seſoſtrem*, Regem Ægyptiorum, dictum etiam *Seooſim*, & *Sesonchim*, quique juxta *Manethonem* regnavit annis quinquaginta novem, ſuperius, referendo geſta Regis *Roboami*, oſtendi ex *Joſepho* Hebræo, *Diodoro*, & *Strabone*. Quapropter, de hoc Ægyptiorum Rege, quem Scriptura Sacra appellat *Seſacum*, quique, regnante *Roboamo*, filio *Salomonis*, irrupit in Judæam, eamque diripuit, ac depopulatus eſt, plura hic dicere non vacat. Alter Ægyptiorum Rex, cujus meminit Scriptura Sacra, eſt *Nechao*, hujus nominis II. qui Syris bellum inferens, miſſis ad *Joſiam*, Regem Judæ, ſibi ex adverſo cum exercitu occurrentem, Nuntiis, ait: *Quid mihi & tibi eſt, Rex* Juda? *Non adverſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinato ire præcepit. Deſine adverſum Deum facere, qui mecum eſt, ne interficiat te. Noluit Joſias reverti, ſed præparavit contra eum bellum, nec acquievit ſermonibus Nechao ex ore Dei; verum perrexit, ut dimicaret in prælio Maggedo; ibique vulneratus a ſagittariis, dicit pueris ſuis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus ſum .... & aſportaverunt eum in Hieruſalem, mortuuſque eſt*, lib. 2. Paralipomenon, cap. 35. v. 21. 22. 23. & 24. Idem *Nechao* Rex Ægypti, *Joachazum*, Regem Judæ, *Joſiæ* filium, duxit captivum in Ægyptum, & tributo Judæis impoſito, *Joakimum*, qui etiam *Eliakim*, & *Jechonias*, dictus eſt, Hieroſolymis Regem Judæ conſtituit, ſicut legitur lib. 4. Regum cap. 23. v. 33. & 34. Tertius Ægypti Rex, cujus meminit Scriptura Sacra, dicitur *Apries*, ſed a lxx. Interpretibus vocatur *Vapres*, & a Latino Interprete Prophetæ *Jeremiæ* cap. xliv. v. 30. appellabatur *Ephree*. Ad hunc Ægyptiorum Regem, capta ab Aſſyriis Hieroſolymorum urbe, Judæorum reliqui confugerunt. Ejuſdem Ægyptiorum Regis exitium vaticinati ſunt *Jeremias*, loco mox a me laudato, & *Ezechiel*, qui cap. 29. verſ. 3. eum nominat *Draconem magnum* ob illius ſuperbiam. Periit ille *Apries*, Rex Ægypti, in prælio, quod conſeruit cum *Amaſi*, cui Ægyptii Regnum detulerunt, cum a Rege *Aprie* defeciſſent. Captus enim in hoc prælio Rex *Apries* fuit ab Ægyptiis ſtrangulatus. Sed de tribus illis Ægypti Regibus, quorum meminit Scriptura Sacra, & quorum notitia non nihil lucis afferre poteſt Hiſtoriæ Sacræ quintæ Mundi Ætatis, hæc carptim obſervaſſe ſufficiat.

D. Video ſane Hiſtoriam Sacram præclare cum Annalibus Tyriorum, & Ægyptiorum conſentire, adeoque Atheos, alioſque incredulos, & projectæ conſcientiæ viros, quos Scripturæ Sacræ veritatem & auctoritatem negare, aut in dubium revocare non pudet, poſſe ex ipſis prophanarum Gentium Hiſtoriis facili negotio convinci. Sed perge, quæſo, eadem brevitate cum claritate conjuncta oſtendere connexionem, ſeu affinitatem, quam habent Hiſtoriæ Aſſyriorum & Medorum cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis.

M. *Sardanapalo*, poſtremo Aſſyriorum Rege, ob luxum & ſocordiam, qua omnes ſuos Majores ſupergreſſus eſt, a Præfecto Medorum *Arbace* contempto, & poſt fuſum illius exercitum, mori compulſo, Imperium Aſſyriorum deſtructum eſt, & ad Medos translatum. Quot annis ſteterit Aſſyriorum Imperium, ob varias Scriptorum ſententias, certo ſtatui non poteſt, ſicut commonſtravi in Diſſertatione quinta Tractatus, quem Romæ edidi, *De Annis & Myſteriis Jeſu Chriſti Servatoris noſtri*. Ab Aſſyriorum jugo liberatis

Medis

Medis autonomiam reddidit *Arbaces*, ideſt, ipſis permiſit, ut Reipublicæ more ſuis Legibus viverent. Quamdiu hæc ſub *Arbace* duraverit Medorum autonomia? non conſtat. Hoc unum certum eſt, Medos, anarchiæ incommoda ferre non valentes, *Dejocis* imperio ſeſe ſubjeciſſe. Hic eſt ille *Dejoces*, Medorum Rex, *Herodoti* libris celebratus, a quo condita eſt urbs *Hecbatanis*, quique alio nomine in Sacra Hiſtoria *Juditha* nuncupatur *Arphaxad*, quod nomen ab Arbace (qui, ut mox dixi) contra *Sardanapalum*, poſtremum Aſſyriorum Regem, rebellavit, & Medorum Monarchiam inſtituit, ductum uſurpabant Medorum Reges. *Arbaces* ſiquidem alia vocis inflexione *Arpacad*, tum pinguiore ſono *Arphaxad*, dicebatur. *Dejoces* itaque, dictus etiam *Arphaxad*, poſt deſtructum in *Sarnadapalo* Aſſyriorum Imperium, fuit primus Medorum Rex. Sed dum novum Medorum Imperium aſſurgeret, Aſſyrii jugum ſervitutis, quod ipſis impoſuerant Medi, ſtatim excuſſerunt, novumque regnum in urbe Ninive excitarunt, & ſibi eum Regem præfecerunt, quem Scriptura Sacra cap. xv. v. 29. lib. 4. Regum appellat *Teglathphalaſſarem*. Porro, hic Rex Aſſyriorum *Teglathphalaſſar* magnam Iſraelitis intulit cladem regnante *Phacee*, Rege Iſraelis. Multis enim eorum civitatibus occupatis, tres Tribus in Aſſyriam deportavit, ſicut legitur cap. 15. v. 29. lib. 4. Regum. In belli ſocietatem ab *Achazo*, Rege Judæ, vocatus *Teglathphalaſſar*, Aſſyriorum Rex, contra *Rezinem*, Syriæ Regem, Damaſcum vaſtavit, Damaſcenos Cyrenem tranſtulit, & Rezinem Regem interfecit, ſicut narrat ſacer Auctor lib. 4. Regum cap. 16. Mortuo Rege *Teglathphalaſſare* Regnum Aſſyriorum obtinuit *Salmanaſſar*, qui Regnum Iſraelis omnino deſtruxit, & decem Tribus in Aſſyriam tranſtulit, uti legitur cap. 16. & 18. lib. 4. Regum. *Salmanaſſari*, Regi Aſſyriorum, ſucceſſit *Sennacherib*, qui, munitiſſimis Regni Judæ civitatibus occupatis, *Ezechiæ*, Regi Judæ, graviſſimum tributum indixit, totamque Judæorum Gentem funditus deleviſſet, niſi Deus per Angelum ſuum octoginta quinque millia Aſſyriorum in ejus caſtris una nocte interemiſſet. *Sennacheribo*, Aſſyriorum Regi, ſucceſſit *Aſſaradon*, ejus filiorum natu minimus, qui, deficiente Regum Babyloniorum ſtirpe, Babyloniæ Regnum occupavit, ſicque Babylonium, & Aſſyriacum Regna, antehac diviſa, conjunxit. Miſit etiam Aſſaradon, Aſſyriorum Rex (quem Scriptura Sacra appellat *Aſſar-habdonem*) colonias in urbem Samariam; & *Manaſſem*, Regem Judæ, in Babylonem captivum abduxit.

D. Clarius, ſi placet, expone, quomodo factum fuerit, ut *Aſſaradinus*, Aſſyriorum Rex, Babylonium & Aſſyriacum Regna, antea diviſa, conjunxerit, & utrumque obtinuerit?

M. Regnante apud Judæos *Joathamo*, ſeu anno decimo quinto *Joathami* Regis Judæ, Chaldæi, ſeu Babylonii, Medorum dominationis pertæſi, excuſſo jugo, Babyloniæ Regnum excitarunt, & *Nabonaſſarum* Regem crearunt anno Mundi, juxta Chronologiam, quam ſequor, ter milleſimo tercenteſimo nonageſimo ſecundo, Periodi Julianæ ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Olympiadis octavæ anno ſecundo, a condita Roma anno ſeptimo, ante Æram vulgarem anno 747. die primo menſis Ægyptiaci *Thot*, ideſt, die vigeſima ſexta menſis Februarii. Inde exordium ſumit celebris illa apud Chronographos Epocha, quæ *Æra Nabonaſſari* nuncupatur. De qua Æra conſule quæ diximus in Apparatu Chronologico; quem adjecimus ad calcem Tractatus, quem edidimus *De Myſteriis & annis Jeſu Chriſti*, ubi de omnibus Cyclis, Periodis, Æris, & Epochis late diſſeruimus, ibidemque accuratum texuimus Canonem Chronologicum a creatione Mundi, uſque ad annum primum Æræ vulgaris per nobiliores Periodos, Æras, & Epochas, tam Græcas, quam Latinas, productum. Inter ſucceſſores *Nabonaſſari*, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum Regis, percenſet Canon Ptolomaicus Babyloniorum Regum *Mardokempadum*, quem Propheta *Iſaias* cap. 39. verſ. 1. appellat *Merodoch Baladan*, quique, ut docent periti Scripturæ Sacræ Interpretes, miſit ad *Ezechiam*, Regem Judæ, Legatos & munera, ut hic Regi de recuperata ejus valetudine gratularetur, ſicut legitur lib. 4. Regum cap. 20. verſ. 12. Babyloniæ Regnum a tempore *Nabonaſſari* uſque ad *Aſſaradonem*, Regem Aſſyriorum, ſuos habuit Reges diverſos omnino a Regibus Aſſyriorum. Sed *Aſſaradon*, ſeu *Aſſaradinus*, Regnum Babylonium poſt anarchiam octo annorum invaſit, & ambobus conjunctis Regnis, Babylonio & Aſſyrio, quæ prius diviſa erant, ſolus ipſe Aſſyriis ſimul & Babyloniis imperavit. *Aſſaradoni*, ſeu *Aſſaradino*, Aſſyriorum, & Babyloniorum Regi, ſucceſſit *Saoſduchinus*, qui itidem utrumque Regnum adminiſtravit. *Saoſduchinum* in adminiſtratione utriuſque Regni, Aſſyrii, & Babylonii, excepit *Chinaladanus*. Poſt *Chinaladanum* regnavit *Nabopolaſſar*, ſeu *Nabuchodonoſor primus*, pater *Nabuchodonoſoris Magni*, qui patri ſuo *Nabopolaſſari* ſucceſſit, & anno Regni ſui octavo, qui concurrit cum anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, captivos in Babyloniam abduxit Judæos, a quo anno, ſicut memini, me jam obſervaſſe, ducendum eſt exordium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ. *Nabuchodonoſor*, dictus *Magnus*, ſucceſſores habuit, qui tamen ad ſacram Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis, quam in præſentia deſcribimus, quæque finem habet in captivitate Babylonica, non pertinent. Quocirca illorum Babyloniæ Regum, qui *Nabuchodonoſori* ſucceſſerunt, ſeriem & geſta opportunius referemus in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam Sacram ſextæ Mundi Ætatis, quam ex notitia Babyloniorum Regum, *Nabuchodonoſori* ſucceſſorum, haud parum lucis mutuari poſſe breviter oſtendemus.

D. Regum Tyriorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Medorum, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, notitiam, quæ illuſtrandæ Sacræ Hiſtoriæ quintæ Mundi Ætatis inſervire poteſt, hactenus tradidiſti. Præſtat nunc, ut ſummatim perſtringas res præcipuas, quæ apud Græcos contigerunt,

& ad Hiſtoriam Sacram quintæ Mundi Ætatis referuntur.

M. Res præcipuas, quæ apud Græcos contigerunt, & ad Hiſtoriam ſacram quintæ Mundi Ætatis referuntur, delibabo dumtaxat, ne longior ſim, eaſque in pauca capita contraham, ex quibus compendioſam quidem Rerum Græcorum hauries notitiam, quæ tamen tibi, Sacræ Hiſtoriæ ſtudioſo, abunde ſufficere poterit.

Et primo quidem in quinta Mundi Ætate cœpit celebrari in Græcia clariſſimum *certamen olympicum*, & habita eſt prima *Olympias* anno trigeſimo octavo *Oziæ*, ſeu *Azariæ*, Regis Judæ, anno a creatione Mundi ter milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio, Periodi Julianæ ter milleſimo nongenteſimo trigeſimo octavo, ante Æram vulgarem, ſeu Chriſtianam, anno ſeptingenteſimo ſexto. Videſis *Canonem Chronologicum*, quem ad calcem *Tractatus*, quem edidimus, *De myſteriis & annis Jeſu Chriſti*, attexuimus a creatione Mundi uſque ad annum primum Æræ Chriſtianæ per celebriores Periodos, Æras, & Epochas continuatum. In Olympiadibus deſinit illud temporis intervallum, quod a *Varrone*, in libello *Cenſorini* de die natali, *Mythicum*, ſeu fabuloſum, appellatur, incipitque apud Græcos tempus, quod dicitur hiſtoricum, quia res in eo geſtæ veris Hiſtoriis continentur.

Secundo, *Salomone* Regnum ineunte, Athenienſis Reſpublica ab Archontibus, ſive Prætoribus perpetuis, regebatur. Sed *Joathami*, Regis Judæ, temporibus, Athenienſes Archontes ſuos, antea perpetuos, decennali poteſtate contentos eſſe voluerunt. Decreverunt poſtea Athenienſes, teſte *Euſebio* in Chronico, ut Archontes ſingulis annis eligerentur, & novem Magiſtratuum conſtitueretur Imperium Corinthiis, Lacedæmoniis, Argivis, & Spartanis Reges præerant. (*a*) Urbes celeberrimæ a Græcis, durante quinta Mundi Ætate, conditæ ſunt, videlicet *Smyrna*, *Chalcedon* in Bithynia, *Bizantium* in Tracia, *Maſſilia*, urbs Galliæ Narbonenſis, portu & emporio præſtantiſſima.

„ (*a*) Quemadmodum Relandus, Pagius, Noriſius Conſulares Faſtos digeſſerunt, emendarunt, „ illuſtrarunt; ita quoque P. Eduardus Corſinus „ Cl. Reg. Schol. Piar. Ordinis ſui, & Piſanæ „ Academiæ decus inſigne, Archontum Athenienſium faſtos poſt Meurſium ſingulari eruditionis „ niſu inſtruere conatus eſt, eorumque exordium „ (ſi de annalibus archontibus res ſit) ſtatuit eo „ temporis intervallo inter Cecropem, & Creontem, qui primus omnium annuum magiſtratum „ geſſit. Magiſtratus iſte erat novem virorum, „ quorum primus tantummodo Archon peculiari „ titulo appellabatur. Cetera apud illum videas.

Tertio, apud Græcos in quinta Mundi Ætate conditum eſt Regnum Macedonicum, cui aliquot Reges, quorum tamen incertus eſt numerus, præfuerunt ante *Alexandrum Magnum*, qui fuit *Philippi*, Macedonum Regis, filius, quique devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Rege (ſicut oſtendemus in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis) Regnum Perſarum tranſtulit ad Græcos.

Poſtremo, in quinta Mundi Ætate floruerunt in Græcia multi clariſſimi Poetæ, præſertim *Homerus*, & *Heſiodus*. In Philoſophia vero primas tenuerunt ſeptem dicti *Sapientes*, quorum unus fuit *Solon*, Athenienſium Legislator. Sed quam arroganter illi Græci ſapientum nomen ſibi tribuerent, eleganter *Lactantius* lib. 4. *Inſtitutionum Divinarum* cap. 1. declarat his verbis: *O miſerum calamitoſumque ſæculum, quo per orbem totum ſeptem ſoli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur! Nemo enim poteſt jure dici homo, niſi qui ſapiens eſt. Sed ſi cæteri omnes, præter ipſos, ſtulti fuerunt, ne illi quidem ſapientes: quia nemo ſapiens eſſe vere, judicio ſtultorum, poteſt. Adeo abfuit ab eis ſapientia, ut ne poſtea quidem increſcente doctrina, & multis, magniſque ingeniis in idipſum ſemper intentis, potuerit perſpici veritas & comprehendi. Nam poſt illorum ſeptem ſapientum gloriam, incredibile eſt, quanto ſtudio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarſerit. At primum nomen ipſum ſapientiæ arrogans putaverunt, ſeque non ſapientes, ſed ſtudioſos ſapientiæ vocaverunt. Quo facto & illos, qui temere ſapientum ſibi nomen aſciverant, erroris, ſtultitiæque damnaverunt, & ſe quoque ipſos ignorantiæ, quam quidem non diffitebantur.* Sed de Rebus Græcorum ſatis.

D. Supereſt ut pauca dicas de Rebus Romanorum. Et primo ſcire velim, quiſnam fuerit urbis Romæ conditor? Dein, ſub quo Rege Judæ condita fuerit Roma? Denique quænam fuerit prima Regiminis Romæ forma?

M. Roma nomen accepit a Romulo, qui eam condidit, quique recens a ſe conditam urbem fraterno ſanguine fœdavit. Anno autem nono Regni *Joathas*, Judæorum Regis, juxta Epocham Varronianam, *Romulus* condidit Romam, hoc eſt, anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto, Anno Periodi Julianæ ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo primo, Anno tertio Olympiadis ſextæ, Anno ante Æram vulgarem ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio. Hæc autem Epocha Varroniana de anno, quo condita eſt Roma, præferenda eſt aliis Epochis, ſeu *Capitolinæ*, *Catonianæ*, *Polibianæ*, *Fabianæ*, tum quia hac Epocha Varroniana, ſic dicta a *Terentio Varrone*, ſemper in publicis monumentis uſi ſunt Romani, & celebriores eorum Scriptores, *Cenſorinus*, *Vellejus Paterculus*, *Plutarchus*, *Cornelius Tacitus*, *Aulus Gellius*, *Eutropius*, *Plinius*, &c. Tum quia etiam eamdem Epocham Varronianam de condita Roma tanquam pro norma habuerunt Imperatores Romani, *Auguſtus*, *Claudius*, *Domitianus*, *Severus*, & *Philippus*, ſicut ex ludis ſæcularibus, ab unoquoque eorum celebratis, clare conſtat. Hos ſiquidem ludos omnes apud *Cenſorinum* legimus, qui in alia Epocha locum non habent, præterquam Varroniana. Quod ſpectat primam Romæ Regiminis formam, certum eſt, primævum illius ſtatum fuiſſe Monarchicum, ſeu Reges cum ſuprema auctoritate ei præfuiſſe, quorum ſeriem, & annos, per quos regnarunt, breviter hic indicabo.

## SERIES REGUM ROMANORUM,

*Et anni per quos Romæ regnarunt*,

R*Omulus* Urbis Romæ conditor, fuit primus Rex, & regnavit annis triginta ſeptem.

Poſt mortem *Romuli*, fuit INTERREGNUM unius anni.

*Numa Pompilius* fuit ſecundus Rex, & regnavit annis quadraginta tribus.

*Tullius Hoſtilius* fuit tertius Rex, & regnavit annis triginta duobus.

*Ancus Martius* fuit quartus Rex, & regnavit annis viginti quatuor.

*Tarquinius Priſcus* fuit quintus Rex, & regnavit triginta octo annis.

*Servius Tullius* fuit ſextus Rex, & regnavit quadraginta quatuor annis.

*Tarquinius Superbus* fuit ſeptimus & ultimus Rex, & regnavit annis viginti quinque.

Ex his annis Regum Romanorum ſimul collectis emergit ſumma ducentorum & quadraginta quatuor annorum, per quos Reges cum ſuprema auctoritate Romæ præfuerunt. Eorum, ob ſtuprum, quod *Sextus* filius Regis *Tarquinii Superbi*, caſtiſſimæ *Lucretiæ* intulit, regia poteſtas Romæ in integrum extincta eſt, & in Regum locum ſuffecti ſunt Conſules. Anno igitur ducenteſimo quadrageſimo quinto a condita Roma, incipiunt Faſti Conſulares, quibus adſcribuntur nomina Conſulum Romanorum, & in quibus digerendis, atque emendandis ſtrenuam navarunt operam doctiſſimi viri *Onuphrius*, *Sigonius*, *Pighius*, *Pagius*, & Cardinalis *Noriſius*, quos, ſi tibi per otium liceat, conſulere poteris, plura enim de his impræſentiarum dicere non vacat. Hoc unum tamen, ut facilius retundere poſſis impietatem Atheorum, & Incredulorum, qui Hiſtoriæ Sacræ omnem fidem, & auctoritatem derogant, addam huic, quam hactenus tradidi, notitiæ Rerum variarum Gentium, quæ cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis aliquam affinitatem habent, addam, inquam, nonnullos eſſe Scriptores prophanos, quorum teſtimonia Atheis & incredulis ſuſpecta eſſe haud poſſunt, qui rerum, quas narrat Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis, meminere, earumque veritatem confirmarunt (*a*). *Menander* in Hiſtoria, quam deſcripſit, Phœnicum, meminit Prophetæ *Eliæ*, qui in Regno Iſraelis vaticinatus eſt, ſummamque ſiccitatem indictis ſupplicationibus depulit. Hujus prophani Scriptoris teſtimonium refert *Joſephus* lib. 8. Antiquit. Jud. cap. 7. *Joakimi*, Regis Judæ, & Prophetæ *Jeremiæ* meminere *Eupolemus*, & *Alexander Polhyſtor*, ut videre eſt apud *Euſebium* lib. 9. Præparationis Evangelicæ cap. 39. Babylonicæ Judæorum captivitatis ſub *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, meminit *Beroſus*, Rerum Chaldaicarum Scriptor, laudatus a *Joſepho* lib. x. Antiquit. Jud. cap. xi. *Joſephi* locum *Euſebius* inſeruit lib. 9. *Præparationis Evangelicæ* cap. xi. Qua fronte ergo audent Athei, aliique profligatæ conſcientiæ homines increduli, in dubium revocare Sacram Judæorum Hiſtoriam, cui tamen Annales variarum Gentium Tyriorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Medorum, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, Græcorum, & Romanorum luculentiſſimum perhibent teſtimonium, eamque extra omnem dubitationis aleam ponunt?

„ (*a*) Quicunque ex diſſenſu profanæ hiſtoriæ „ cum ſacra in veritatem ſacrorum librorum ſu- „ ſpicionem creant, illos inſigni ſtultitiæ elogio „ donandos cenſeo. Duplici enim de cauſa, et- „ iam revelatione præciſa, fides major hiſtoriæ „ ſacræ tribuenda eſt, utpote ſcriptæ ab auctori- „ bus, qui gentis ſuæ res geſtas mandabant lite- „ ris, quique ſub oculis ſuis plerunque res, de „ quibus ſcribebant, ſpectaverant. Profani vero „ ſcriptores, cum de rebus hiſtoriæ ſacræ agendum „ illis erat, & longe aberant, & de alia, quam „ ſua gente auditu tantum percepta narrabant. „ Ex quo fit, ut eos in multis errare neceſſe fue- „ rit. Quid quod recentiores ſcriptores, etiam cum „ gentis ſuæ hiſtoriam texunt, ac de antiquiſſi- „ mis ejus gentis ſermonem habent, plus fabella- „ rum, quam veritatis inferciunt, ut nec ipſi „ qui res narrant ſcire ſe veritatem ingenue profi- „ teantur. Vid. Livium in lib. 1. Rom. Hiſt.

D. Grates tibi rependo maximas, quod non tantum Hiſtoriæ Sacræ quintæ Mundi Ætatis notitiam dederis, ſed etiam ejus veritatem, contra Atheos, alioſque id genus incredulos homines, comprobaveris ex ipſiſmet Annalibus variarum Gentium, nec non ex prophanis Scriptoribus, quorum teſtimoniis, ſi viri increduli, qui ſacrilega temeritate omnia Hiſtoriæ Sacræ monumenta in Sacrorum Scriptorum libris contenta repudiant, aſſentiri nolint, digni profecto ſunt, quos in ſuis pluſquam cimmeriis tenebris immerſos relinquamus.

M. Eo de argumento plenius diſſerui in Tractatu, quem edidi, *De Scriptura Sacra*, in cujus priori parte pluribus momentis adſtruo Antiquitatem, Revelationem, Inſpirationem, & divinam auctoritatem Sacrorum Librorum, qui complectuntur Hiſtoriam Veteris Teſtamenti, ibique diſflavi Atheorum, & Incredulorum ficulneas objectiones. Hunc igitur Tractatum, ſi plura ſcire aveas, adire & legere non te pigeat. Nunc autem colligamus vaſa, poſtridie alterum habituri Colloquium, in quo excutiemus, eademque opera diluemus præcipua Dubia, quæ Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes circa Hiſtoriam Sacram quintæ Mundi Aetatis proponere ſolent.

## COLLOQUIUM II.

*In quo excutiuntur, ac breviter diluuntur præcipua Dubia, quæ Theologi, & Scripturæ Interpretes circa Sacram Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis proponere ſolent.*

Discip. INTERFUI nuperrime virorum eruditorum cœtui, in quo de æterna ſorte Regis *Salomonis* hinc & inde accerrime diſpu-

ſputatum eſt. Alii, *Salomonem* damnatum eſſe affirmabant, hiſce momentis fulti. Primo, quia Scriptura Sacra, lapſum *Salomonis* deſcribens, de ejus, pœnitentia, ne verbum quidem facit, ſed altum ſervat ſilentium. Porro, ſi Rex *Salomon* poſt lapſum reſipuiſſet, & ad meliorem frugem ſeſe recepiſſet ejus pœnitentiam non celaſſet Scriptura Sacra, ſicut non tacuit Regis *Davidis* pœnitentiam, ſed potius diſertam de ea mentionem facit. Præterea, ſi *Salomonem* revera poſt lapſum pœnituiſſet, deſtruere omnino debuiſſet Fana, ſeu Templa, quæ falſis Numinibus conſecraverat. At, ejuſmodi Templa, Idolis erecta, nunquam a *Salomone* fuiſſe diruta, ſed uſque ad *Joſiam*, Regem Judæ, permanſiſſe teſtatur Scriptura Sacra. Denique, ad probandam æternam Regis *Salomonis* damnationem, citabant viri illi eruditi non ſolum *Tertullianum*, antiquum Scriptorem, lib. *De Præſcriptione* cap. 2. ſed etiam ſanctos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos, videlicet *S. Cyprianum* Epiſt. VI. ad *Rogatianum*, & lib. *De Unitate Eccleſiæ*, *S. Auguſtinum* lib. 22. contra *Fauſtum*, Manichæum cap. 81., lib. 3. De Doctrina Chriſtiana cap. 21., lib. 12. *De Civitate Dei* cap. 20. & Enarratione in Pſalmum 126. *S. Joannem Chryſoſtomum* Sermone *De Pœnitentia*, *S. Gregorium Magnum* lib. 2. *Moralium* cap. 2. quibus adjungebant *S. Nilum*, *Bedam*, *Lyranum*, *Toſtatum*, *Bellarminum*, alioſque modernos Scriptores, qui ſententiæ de perpetua *Salomonis* damnatione aperte ſuffragantur. Verum, hæc de æterna *Salomonis* damnatione ſententia non arridebat aliis ejuſdem cœtus viris eruditis, qui *Salomonem* æterna ſalute donatum eſſe magnis animis pertendebant, idque ſe his momentis evincere poſſe autumabant. Primo, quia *Salomon*, poſt ſuum lapſum, ſcripſit librum, dictum *Eccleſiaſten*, in quo pœnitens, & dolens, quod Idolorum cultui, & vanis mulierum amoribus vacaſſet, exclamat cap. I. verſ. I. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Secundo, quia Veteres Rabbini teſtantur, *Salomonem* pœnitentia ductum, poſtquam ſeſe in templo virgis acriter flagellaſſet, Regno ſe abdicaſſe, & ſcipione nixum, oſtiatim emendicaſſe, & in circulis ac compitis Hieroſolymorum clamaſſe: *Ego Salomon fui olim Rex ſuper Iſrael*. Tertio, proferebant viri illi eruditi plumbeos quoſdam Granatenſes Libros Arabice ſcriptos, quos Hiſpani a *Sancto Jacobo*, Apoſtolo, aut ab ejus Diſcipulis exaratos credunt, in quibus locupletiſſimum de pœnitentia *Salomonis* extat teſtimonium, his verbis expreſſum: *Et flevit ſcelus fletu vehementi, & condonatum eſt illi: & obiit fidelis, & ſervus*. Denique, ajebant illi viri eruditi, in hanc ſententiam de pœnitentia *Salomonis*, ac ſubinde de æterna illius ſalute, ultro deſcendere *S. Hieronymum*, *S. Gregorium Taumaturgum*, *Rupertum*, ac bene multos recentiores Scriptores. Hactenus fideliter retuli quidquid viri eruditi illius, cui interfui, literarii cœtus pro æterna *Salomonis* forte ultro citroque dixerunt. Tuum nunc eſt breviter oſtendere, quænam probabilior ſit ſententia, quam ipſe, obviis, ut ajunt, ulnis confeſtim amplectar.

M. Auctor tibi ſum, ut de æterna *Salomonis* forte neutram ſecteris ſententiam. Nec enim damnatum eſſe *Salomonem* ex eo colligi poteſt, quod Scriptura Sacra ejus lapſum commemoret, ejus vero pœnitentiam omnino reticeat, quia eadem Scriptura Sacra nec †*Adami*, nec *Lothi*, nec † *Sampſonis* pœnitentiæ meminit, eos tamen pœnitentiam egiſſe, eoſque in cælis eſſe receptos, conſtans eſt omnium ſententia. Nec ſimiliter *Salomonis* pœnitentia probari poteſt ex libris, quos edidit *Eccleſiaſte*, & *Proverbiorum*, quia doctiſſimi viri, quos inter cenſetur *Bellarminus* in lib. *De Verbo Dei*, docent, libros, *Eccleſiaſten*, *Proverbiorum*, & *Canticum Canticorum* fuiſſe a *Salomone* conſcriptos antequam ſeſe in libidinem effunderet, & in Idololatriam prolaberetur, idque colligunt ex eo quod *Salomon* his in libris nullam prorſus mentionem faciat ſui lapſus, ſuæque Idololatriæ, nec ſuæ pœnitentiæ, quod tamen, ſi eum vere pœnituiſſet, facere omni procul dubio debuiſſet, ut ſcandalum, quod peccans dederat, pœnitens reſarciret. Quod vero de *Salomone* retuliſti, eum videlicet pœnitentem virgis ſeſe in Templo verberaſſe, Regno abdicaſſe, & oſtiatim emendicaſſe, id inquam, Rabbinorum venam ſapit, & purum figmentum eſt, craſſo filo contextum, Scripturæ Sacræ oppoſitum, cujus nullum in ſanctis Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, vel minimum apparet veſtigium. Procul hinc ergo tam male conſarcinata fabula. Libros autem illos Granatenſes, Arabice ſcriptos, in quibus de pœnitentia *Salomonis* expreſſum extat teſtimonium, tanquam ſpurios, & pſeudepigrapha continentes monumenta, jure optimo explodunt viri eruditi, quo fit, ut hujus furfuris libros, tanquam genuinos *Sancti Jacobi*, vel ejus diſcipulorum fœtus, in tanta doctrinarum luce, in tanta doctiſſimorum Criticorum frequentia venditare, atque fucum facere fruſtra tentarint nonnulli Scriptores Hiſpani. (*a*)

(*a*) „ De æterna Salomonis ſalute dubia omnia „ eſſe fateor. Verum indicia pro ejus ſalute non „ levis momenti mihi eſſe videntur. Nam liber „ Eccleſiaſte, quem a Salomone ſcriptum conſtat, „ non obſcura præbet hominis, qui poſt addictum „ ſe totum voluptatibus tandem reſipuerit, argu„ menta. Inſuper in cap. XII. I. & ſeq. ſenectu„ tem vivis coloribus exprimit Salomon, quæ „ ab experto ſcripta indicant. Hæc igitur dabat „ Salomon jam ſenex. Ibi pariter cap. VII. 26. „ vehementem in fœminas querelam perſequitur, „ eaſque deteſtatur, idque ſane ideo, quia nove„ rat quanto ſibi offendiculo fuerint. Tum eo„ dem cap. XII. timorem Dei, quem felicitatis „ omnis centrum eſſe dicit, ſerio inculcat. Ad„ junge his, quod 2. Paralip. XI. 17. dicatur de „ Roboam per tres annos in viis David, & Sa„ lomonis ambulaſſe, quæ loquendi phraſis „ ineptior videretur, ſi Salomon impœnitens ob„ iiſſet. Demum vix crederetur quod Salomon tot „ in ſenectute malis attritus eo tandem fræno non „ reduceretur. Quid quod Roboamus in regno ſuc„ ceſſor cum primo triennio pietatem coluerit, „ nullibi tamen legitur, ditionem ſuam repurgaſ„ ſe a

† decidan esta exp.ª en la escri.ª
y de los autor.s q.e se ralajaron.

„ ſe a fæce Idolorum, quam proculdubio Salo-
„ mon invexiſſet, ac retinuiſſet, ſi in impietate
„ deceſſiſſet.

D. Quid ergo tu de æterna *Salomonis* ſorte ſentis? Video enim, tibi neutram, quam adduxi, virorum eruditorum probari ſententiam.

M. Sentio, nihil certi de æterna *Salomonis* ſorte pronuntiari poſſe ſive ex Scriptura Sacra, quæ ut mox diximus, ea de re ſilet, ſive ex communi ſanctorum Patrum conſenſu, quia inter illos alii ſaluti *Salomonis* adverſantur, alii patrocinantur, ſive denique ex judicio Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſuper hac re nihil hactenus definivit. Quocirca, hæc de æterna *Salomonis* ſorte controverſia eſt adhuc inſtar litis ſub judice pendentis, de qua in utramque partem, ſalva & inculpata fide, diſputandi libera permittitur poteſtas. Dubiam autem & incertam *Salomonis* ſortem eſſe voluit Deus, ut omnibus metum ſanctum incuteret & ſalutarem, doceretque nos perituras Mundi fugere delitias, a ſæcularibus pompis abhorrere, atque ſatagere diligenter, ut per bona opera certam noſtram vocationem faciamus, & cum timore, ac tremore ſalutem noſtram indeſinenter operemur. *Qui ergo ſtat, videat ne cadat*.

D. Legebam nuperrime in Scriptura Sacra cap. 2. lib. 3. Regum, *Salomonem*, ut ſuum firmaret Regnum, non ſolum præcepiſſe, ut interficeretur *Adonias*, ipſius frater primogenitus, qui Regnum, ad quod jus habebat, affectabat, verum etiam, *Abiatarem*, Summum Sacerdotem, exauctoraſſe, & *Joabum*, militiæ Principem, in Tabernaculo, ad quod confugerat, capitis damnaſſe. Quæro igitur nunc, an Rex *Salomon* in his indicendis pœnis juſte ſe geſſerit, aut peccaverit?

M. *Salomon*, qui a patre ſuo *Davide*, conſentiente omni populo, Rex fuerat conſtitutus, non inique egit, quando *Adoniam*, fratrem ſuum primogenitum, occidi juſſit. Nam primo *Adonias* Regnum invadere, & in *Salomonem*, Regem legitimum, conjurando, eum e ſolio totis viribus deturbare moliebatur. Verum quidem eſt, *Adoniam*, vivente adhuc patre ſuo *Davide*, veniam affectatæ tyrannidis, & conjurationis criminis a *Salomone* obtinuiſſe ea tamen Lege, ut nihil deinceps novi moliretur, nec ambitu ac faſtu ſuo novarum turbarum, aut ſuſpicionum anſam præberet. Huic autem conditioni non ſtetit *Adonias*. Sed poſt mortem *Davidis*, patris ſui, in novam contra Regem *Salomonem*, cui fidem ſuam obſtrinxerat, conjurationem prorupit, Regiam dignitatem uſurpare tentavit, ſicque perfidiæ, perduellionis, & criminis læſæ Majeſtatis factus reus, juſte a *Salomone* occidi juſſus eſt. Præterea, *Adonias*, licet primogenitus eſſet, jus tamen nullum ad Regnum ſibi vindicare poterat, tum quia Deus, in cujus manu ſunt omnia jura Regnorum, ſe non *Adoniæ*, ſed *Salomoni* daturum Regnum ſignificavit *Davidi* per Prophetam *Nathanem*, ſicut legitur lib. 2. Regum cap. 7. v. 12. Hanc autem divinam diſpoſitionem probe noverat *Adonias*, quippe qui ſic *Bethſabeam*, matrem *Salomonis*, affatus eſt: *Sed translatum eſt Regnum, & factum eſt fratris mei, a Domino enim conſtitutum eſt ei*. Tum quia etiam *David*, nulla habita ratione primogenituræ *Adoniæ*, potuit citra ullam injuſtitiam ſuum Regni inſtituere ſucceſſorem filium *Salomonem*, quia ſicut in præcedenti Colloquio obſervavimus, ſucceſſio Regni apud Judæos ex patris voluntate pendebat. Hinc Rex *Roboamus* ex viginti ſeptem, quos procreavit, filiis, *Abiam*, non primogenitum, ſed quartum, & ex tertia uxore ſuſceptum, Regni Judæ ſuum conſtituit ſucceſſorem. Denique, Rex *Salomon* juſta de cauſa *Abiatharem* Sacerdotio exauctoravit, & *Joabum*, qui, regnante *Davide*, erat militiæ Princeps, capitali pœna mulctavit, quia ambo, ut teſtatur Scriptura Sacra, conjurationis *Adoniæ*, in *Salomonem*, Regem legitimum, conſcii erant, ejuſque partes ſuis conſiliis & auctoritate juverant, faverant, atque promoverant. In his ergo pœnis, quas *Salomon* inflixit *Adoniæ*, fratri ſuo, Sacerdoti *Abiathari*, & militiæ Principi *Joabo*, juſte ſe geſſit, nullamque peccati maculam contraxit.

D. Multa mihi tam circa libros, quos edidit Rex *Salomon*, quam circa alios libros, quos in quinta Mundi Ætate Scriptores, Spiritu Sancto afflati, exararunt, ſuppetunt proponenda Dubia. Legi etenim, ne ad hoc præſens noſtrum Colloquium imparatus accederem, lucubrationes quorumdam virorum eruditorum, qui de Libris Sacris lato calamo diſſeruerunt, ex quibus nonnullas excerpſi difficultates, quæ ſpectant Authores, doctrinam & numerum Sacrorum Librorum, qui in quinta Mundi Ætate fuerunt conſcripti. Quæ omnia, juxta brevem & expeditam methodum, quæ tibi familiaris eſt, meoque captui magis accommodata, explanandi curam ut in præſentia ſuſcipias te etiam atque etiam rogo. Et imprimis, a te ſcire velim, quot libros *Salomonis* Eccleſia Catholica ſuo in Canone Librorum Sacrorum percenſeat?

M. Tres dumtaxat *Salomonis* libros, videlicet *Eccleſiaſtem*, *Proverbia*, & *Canticum Canticorum* Catalogo Librorum Sacrorum accenſet Catholica Eccleſia, ut conſtat ex his Romanis Pontificibus, Conciliis, & ſanctis Patribus, qui Sacrorum Librorum Indices ſcripſerunt, *Innocentio I. Gelaſio I. Eugenio IV.* Conciliis Carthaginenſi III. Laodiceno, & Œcumenico Tridentino, *Melitone*, *Origene*, Auctore Synopſeos Scripturæ Sacræ, *S. Athanaſii*, nomine inſcriptæ, *S. Gregorio Nazianzeno*, *Cyrillo Hieroſolymitano*, *Hilario*, *Epiphanio*, *Hieronymo*, *Auguſtino*, & *S. Joanne Damaſceno*. Sed, ſi, præter Canonem Eccleſiaſticum, ſingillatim expendamus tres illos libros, videlicet *Eccleſiaſten*, *Proverbia*, & *Canticum Canticorum*, compertum atque exploratum erit, *Salomonem* eſſe legitimum illorum parentem. Verum enim vero, ut ab *Eccleſiaſtis* libro incipiamus, certum eſt, neminem unquam negaſſe, aut in dubium revocaſſe, *Salomonem* eſſe auctorem iſtius libri, exceptis Talmudiſtis, & *Hugone Grotio*. Talmudiſtæ ſiquidem putant, auctorem Libri Eccleſiaſtis eſſe *Ezechiam*, Re-

gem

gem Judæ. *Grotius* vero eſſe *Zorobabelem* auguratur. Sed iſti oppido falluntur. Nam hæc verba, quibus hic liber inchoatur: *Verba Eccleſiaſtæ*, *filii David Regis Jeruſalem*, & iſta, quæ ſequuntur: *Locutus ſum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Hieruſalem*, hæc, inquam, verba nec in Regem *Ezechiam*, nec in *Zorobabelem* quadrare poſſunt, ſed dumtaxat conveniunt *Salomoni*, qui fuit filius *Davidis*, Regis, quique ſapientia & magnificentia nullum parem habuit. Præterea, ſi capita ejuſdem libri ſeptimum & octavum, ubi fit ſermo de ſapientia, attente legas, multa in his comperies, quæ ſoli *Salomoni* aptari, & congruere poſſunt. Addo denique; Auctorem iſtius libri *Eccleſiaſtis* diſerte cap. 12. teſtari, ſe multas compoſuiſſe Parabolas; *Cumque eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtis, compoſuit Parabolas multas*. Quod ſane alteri, quam *Salomoni* competere nequit.

Quod ſpectat librum *Proverbiorum*, una eſt omnium ſententia, *Salomonem* eſſe auctorem hujus libri, idque declarat capitis primi libri iſtius initium: *Parabolæ Salomonis, filii David, Regis Iſrael*. Dubitant tamen nonnulli, an integer Proverbiorum liber fuerit a *Salomone* conſcriptus? hiſque momentis ducuntur. Primo, quia caput vigeſimum quintum hujuſce libri ab his verbis exordium ducit: *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda*. Quæ verba innuere videntur, præcedentes quidem Parabolas a *Salomone* eſſe ſcriptas, & ſubſequentes Parabolas, ſeu illas, quæ a capite vigeſimo quinto uſque ad finem, ſeu ad caput trigeſimum primum inferuntur, adſcribendas eſſe viris *Ezechiæ* Regis Juda. Hanc dubitationem confirmant hæc verba, quibus incipit caput trigeſimum libri Proverbiorum: *Verba congregantis filii vomentis*, quæ verba ex Textu Hebræo ſic juxta Verſiones Chaldaicam, & Syriacam, verti debere docent viri eruditi: *Verba Agur, filii Jake*; *Prophetiam dixit vir ad Ithiel, ad Ithiel & Uchal*. Non ergo Proverbiorum liber eſt unius dumtaxat *Salomonis*, ſed ex aliorum Scriptorum Parabolis collectus & concinnatus. Denique libri Proverbiorum caput ultimum, ſeu trigeſimum primum, his verbis auſpicatur: *Verba Lamuelis Regis*, &c. Harum itaque Parabolarum, quæ continentur in poſtremo capite libri Proverbiorum auctor non eſt *Salomon*. His momentis ducti nonnulli, dubitant, num liber Proverbiorum, totus quantus eſt, *Salomoni* aſſeri ac vindicari debeat? Sed præpoſteram eſſe illam dubitationem oſtendit Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione 4. pag. 190. ubi doctiſſime obſervat, Parabolarum *Salomonis* collectionem factam eſſe diverſis temporibus partim ante *Ezechiam*, Regem Juda, partim temporibus ejuſdem Regis *Ezechiæ*, partim denique *Aguris*, filii *Jake*, temporibus. Nam ante captivitatem Babylonicam ter mille Parabolæ *Salomonis* in Templi Tabulariis aſſervabantur. Sed, combuſtis in excidio Hieroſolymitano Sacris Codicibus, quibus deſcriptæ continebantur *Salomonis* Parabolæ. *Eſdras*, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, ex ingenti *Salomonis* Parabolarum numero aliquot tantum particulas, ſanctorum virorum diligentia, & ſingulari Dei providentia flammis exemtas nactus eſt, & collegit. Hinc factum eſt, ut priora viginti tria capita libri Proverbiorum cum viginti duobus primis verſibus capitis vigeſimi quarti nulla ex parte mutilata ſint, ſed talia extent, qualia a *Salomone* deſcripta ſunt. Reliquorum autem libri Proverbiorum ſeptem capitum compilatio cum poſtrema ejuſdem libri capitis vigeſimi quarti parte, multorum, id eſt, tam virorum, quos in hunc finem ſelegit Rex *Ezechias*, quam *Aguris*, & *Lamuelis* collectio eſt, Parabolis *Salomonis*, hinc inde excerptis conflata, & ab *Eſdra*, qui, poſt captivitatem Babylonicam, Spiritu Sancto afflatus Libros Sacros recognovit, & a mendis, quæ in eos irrepſerant, repurgavit, in ordinem digeſta. Sed ſatis diluta manent hæc quorumdam Scriptorum circa Auctorem totius libri Proverbiorum dubitationis adducta momenta, quæ profecto tanti non ſunt, ut quemquam a communi ſententia quæ integrum Proverbiorum librum *Salomoni* adjudicat, divellere debeant.

Supereſt nunc, ut breviter oſtendam, *Salomonem* eſſe Auctorem libri *Cantici Canticorum*. Et primo quidem Titulus iſtius Operis *Cantici Canticorum*, tam in Hebraico Exemplari, quam in lxx. Interpretum Verſione, *Salomonem* indicat Auctorem. Præterea, in hoc Sacro Libro ſæpius citatur *Salomon*, ſicut, Exempli gratia cap. 3. v. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt*. Et verſ. 9. *Ferculum fecit ſibi Salomon de lignis Libani*. Et v. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion, Regem Salomonem, in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis ſuæ, & in die lætitiæ cordis ſui*. Quæ verba, juxta ſenſum literalem, aperte denotant nuptias, quas cum filia Regis *Pharaonis* inivit Rex *Salomon*. Addo etiam, ſingularem opinionem Talmudiſtarum, qui libri *Cantici Canticorum* non *Salomoni*, ſed Regi *Ezechiæ*, adſcribunt, totius Eccleſiæ Catholicæ judicio, & communi Doctorum calculo jure optimo, ceu falſam repudiari.

D. Exiſtimabam ipſe, *Salomonem* non tantum edidiſſe tres illos, quos ei vindicaſti, libros, videlicet *Eccleſiaſten*, *Proverbia*, & *Canticum Canticorum*, ſed etiam, eum eſſe Auctorem librorum *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*, quos *Salomoni*, ſicut nuperrime legebam, tribuunt quidam Scriptores Eccleſiaſtici.

M. Libros *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici* fuiſſe *Salomoni* ab antiquis quibuſdam Scriptoribus tributos, fatetur *S. Auguſtinus* lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 8. & lib. 17. *De Civitate Dei* cap. 20. Sed ibidem ait, id factum eſſe *propter quamdam eloquii ſimilitudinem*. *Nam Salomonis non eſſe nihil dubitant quique doctores*. Addo etiam, antiquos illos Scriptores non in eo ſenſu libros *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici* tribuiſſe *Salomoni*, quod putarent, hoſce duos libros fuiſſe a

Salo-

*Salomone* editos, diſpoſitos, ordinatos, ac digeſtos, ſicut nunc ſunt; ſed ſolum eo in ſenſu, quod alii Scriptores, poſt *Salomonis* mortem, ex libris ab ipſo exaratis, & hac illac diſperſis, quorum etiam nonnulli injuria temporum perierunt, Sententias & Parabolas collegerunt. Scripſit enim *Salomon* (ſicut legitur cap. 4. v. 32. lib. 3. Regum) tria millia parabolarum, & quinque millia carminum, ex qua immenſa copia alii Scriptores, Spiritu Sancto afflati, mortuo *Salomone*, ipſius Sententias, & documenta excerpſerunt, literiſque mandarunt, ut ipſamet teſtatur Scriptura Sacra cap. 25. libri Proverbiorum. In hoc itaque ſenſu libri *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici* a veteribus Scriptoribus *Salomoni* tribuuntur, quamvis concors ſit omnium eruditorum ſententia, prædictos libros, quales nunc extant, a *Salomone* non fuiſſe conſcriptos. Cæterum, quinam ſint Auctores librorum *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*? mox, juxta probabiliorem virorum eruditorum opinionem, indicabimus.

D. Licet tres illos *Salomonis* libros, *Proverbia*, *Eccleſiaſten*, & *Canticum Canticorum*, ſine ullo prorſus errore conſcriptos, divinaque pollere auctoritate conſtantiſſime profitear, nonnulla tamen in his, ſed præſertim in *Eccleſiaſte*, & *Cantico Canticorum*, circa doctrinam & mores leguntur, quibus, uti obſervant doctiſſimi Scripturæ Sacræ interpretes, abutuntur viri impii, & ex quibus Hæretici occaſionem arripiunt ſacram illorum librorum auctoritatem labefactandi. Hæc autem loca, quibus viri impii, & Hæretici perperam abutuntur, quæque inter legendum eruditorum Scriptorum Opera annotavi, &, ne e memoria exciderent, in his ſchedulis deſcripſi, nunc proferam, quo, illis ſemel a te dilucidatis, promptior ac paratior ſim, ad elidenda impiorum hominum, & Hæreticorum argumenta. Ordiar autem a libro *Eccleſiaſtis*, quem Athei, Epicurei, aliique ejuſdem furfuris homines, qui negant immortalitatem animæ, ac vitam, belluarum more, tranſigunt, impiæ ſuæ doctrinæ favere dictitant, eo potiſſimum nomine, quod cap. 2. v. 23. iſtius libri dicitur: *Nonne melius eſt comedere, & bibere?* Et cap. 13. v. 19. & ſeq. *Idcirco unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic illa moriuntur. Et nihil habet homo jumento amplius.... Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Quibus verbis, inquiunt Athei, & Epicurei, aperte innuit Auctor libri *Eccleſiaſtis*, nihil poſt hanc vitam ſperandum eſſe, perſuadetque hominibus, ut ſeſe obſcœnis voluptatibus, quæ guſtu, aliiſque corporis ſenſibus percipiuntur, ingurgitent, quamdiu hac communi luce fruuntur.

M. Mirum ſane, quod Athei, & Epicurei, qui omnem fidem derogant Scripturæ Sacræ, ejuſque divinam auctoritatem, revelationem, & inſpirationem negant, velint in Sacro Eccleſiaſtis Libro aliquod ſacrilegæ ſuæ doctrinæ expiſcari præſidium. Sed quam fruſtra id moliantur, multis momentis evincam. Primo, quia *Salomon*, Libri Eccleſiaſtis Auctor, hæc verba, quibus abutuntur Athei, & Epicurei, non ex ſententia ſua profert, ſed ex perſona ſtultorum & impiorum hominum, quorum varias opiniones de finibus bonorum & malorum producit in medium, diſcutit, & examinat, ac tandem diſputationi ſuæ coronidem his verbis imponit: *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, Mandata ejus obſerva. Hoc eſt enim omnis homo; & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit*, c. 12. v. 13. & 14. Libri Eccleſiaſtis. Præterquam quod, etſi darem, *Salomonem* hæc verba: *Nonne melius eſt comedere, & bibere*, &c. non ex perſona impiorum, ſe ex ſua protuliſſe ſententia, inde tamen colligi dumtaxat poſſet, *Salomonem* approbaſſe modeſtum, temperatum, & legitimum bonorum temporalium uſum, ſicut ipſemet mentem ſuam clariſſime aperit c. 3. v. 13. ejuſdem libri, dicens: *Omnis homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, donum Dei eſt.* Porro, uſus tantum modeſtus & legitimus bonorum temporalium merito appellari poteſt *Donum Dei*, non effrænis & immoderata illorum fruitio. Hinc *Salomon* in hoc Eccleſiaſtis libro eum in finem unice collimare videtur, ut coerceat libidinem impiorum hominum, qui, cupiditati ſuæ laxantes habenas, impotenti æſtu indulgent voluptatibus, & deliciis carnalibus, quas vanas, fluxas, & humani cordis explendis deſideriis omnino impares eſſe luculenter oſtendit. Pluribus verbis etiam inculcat ne vitæ emendatio uſque ad ſenectutem procraſtinetur, tum propter juventutis celeritatem, tum propter ſenectutis, quam multa ſolent circumvenire incommoda, fragilitatem, calamitatem, & finem, qui eam conſequitur, ſeu amaram mortem, & ſtrictam divini judicii exactionem. Quæ certe omnia jugulant Atheorum, & Epicureorum impietatem. Pari perſpicuitate *Salomon* adſtruit eodem in libro immortalitatem animæ, & ſupremum Dei judicium. Sic enim cap. 3. v. 16. ait: *Vidi ſub ſole in loco judicii impietatem, & in loco juſtitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo: juſtum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* Et cap. 12. v. 1. *Memento*, inquit, *Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniant dies afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.* Subdit poſtea verſu ſeptimo ejuſdem capitis: *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus ad Deum, qui dedit illum.* Quo ſane ad ſtabiliendam contra Atheos, & Epicureos ſpiritualitatem animæ, ejuſque immortalitatem nihil evidentius dici poteſt. Sed quorſum, dices, *Salomon* aliis in locis ejuſdem Libri Eccleſiaſtis, aſſerit, *unum interitum eſſe hominis, & jumentorum, & æquam utriuſque conditionem?* ut quid etiam affirmat *Salomon*, neminem noſſe *ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Numquid ejuſmodi locutiones innuere videntur, *Salomonem* dubitaſſe ſaltem de immortalitate animæ? At ipſe reſpondeo, ex his locutionibus colligi nullo pacto poſſe, *Salomonem* negaſſe, aut

aut in dubium revocaſſe animæ immortalitatem. Ratio in promptu eſt, quia ſi Athei ex his verbis: *Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum?* inferant, *Salomonem* negaſſe, aut in dubium vertiſſe rationalis animæ immortalitatem, non abſimili ratione ex iſtis verbis: *Quis novit, ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* oportebit, ut Athei, & Epicurei colligant *Salomonem* negaſſe, vel in dubium vocaſſe mortalitatem jumentorum, ſeu brutorum animantium. Quis autem eo deſipiat, ut ſuum in animum inducat, tam abſurdam ſententiam, & ineptam dubitationem in mentem *Salomonis*, Regis poſt homines natos ſapientiſſimi, cadere potuiſſe? Crediderim ergo ipſe, *Salomonem* per hæc verba: *Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? & ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* voluiſſe deplorare ignorantiam & cæcitatem impiorum, qui, omnibus vitiis dediti, quaſi degenerant in belluas, ſibique falſo ex his, quæ apparent ſenſibus, perſuadent, unum, eumdemque eſſe hominis & jumentorum interitum, quaſi diceret *Salomon*, qui in Libro Eccleſiaſtis perſonam ſacri Oratoris agit: *Tanta eſt impiorum hominum ignorantia & cæcitas, ut perperam ſibi perſuadeant, unum interitum eſſe hominis & jumentorum. Quis enim inter illos impios novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Ea locutione, quæ ſacris verbi Dei Præconibus familiaris eſt, uſus eſt *Salomon* in Libro Eccleſiaſtis, ut oſtenderet, ſceleſtos & impios homines ita Dei, ſuique immemores vivere, ut nec Deum timeant, nec perſpectam habeant immortalitatem animæ, planeque ignorent præclaras dotes, quibus homo diſcrepat a belluis. Denique, quando *Salomon* in Libro Eccleſiaſtis dicit, *unum interitum eſſe hominis & jumentorum, & æquam utriuſque conditionem*, id intelligit de corpore hominis, non de ipſius anima. Una quippe in belluis dumtaxat concipitur ſubſtantia, videlicet materialis & corporea, qua pereunte, nihil reſidui in his permanere poteſt. At, in homine gemina diſtinguitur ſubſtantia; una nimirum, quæ materialis eſt, trinaque extenſione in longum, latum, & profundum prædita, & eſt corpus. Altera in homine ſubſtantia eſt expers materiæ, & ſpiritualis, ut pote ex natura ſua capax cogitationis, intellectionis, & volitionis. Quo fit, ut, deſinente in homine ſubſtantia corporea, ſuperſtes ſit ſemper anima, quæ eſt ſubſtantia incorporea & immortalis. Sed hæc ad vindicias Libri Eccleſiaſtis dicta ſufficiant, ex quibus facile etiam intelliges, quam ſiniſtrum, juxta ac inſulſum ſit judicium, quod de eo libro profert Hæreſiarcha *Lutherus*, quem in ſuis *Convivalibus Colloquiis De Libris Veteris & Novi Teſtamenti*, hæc effutire non puduit: *Eccleſiaſtes Liber*, inquit, *non eſt plenus, multa habet abrupta; neque ocreis, neque calcaribus indutus eſt, hoc eſt, nullam habet perfectam ſententiam. Equitat in arundine longa, ſicuti ego, dum eram in Monaſterio*. Dignum ſane patella operculum! nimirum *Lutherus* Salomonem ex ſuo voluit metiri ingenio, & quia ipſe, vinolentiæ & crapulæ deditus, non niſi pleniſſime potatus animum ad ſcribendum, vel concionandum appellere ſolebat, ideo ludicre ait, Auctorem Libri Eccleſiaſtis non eſſe plenum, eumque abſque ocreis, & calcaribus equitare in arundine longa. Sed mittamus ſacrilegas iſtius Hæreſiarchæ facetias, quibus palam declaravit, ſe in corde *Lucianum*, Deum, hominumque irriſorem, aut alium quemdam de grege *Epicuri* porcum, grandem inhalantem crapulam, aluiſſe.

D. Non minori petulantia Hæretici inſurguut contra *Salomonis* librum, qui per excellentiam dicitur *Canticum Canticorum*. Ajunt enim, ſicut nuperrime legebam, hunc librum nihil præ ſe ferre divinum, ſed eſſe obſcœnam impudici amoris cantilenam, ſeu garritum conjugum inter ſe, ſeu inter *Salomonem*, & filiam Regis Ægypti, quam uxorem duxerat. Afferunt, *Salomonem* in hoc libro ſecretiora nuptiarum arcana, leneſque conjugum ſub noctem ſuſurros, honeſtis tamen verborum involucris ea arte obtexiſſe, ut ſine ulla diſtortione latentes ſenſus poſſint a lectoribus inveniri. Quocirca, audacter pronuntiant, ab illius libri lectione omnes arceri debere, ne inter illum legendum ad amorem prophanum alliciantur. Hanc igitur Hæreticorum petulantiam, quæſo te, ut breviter hic retundas, & germanum aperias *Cantici Canticorum* ſenſum.

M. Hunc Hæreticorum errorem, librum *Salomonis*, qui inſcribitur *Canticum Canticorum*, prophanos amores, & nuptiarum arcana exprimere impie aſſerentium, jam olim *Theodoretus* Præfatione in *Canticum Canticorum* doctiſſime confutavit. Verum, quia eumdem errorem poſtremis hiſce temporibus recoxerunt Anabaptiſtæ, aliique moderni Hæretici, non abs re erit paucis verbis illum diſpungere. In primis *Eſdras*, qui poſt laxatam captivitatem Babylonicam Canonem Sacrorum Librorum condidit, *Canticum Canticorum* inter Sacras Scripturas collocavit. Eccleſia etiam Catholica, cujus judicium indeficiens eſt, & falli omnino neſcium, divinam *Cantico Canticorum* auctoritatem vindicavit. Credibile autem ne eſt, *Eſdram*, & Eccleſiam Catholicam voluiſſe *Canticum Canticorum* accenſere Catalogo Librorum Sacrorum, ſi revera hic liber, uti blaterant Hæretici, prophanum aliquid ſaperet, & obſcœni eructaret ſcintillas amoris? Præterea, SS. Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici *Origenes*, *Euſebius*, *Cyprianus*, *Baſilius*, uterque *Gregorius*, *Diodorus*, *Joannes Chryſoſtomus*, & alii poſteriorum temporum Scripturæ Sacræ Interpretes, qui librum *Cantici Canticorum* doctiſſimis Commentariis illuſtrarunt, ejuſque arcanos ac myſticos ſenſus pie ac ſagaciter ſcrutati ſunt, docent, iſtud *Canticum Canticorum* complecti Colloquium Chriſti vel cum Eccleſia, quam acquiſivit ſanguine ſuo, quamque ſibi media Incarnatione deſponſavit, vel cum anima, quam per fidem ſibi ſponſam itidem copulatam imbuit ſanctitatis doctrina, & vitæ ſpiritualis perfectione per metaphoras, ſimilitudines, & parabolas inſtituit. Hæc eſt doctrina ſanctorum

Pa-

Patrum, quos veroſimile non eſt hunc *Cantici Canticorum* librum Commentariis illuſtrare voluiſſe, ſi hic liber, prophanum, ut garriunt Hæretici, aleret amorem. Addo etiam, Paraphraſtem Chaldæum, & *Moyſem Maymonidem*, Rabbinorum doctiſſimus, aſſerere, *Salomonem* iſto Dramate, ſeu *Cantico Canticorum*, expreſſiſſe amorem Dei erga dilectum ſibi ac fidelem populum Iſraeliticum. Non ergo prophanum & obſcœnum amorem ſpirat liber *Cantici Canticorum*, ſed divinum, & ſpiritualem, ſicut oſtendit *S. Hieronymus* lib. I. contra Hæreticum *Jovinianum*. Non inficior tamen, Hebræos non permittere juvenibus lectionem hujuſce libri, cujus reconditos ſenſus penetrare haud poſſunt, utpote necdum perfecti, tamque ſolidi cibi capaces. Sed ex hac prohibitione nihil adverſus divinam libri *Cantici Canticorum* auctoritatem extundi poteſt, quia, ut appoſite obſervat *Origenes* Homilia I. in *Canticum Canticorum*, Hebræi prohibent pariter lectionem principii libri Geneſis, ſicut initium ac finem Prophetiæ *Ezechielis*: tamen Hebræi non obſtante illa prohibitione, integro Geneſis libro, ſicut initio, & fini Prophetiæ *Ezechielis* divinam tribuunt auctoritatem. Quæ cum ita ſe habeant, æquumne eſt, ut deſpecta Eccleſiæ Catholicæ, & ſanctorum Patrum auctoritate, aurem præbeamus nefariis Hæreticis, qui in ſacrum *Cantici Canticorum* librum temere, & perfricta fronte debacchantur, eumque pro ſuo nutu, & arbitrio eximunt e Sacrorum Librorum Canone, quem *Eſdras*, ſpeciali Spiritus Sancti lumine illuſtratus, contexuit, & Catholica approbavit Eccleſia?

D. Expeditam nunc habeo & paratam ſolutionem argumentorum, quæ ad convellendam, vel elevandam ſacram librorum, quos edidit *Salomon*, auctoritatem ex contraria parte opponi poſſunt. Juvat modo, ſi placet, tantiſper inquirere in Auctores librorum *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*, quos ex Ethicarum *Salomonis* Scriptionum, ſeu Sententiarum compilationibus decerptos eſſe ſuperius quidem obſervaſti, ſed illorum ordinem, contextum, ac compoſitionem eſſe alterius Scriptoris, a *Salomone* plane diſtincti inſinuaſti. Cedo itaque nomina Auctorum, a quibus conſcripti ſunt Libri *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*, eademque opera ſummam exhibe rerum, quas præcipue complectuntur ſacri illi duo libri.

M. Quamvis certum ſit, librum *Sapientiæ* ex variis *Salomonis* Sententiis hac illac diſperſis fuiſſe conflatum, ac ſubinde doctrinam, eo in libro contentam eſſe *Salomonis*, ſicut declarat ejuſdem Sacri Libri Titulus, qui in Græca, Syriaca, & Arabica Verſionibus nomen *Salomonis* præfert: Attamen, quis ſit Auctor ille, qui doctrinam *Salomonis*, ſeu Ethicas ejus Sententias collegit & compilavit, eaſque in hoc *Sapientiæ* libro, quem nunc habemus, digeſſit, diſpoſuit, & ordinavit? incertum omnino eſt. Utut ſit, certiſſime conſtat, Auctorem iſtius *Sapientiæ* libri, qualem nunc habemus, fuiſſe a Deo inſpiratum, & ſpiritu prophetico afflatum hæc de Paſſione Chriſti Domini capite ſecundo ſcripſiſſe: *Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum* &c. Quæ verba ſi conferantur cum iis, quæ cap. 27. Evangeliſtæ *Matthæi* leguntur, planum erit, hoc illuſtre de Paſſione Chriſti Domini Vaticinium. Advertere tamen debes, hunc *Sapientiæ* librum non extare in Hebræorum Canone, quem *Eſdras* poſt ſolutam captivitatem Babylonicam condidit, inſertum tamen eſſe Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canoni, quem Catholica contexuit Eccleſia, quæ infallibili, quo pollet judicio, defectum Canonis Hebræorum ſarſit, & divinam libro *Sapientiæ* aſſeruit auctoritatem. Quo fit, ut nullus, niſi Hæreticus, hunc *Sapientiæ* librum eſſe ſacrum, ac divinum inficias ire poſſit. Continet autem hic *Sapientiæ* liber undeviginti capita, quorum hæc ſumma eſt. Primo, hortatur hujus ſacri libri Scriptor, Reges Principes, & Magiſtratus ad zelum, ſtudium, & amorem Sapientiæ, eiſque ſuadet ſervare juſtitiam, quæ viam ſternit ad veram acquirendam ſapientiam. Juſtorum vitam, & mortem felicem eſſe oſtendit, impiorum vero vitam neque diuturnam eſſe neque felicem, mortem inhonoratam, & poſt mortem coram Tribunali Dei fletus, miſerum in Inferno ſtatum, æternoſque cruciatus. Præterea, explicat Sapientiæ originem, docet modum illam acquirendi, ejuſque excellentiam commendat. Poſtremo, plurimis exemplis illuſtrium Patriarcharum, & totius populi Iſraelitici palam facit utilitates, fructus, & effectus Sapientiæ.

Auctor libri, qui dicitur *Eccleſiaſticus*, non alius eſt, quam *Jeſus filius Sirach*, qui ex variis *Salomonis* moralibus excerptis Sententiis, & in ordinem digeſtis hunc librum concinnavit. Quamplurimas enim *Salomonis* Sententias ex libris *Proverbiorum*, *Eccleſiaſtis*, & *Sapientiæ* in iſtum *Eccleſiaſtici* librum translatas fuiſſe luculenter demonſtrat *Druſius* lib. I. *Obſervationum*, & Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Abrincenſis Epiſcopus, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, *Propoſitione IV.* Nec ſolum Jeſus, filius Sirach, Hieroſolymitanus, *Salomonis* Sententias compilavit, ac digeſſit in libro, qui *Eccleſiaſticus* appellatur, verum etiam ad *Salomonis* Sententias adjecit ſuas, ſicut legitur in Prologo iſtius libri: *Avus meus Jeſus, poſtquam ſe amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis a parentibus noſtris traditi ſunt, voluit & ipſe ſcribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & ſapientiam pertinent, ut deſiderantes diſcere, & illorum periti facti, magis, magiſque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam.* Et cap. 50. verſ. 29. ejuſdem libri: *Doctrinam ſapientiæ, & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Jeſus filius Sirac Jeroſolymita, qui renovavit ſapientiam de corde ſuo.* Unde liquet, Jeſum filium Sirac eſſe Auctorem libri *Eccleſiaſtici*, quia (ut perdocte obſervat Illuſtriſſimus Abrincenſis Epiſcopus in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione IV. pag. 204.) ſicut domus opifex

ceuſe-

cenſetur is, non qui materiam cædit, aut cæmenta tundit, ſed qui hæc aliunde ſubminiſtrata ordine collocat, & ſuis quoque locis ad condendam domum diſponit, ita Sententias a *Salomone* fere excogitatas, tanquam cæmenta ac materiam collegit Jeſus Sirachi filius, & in ejus, quo nunc utimur, Operis fabricationem digeſſit. Hunc librum *Eccleſiaſtici*, ſicut & librum *Sapientiæ* non recenſet Canon Eſdrinus, ſeu Hebræorum Canon, quem *Eſdras* poſt laxatam captivitatem Babylonicam condidit, tum quia hi duo libri, qui ex moralibus *Salomonis* ſententiis a diverſis auctoribus magnam partem conflati ſunt, necdum prodierant tempore *Eſdræ*: tum quia etiam, perturbato adhuc poſt captivitatem Babylonicam ſtatu Reipublicæ Hebræorum, duo iſti libri ad notitiam *Eſdræ* non pervenerunt, ac dumtaxat reperti ac noti fuerunt, poſtquam *Eſdras* Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canonem jam clauſiſſet & obſignaſſet. Cæterum, Eccleſia Catholica, cui ex officio incumbit de Libris Canonicis tam Veteris, quam Novi Teſtamenti proferre judicium, nulli errori obnoxium, libros *Eccleſiaſtici*, & *Sapientiæ* tam in Concilio Laodiceno, quam in Œcumenica Synodo Tridentina Seſſione quarta juxta traditionem ſanctorum Patrum, accenſuit Canoni Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti. Teſtatur *S. Athanaſius* in Epiſtola Feſtali, libros *Sapientiæ*, *& Eccleſiaſtici* fuiſſe in antiqua Eccleſia Catechumenis, præ cæteris aliis Scripturæ Sacræ libris, prælectos, ut pote faciliores, & efformandis moribus magis idoneos. Sicut enim liber *Sapientiæ*, ut mox obſervavi, ſuppeditat ſalutaria documenta, & pias, rudibuſque etiam pervias Sententias morales, quæ homines, quovis in ſtatu ad ſapientiam & virtutem probe inſtituere poſſunt; ita Auctor libri *Eccleſiaſt.* dat præcepta de ſingulis virtutibus, præclara etiam complectitur documenta, quæ non ſolum ad propriam perficiendam excolendamque perſonam, ad familiam, & Rempublicam gubernandam utilia ſunt, vel neceſſaria; denique, omnium virtutum, & documentorum exempla, quæ tradidit, elogiis Patriarcharum, Prophetarum, & Principum illuſtrium Veteris Teſtamenti concludit.

D. *Salomonis*, aliorumque Regum tam Judæ, quam Iſraelis geſta in ſuperiori Colloquio compendioſe narraſti, eaque, ſicut memini, te ibidem annotaſſe, excerpſiſti ex ſacra Hiſtoria Regum, quæ in quatuor libris Regum, & in duobus libris Paralipomenon fuſe deſcripta legitur. Sed, ut major huic Hiſtoriæ concilietur auctoritas, ſuaque ei conſtet antiquitas, debes nunc proferre in medium Sacros Scriptores, qui prædictam Hiſtoriam in quatuor libris Regum, & in duobus libris Paralipomenon literis mandarunt, atque ſummatim delibare ſingula, quæ ſeorſim in iſtis libris continentur.

M. Quiſnam ſit quatuor librorum Regum Auctor? non ſatis conſtat. Probabilius tamen cenſent viri eruditi, *Samuelem*, qui Regis *Saulis* ætate vixit, eſſe Auctorem libri primi Regum uſque ad caput vigeſimum quintum, finem vero ejuſdem libri, totumque ſecundum librum Regum fuiſſe exaratum a Prophetis *Gad*, & *Nathan*, qui geſta *Davidis* Regis literis conſignarunt, ejuſque temporibus floruerunt. *Geſta autem David Regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad videntis*. Liber tertius Regum uſque ad obitum *Salomonis* ſcriptus fuit a *Nathan*, *Ahia Silonite*, & *Addo*, Prophetis, qui, regnante *Salomone*, vixerunt, ejuſque res geſtas memoriæ prodiderunt, ſicut legitur lib. 2. Paralipomenon cap. *9.* v. *29.* *Addo*, & *Semejas*, ejuſdem ævi Prophetæ, commendarunt res geſtas a Rege *Roboamo*, filio *Salomonis*, ut legitur cap. 12. lib. 2. Paralipomenon. Res *Abiæ*, Regis Juda, ſcripſit *Addo*, Propheta, ſicut legitur cap. 13. lib. 2. Paralipomenon. Res geſtas *Joſaphati*, Regis Juda, ſcripſit Propheta *Jehu*, filius *Hanani*, ſicut legitur cap. 20. libr. 2. Paralipomenon. Denique *Iſaias*, Propheta, qui in diebus *Oziæ*, *Joathan*, *Achaz*, & *Ezechiæ*, Regum Juda, vaticinatus eſt, ſcripſit res memorabiles geſtas a Regibus Juda, *Ozia*, & *Ezechia*. Hinc geſta *Ezechiæ*, Regis Juda, quæ narrantur libri quarti Regum capitibus 18. 19. & 20. deprompta ſunt ex quatuor integris capitibus Prophetiæ *Iſaiæ*, videlicet ex capitibus *36.* *37.* *38.* & *39.* Probabilius itaque eſt, *Eſdram*, qui, poſt captivitatem Babylonicam, divino afflatus Spiritu, Sacram Scripturam inſtauravit, Hiſtoriam Regum tam Judæ, quam Iſraelis, ex his Prophetarum, ſeu Sacrorum Scriptorum, de geſtis Regum Commentariis excerpſiſſe, eamque in compendium redactam, in unum codicem coegiſſe. Quod ſpectat duos libros Paralipomenon, in quibus itidem deſcribitur Hiſtoria Regum; conſtans eſt Hebræorum opinio, illos ab *Eſdra* fuiſſe lucubratos. At, Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Abrincenſis Epiſcopus, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, *Propoſitione IV.* exiſtimat, duos Paralipomenon libros non ex Actis ſolum diurnis collectos fuiſſe, ſed etiam ex Prophetarum, quos ſuperius laudavimus, videlicet *Semeiæ*, *Addo*, J*ehu*, *Nathanis*, *Abiæ Silonitis*, *Iſaiæ*, aliorumque de geſtis Regum Scriptionibus, ſeu Commentariis, digeſtos & concinnatos eſſe ab *Eſdra* poſtquam Iſraelitæ, e captivitate Babylonica ſoluti, ad natale ſolum jam rediiſſent.

D. Si verum ſit, *Eſdram* Hiſtoriam Regum tam Judæ, quam Iſraelis hauſiſſe, & compendioſam reddidiſſe ex variis Commentariis, quos de geſtis Regum antehac Scribæ, ſeu Prophetæ, fuſiori calamo ſcripſerant; cur, quæſo, viri eruditi paucis abhinc annis tanto æſtu in *Richardum Simonium* eo potiſſimum nomine invecti ſunt, quod hic celebris Scriptor in ſua *Hiſtoria Critica Veteris Teſtamenti* probandum ſuſcepiſſet, *Moyſem* eſſe quidem Auctorem Legis, quæ deſcripta eſt in Pentateucho, veroſimilius tamen eſſe, Hiſtoriam, quæ narratur in Pentateucho, non eſſe ſcriptam a *Moyſe*, ſed potius exara-

exaratam fuiſſe poſt mortem *Moyſis* ab aliquo publico Scriba, qui a Republica Hebræorum ſcribendis eorum Annalibus erat deſtinatus, quique ex veteribus aliorum Scribarum, qui *Moyſis* temporibus coævi fuerunt, Diariis, & Commentariis excerpſit monumenta Hiſtoriæ, quæ Pentateucho continentur, eaque in ordinem digeſſit, & in compendium redegit. Hoc *Richardi Simonii* Syſtemate, non minuitur, opinor, ſacra Pentateuchi auctoritas, ſicut viri eruditi nihil omnino derogant ſacræ ac divinæ auctoritati quatuor librorum Regum, & duorum librorum Paralipomenon, tametſi fateantur, *Eſdram*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, Hiſtoriam Regum Judæ, & Iſraelis, his libris comprehenſam, excerpſiſſe ex Commentariis veterum Scribarum, qui Regum Judæ, & Iſraelis, ſub quibus floruerunt, res geſtas data opera in literas retulerunt, fuſiuſque deſcripſerunt.

M. Jure optimo novum iſtud *Richardi Simonii* Syſtema ab omnibus viris eruditis fuit exploſum. Nam primo, ſi *Moyſes*, ut pertendit ille Scriptor, ſit tantum Auctor Legis, ſed non Sacræ Hiſtoriæ, quæ in Pentateucho continetur, inde ſequitur plane, *Moyſem* non eſſe Auctorem totius Pentateuchi. Quod ſane adverſatur Scripturæ Sacræ, quæ expreſſe ac diſerte innumeris in locis integrum Pentateuchum *Moyſi*, ceu vero ac legitimo parenti, adſcribit ac vindicat. Sacræ etiam auctoritati, & antiquitati Pentateuchi derogat novum iſtud *Richardi Simonii* Syſtema, palamque ſavet impietati *Obbeſii* Scriptoris Angli, *Eduardi Herberti*, *Spinoſæ*, *Peyrerii*, qui leviſſimis adductis rationibus, auſi ſunt perſricta fronte negare, *Moyſem* eſſe Auctorem Pentateuchi, ut hoc pacto Sacræ Scripturæ auctoritatem, & antiquitatem penitus labefactarent, viamque munirent ad Atheiſmum. Præterea, nulla efficaci ratione, nulla alicujus ponderis ratione, nullo prorſus antiquitatis monumento fulcitur hoc ſyſtema *Richardi Simonii*, qui capitibus primo, ſecundo, & tertio *Hiſtoriæ Criticæ Veteris Teſtamenti* aſſerit in Republica Hebræorum fuiſſe publicos Scribas, qui a *Moyſe*, *Joſue*, cæteriſque aliis Sacrorum Librorum Scriptoribus erant omnino diſtincti, quippe a Republica auctoritatem habebant res memorabiles ſuis temporibus geſtas literis conſignandi. Sed hoc purum putumque commentum eſt, quia de illis publicis Scribis, quos in Republica Hebræorum fuiſſe dictitat *Simonius*, quoſque ab Scriptoribus, qui Spiritu Sancto afflati Sacros Libros exararunt, affirmat fuiſſe diverſos, ne apex quidem in tota Scriptura Sacra, ac ne minimum quidem occurrit veſtigium. Immo, *Joſephus*, Hebræus, lib. 1. contra *Apionem* teſtatur, penes dumtaxat Prophetas, qui *antiquiſſima & veterrima*, *ſecundum inſpirationem a Deo factam* cognoſcebant, poteſtatem fuiſſe libros, quos ceu ſacros ac divinos recipiebat Reſpublica Hebræorum, conſcribendi. Nunquam igitur in Republica Hebræorum extiterunt illi publici Scribæ, ut finxit *Simonius*, quibus ex officio incumberet res memorabiles ſuis temporibus geſtas in literas referre, quique eſſent diverſi a *Moyſe*, *Joſue*, & a cæteriis aliis Scriptoribus, qui, inſpirante Deo, Sacros Veteris Teſtamenti Libros ediderunt. Poſtremo, non eſt par ratio de Pentateucho *Moyſis* ac de quatuor libris Regum, & de duobus libris Paralipomenon, quia Scriptura Sacra, ut antea oſtendimus, aperte indicat Prophetas, ſeu Sacros Scriptores, qui geſta Regum, ſub quibus claruerunt, fuſe deſcripſerunt, ex quorum Commentariis *Eſdras*, ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia illuſtratus, poſt laxatam captivitatem Babylonicam excerpſit, & in Epitomen redegit Hiſtoriam Regum, tam Judæ, quam Iſraelis, ſicut eam nunc habemus comprehenſam quatuor libris Regum, & duobus libris Paralipomenon. At, nullibi Scriptura Sacra ait, tempore *Moyſis* fuiſſe Scribas, ſeu Prophetas, qui Hiſtoriam rerum, quæ ſub *Moyſe*, Reipublicæ Hebræorum Duce, contigerunt, in literas retulerint. Nullibi etiam Scriptura Sacra innuit, fuiſſe poſt mortem *Moyſis* aliquem Scribam, ſeu Prophetam, qui Hiſtoriam rerum geſtarum tempore *Moyſis* exſcripſerit ex Commentariis veterum Scribarum, quos *Richardus Simonius* fingit *Moyſi* fuiſſe coævos. Hæc, inquam, non tantum ſilet Scriptura Sacra, ſed etiam clariſſime teſtatur, *Moyſem* eſſe Auctorem totius Pentateuchi, hoc eſt, non ſolum Legis, ſed & Hiſtoriæ rerum geſtarum, quæ in eo referuntur. Jure itaque ac merito viri eruditi improbarunt ſyſtema *Richardi Simonii*, qui, etſi fateatur, *Moyſem* eſſe Auctorem Legis, quæ continetur in Pentateucho, aſſerit tamen, Hiſtoriam rerum, quæ ibi narrantur, a *Moyſe* ſcriptam non eſſe, ſed a publicis Scribis, qui *Moyſi* coævi erant, fuiſſe exaratam, eamque poſt *Moyſis* obitum, ex veterum illorum Scribarum Commentariis excerptam eſſe ab aliquo publico Scriba, qui ejuſmodi Hiſtoriam rerum geſtarum ſub *Moyſe*, in Epitomen redegit, qualem nunc habemus in Pentateucho *Moyſis*. Hoc autem *Richardi Simonii* ſyſtema falſi convincitur non ſolum ex Scriptura Sacra, ſed ex perpetua, ſibique ſemper conſtanti traditione, quæ, ut alibi, obſervavimus, viguit ſemper apud Judæos, Samaritanos, & Chriſtianos, quaque omni ævo creditum eſt, *Moyſem* eſſe Auctorem totius Pentateuchi.

D. Video nunc parem non eſſe rationem de Auctore Pentateuchi, ac de Auctore librorum quatuor Regum, & duorum Paralipomenon. *Moyſem* quippe eſſe totius Pentateuchi Auctorem extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt; ſed quatuor librorum Regum, & duorum librorum Paralipomenon diverſi aſſignantur Scriptores (non quidem publici illi in Republica Hebræorum Scribæ, quos proprio marte & e ſuo cerebro finxit *Simonius*, quique in rerum natura nunquam extiterunt) ſed Prophetæ, quos ex Scriptura Sacra indicaſti, videlicet *Samuel*, *Ahio Silonites*, *Nathan*, *Addo*, *Semeias*, *Jehu*, & *Iſaias*, qui geſta Regum, ſub quibus vaticinati ſunt, literis tradiderunt, eaque ex eorum Commentariis *Eſdras*, poſt laxatam captivitatem Ba-

bylonicam, Deo afflante & inſpirante, excerpſit, digeſſit, & compendioſe in quatuor libris Regum, & duobus libris Paralipomenon deſcripſit. Hæc modo nota ac explorata habeo. Sed, ut facilius memoria tenere poſſim ordinem, quem in digerenda in his libris Hiſtoria Regum tenuit *Eſdras*, obnixe te rogo, ut hic quatuor librorum Regum, & duorum librorum Paralipomenon, quales nunc habemus, mihi Analyſin exhibeas.

M. Annuo quidem lubentiſſime, ſed ea tamen Lege, ut tu ipſe ſacros illos libros, ſicut & totam Scripturam Sacram in fonte legas quo illam tibi familiarem reddere poſſis, & divinam, quam complectitur, doctrinam in purum putumque, ut dici ſolet, ſuccum pro viribus vertere ſtudeas. Ordior autem a primo libro Regum, qui in quatuor partes diſtribui poteſt. In prima agitur de ortu, & geſtis *Samuelis*, de peccatis filiorum *Heli*, Summi Pontificis, & de funeſta illius morte poſt acceptum nuncium de Arca Fœderis, capta a Philiſtæis. In ſecunda parte deſcribuntur *Saulis* inauguratio in Regem Iſrael, & *Samuelis* obitus. In tertia parte narrantur *Davidis* victoriæ, ejuſque unctio in Regem Iſrael. In poſtrema parte referuntur perſecutiones, quibus *David* ab ingrato *Saule*, Rege, fuit exagitatus. Continet hic primus liber Regum in Editione Vulgata capita triginta & unum.

In ſecundo libro Regum deſcribuntur res geſtæ a morte *Saulis*, Regis, uſque ad finem Davidici Regni. Dinumerantur omnes victoriæ quas *David*, poſtquam fuit conſtitutus Rex ſuper Regnum Judæ, & ſuper totam Gentem Hebræam, reportavit. Narrantur fuga *Abſalonis*, filii *Davidis*, Regis, propter necem, quam intulit *Ammoni* fratri ſuo, qui ſuam & *Abſalonis* ſororem conſtupravit, ejuſque reditus Hieroſolymam, & conjuratio in *Davidem* Regem, patrem ſuum, quem e ſolio exturbare molitus eſt. Denique, recenſentur Dei flagella, queis populus Iſrael afflictus, & a quibus Dei benignitate liberatus eſt. Complectitur hic ſecundus liber Regum in Editione Vulgata capita viginti quatuor.

Tertius liber Regum exhibet Hiſtoriam ab obitu *Davidis*, & unctione filii ejus *Salomonis* in Regem totius Iſrael uſque ad mortem *Joſaphat*, Regis Juda, & *Achabi*, Regis Iſrael. In primis, referuntur exordia Regni *Salomonis*, qui, juſſu *Davidis*, patris ſui, Rex Iſraelis ſalutatus, multa præcepta ac conſilia, ſibi ab eo ante mortem relicta, executioni mandavit, morti addicendo *Adoniam*, fratrem ſuum, qui Regno inhiabat, *Abiatharem*, Summum Pontificem, *Joabum*, militiæ Principem, qui a partibus *Adoniæ* ſtabant, & *Semei*, qui *Davidem*, Regem injuriis laceſſiverat. Præterea, in hoc tertio Regum libro deſcribitur magnificentia Regis *Salomonis*, potiſſimum in ſtructura Templi Hieroſolymitani, Domus Regiæ, & plurium civitatum. Commendatur ejuſdem *Salomonis* ſapientia, poſt homines natos maxima, necnon ipſius oſtenditur Idololatria, cum ardenti in mulieres libidine conjuncta, a qua ante mortem receſſiſſe, & ad meliorem frugem ſe recepiſſe minime legitur. Poſtremo, texitur Hiſtoria Regis *Roboami*, qui fuit *Salomonis* filius, & cujus jugum excutientes decem Tribus Iſrael *Jeroboamum* ſibi præfecerunt Regem, geſtaque produntur non ſolum Regum Juda, qui poſt *Roboamum* regnarunt, videlicet *Abiæ*, *Aſæ*, *Joſaphati*, ſed etiam Regum Iſraelis, qui poſt *Jeroboamum*, ſupremum in decem Tribus obtinuerunt dominium, ſcilicet *Nadab*, *Ela*, *Zamri*, *Amri*, & *Achabi*. Habet hic liber tertius Regum in Editione Vulgata capita viginti duo.

In quarto libro Regum texitur primo Hiſtoria Regum Judæ, qui ab obitu Regis *Joſaphati* regnarunt uſque ad captivitatem Babylonicam, id eſt Regum *Jorami*, *Ochoziæ*, *Athaliæ*, *Joaſi*, *Amaſiæ*, *Oziæ*, ſeu *Azariæ*, *Joathas*, *Achazi*, *Ezechiæ*, *Manaſſis*, *Amonis*, *Joſiæ*, *Joachazi*, *EliaKimi*, *JoaKimi*, & *Sedeciæ*, qui ultimus fuit Regum Juda, & a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, in Babyloniam captivus deportatus. Deinde, deſcribuntur geſta Regum Iſraelis ab obitu impii *Achab*, Regis Iſrael, uſque ad captivitatem Aſſyriacam, nempe Regum *Ochoziæ*, *Jorami*, *Jehu*, *Joathazi*, *Joaſi*, *Jeroboami II. Zachariæ*, *Sellumi*, *Manahemi*, *Phaceja*, *Phacee*, & *Oſee*, qui fuit poſtremus Regum Iſraelis, quemque *Salmanaſar*, Aſſyriorum Rex, una cum decem Tribus Iſraeliticis duxit in captivitatem Aſſyriacam, totumque Iſraelitarum Regnum, quod a *Jeroboamo I.* exordium habuit, penitus everſum ſuam in poteſtatem redegit, ſuoque Aſſyriorum adjecit Imperio. Continet hic liber quartus Regum in Editione vulgata vigintiquinque capita. Habes nunc brevem Analyſin rerum, quæ narrantur in quatuor libris Regum. Nunc attexam Analyſin duorum librorum Paralipomenon, qui ita appellantur, quia ſunt velut Chronicon, Diarium, & reaſſumptio plurium, quæ vel prætermiſſa, vel non ita fuſe narrata ſunt in quatuor libris Regum, quorum videntur eſſe veluti ſupplementum. Paralipomenon ſiquidem vox Græca eſt, quæ Latine redditur *Prætermiſſorum*, ſeu *Reſiduorum*. Duo libri Paralipomenon, teſte S. *Hieronymo* in Prologo, unum dumtaxat librum apud Hebræos efficiunt, qui ab illis vocatur: *Verba dierum*, ſed propter ſui magnitudinem, in duos libros a Chriſtianis diſtributus eſt. In primo libro Paralipomenon, qui in Editione vulgata conſtat capitibus viginti novem, contexitur Genealogia, ſeu propagatio Gentis Iſraelitarum ab Adamo, primo hominum parente, uſque ad *Davidem* Regem. Poſtea, Regis *Saulis* præmiſſa Hiſtoria, ejuſque reprobatione & morte, deſcribuntur *Davidis* inauguratio in Regem, atque heroica illius adverſus Iſraelitarum hoſtes, geſta, & victoriæ, necnon præclaræ, quibus pollebat, virtutes, præſertim vero zelus, quo flagrabat, promovendi Dei cultum, eximia pietas, & felix Regni adminiſtratio. Alter Paralipomenon liber, qui in Editione vulgata in triginta ſex capita diviſus eſt, complectitur Hiſtoriam Regis *Salomonis*,

& aliorum Regum Juda, qui regnarunt uſque ad captivitatem Babylonicam, & ad calcem ejuſdem libri fit mentio de reditu Judæorum e captivitate Babylonica in Judæam anno primo *Cyri*, Perſarum Regis.

D. Captivitas illa Aſſyriaca, in quam, ut mox dixiſti, decem Iſraelitarum Tribus a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, abductæ ſunt, præceſſit ne tempore captivitatem Babylonicam, in quam Judæi a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, fuerunt deportati?

M. Captivitas Aſſyriaca præceſſit captivitatem Babylonicam annis centum viginti duobus. Captivitas ſiquidem Aſſyriaca decem Iſraelitarum Tribuum, contigit, ut convenit inter omnes Sacræ Chronologiæ peritos, anno nono Regni *Oſee*, qui fuit ultimus Iſraelitarum Rex. Annus autem nonus Regni *Oſee* concurrit cum anno ſexto Regni *Ezechiæ*, Regis Juda, ut fatentur itidem omnes Chronologi. Hac autem ſemel poſita captivitatis Aſſyriacæ Epocha, proclive eſt oſtendere, hanc captivitatem antevertiſſe centum & viginti duobus annis captivitatem Babylonicam, quia ab anno ſexto Regni *Ezechiæ*, a quo petitur initium Aſſyriacæ Tribuum Iſraelitarum captivitatis uſque ad annum undecimum Regni *JoaKimi*, Regis Juda, cui anno, juxta probabiliorem opinionem, præfigendum eſt Judæorum captivitatis Babylonicæ exordium, certum eſt interfluxiſſe centum & viginti duos annos, ſicut ex iſto annorum Regum Judæ calculo, quem hic ſubjicio, facile colligi poteſt, *Ezechias*, Rex Judæ, regnavit in integrum viginti novem annis, & anno ſexto Regni ſui contigit Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis captivitas. *Ezechias* igitur, poſt Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis captivitatem, regnavit adhuc viginti tribus annis. Porro, ſi illis viginti tribus annis; per quos *Ezechias* regnavit poſt Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis captivitatem, addas annos quinquaginta, quinque Regni *Manaſſis*, duos annos Regni *Amonis*, annos triginta & unum Regni *Joſiæ*, & annos undecim Regis *Ioakimi* (anno quippe undecimo Regni *Ioakimi* illigari debet initium Captivitatis Judæorum Babylonicæ) confeſtim, ſubducto iſtorum annorum calculo, comperies ab anno ſexto Regni *Ezechiæ*, Regis Judæ, quo cœpit Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis captivitas, uſque ad Regni *IoaKimi*, Regis itidem Juda, annum undecimum, a quo ducendum eſt principium captivitatis Judæorum Babylonicæ, confeſtim, inquam, reperies, interfluxiſſe annos centum viginti duos, quibus Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis præceſſit Babylonicam Judæorum captivitatem. Porro, circa illam Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelitarum captivitatem tria occurrunt ſingulari obſervatione digna, quæ hic prætermittere minime debemus. Primo, hanc Aſſyriacam decem Tribuum captivitatem, quam Deus inflixit Iſraelitis, ob illorum impietatem, & idololatriam a *Ieroboamo*, primo eorum Rege cœptam, & ad hæc uſque tempora continuatam, prædixit Propheta *Amos* cap. 5. v. 27. his verbis: *Et migrare vos faciam trans Damaſcum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen ejus*. Hoc autem vaticinium edidit *Amos* annis ſexaginta quinque ante excidium Regni Iſraelitici, ſeu ante deportationem decem Tribuum Iſraelis in Aſſyriam. Prophetavit enim *Amos* anno vigeſimo quinto *Oſiæ*, Regis Judæ. Jam ſi ab anno Regni *Oſiæ* vigeſimo quinto numeres, ſupererunt ex annis Regni *Oſiæ*, qui regnavit quinquaginta duobus annis, anni viginti ſeptem. His adde annos quindecim Regni *Joatham*, ſexdecim *Achax*, & ſex *Ezechiæ* (anno quippe ſexto Regni *Ezechiæ* accidit, ut antea diximus, Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis captivitas) & habebis ſummam annorum ſexaginta quinque, qui effluxerunt a vaticinio Prophetæ *Amos* uſque ad Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis captivitatem. Hinc facile explicatur, quo pacto intelligendus ſit Propheta *Iſaias*, qui cap. 7. v. 8. non ſolum prædicit Regni Iſraelitici excidium, ſed & illius deſignat tempus his verbis: *Adhuc ſexaginta & quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe populus*. Hujus autem Epochæ annorum ſexaginta quinque initium arceſſiri haud poteſt ab eo tempore, quo *Iſaias* hoc fudit vaticinium, videlicet a diebus *Achaz*, Regis Judæ, ſub quo prophetavit; quandoquidem a diebus Regis *Achax* uſque ad decem Tribuum deportationem non ſexaginta quinque anni, ſed dumtaxat viginti tres anni decurrerunt. *Achaz* enim Rex Judæ regnavit annos dumtaxat ſexdecim, quibus ſi annos ſex Regis *Ezechiæ* addideris (anno quippe ſexto Regni *Ezechiæ* facta eſt decem Tribuum Iſraelis deportatio) emerget ſumma annorum tantum viginti trium. Initium itaque illius Epochæ ſexaginta quinque annorum de futura decem Tribuum Aſſyriaca captivitate, quam prædixit *Iſaias*, referendum non eſt ad tempus, quo ille Propheta ſub Rege Juda *Achazo* vaticinatus eſt, ſed ad tempus, quo Propheta *Amos* eamdem Aſſyriacam decem Tribuum deportationem futuram prædixit, id eſt, ad annum vigeſimum quintum *Oſiæ*, Regis Judæ. Ab anno ſiquidem vigeſimo quinto illius Regis, quo Propheta *Amos* hanc Aſſyriacam captivitatem futuram prædixit, uſque ad annum ſextum Regni *Ezechiæ*, quo in Aſſyriam deportatæ ſunt decem Tribus Iſraelis, numerantur anni ſexaginta quinque, ſicut mox oſtendimus.

Præterea, obſervare debes, poſt Iſraelitici Regni excidium, & decem Tribuum deportationem, novos colonos tam in urbe Samariæ, quæ ante hac erat caput Regni Iſraelitici, quam in aliis Samariæ Civitatibus, loco Iſraelitarum, qui in Aſſyriacam abducti fuerunt captivitatem, collocatos eſſe ab Aſſyriorum *Aſſaradone*, qui libro primo *Eſdræ* cap. 4. v. 10. vocatur *Aſenaphar*. Sed cum iſti novi coloni, quos de *Babylone*, de *Cutha*, de *Avath*, & *Emath*, & de *Sapharvaim* illuc miſerat hic Aſſyriorum Rex, Deum Iſraelis non colerent,

a leonibus infeſtati ſunt . Quod ubi Regi Aſſyriorum innotuiſſet , unum ex Iſraelitis Sacerdotibus e Samaria in Aſſyriam deportatis , qui Ritum colendi Deum Iſrael ipſos edoceret , miſit Rex ad illos , qui tamen cum vero Dei cultu , quem ab iſtis Iſraelitis Sacerdotibus edocti fuerant , vitulinam ſuperſtitionem , & Idolorum ſuorum cultum pertinaciſſime retinuerunt , ſicut legitur lib. 4. Regum cap. 17. Hæc fuit prima origo perpetui Judæos inter & Samaritanos diſſidii , quod progreſſu temporis ita exarſit, ut inter illos nihil conſuetudinis & ſocietatis eſſet , ſicut mulier Samaritana dicebat Chriſto Domino : *Non coutuntur Judæi Samaritanis*, cap. 4. v. 9. Evangelii S. *Joannis*.

Denique, præſtat ut obſerves , durationem hujus Aſſyriacæ Iſraelitarum captivitatis perpetuam fuiſſe , nec ex ea unquam decem Tribus Iſraelis liberatas, ad natale ſolum fuiſſe reverſas , ſicut prædixerant Prophetæ, præſertim *Oſee*, qui cap. 1. verſ. 6. hæc nomine Domini denunciat domui Iſrael : *Non addam ultra miſereri domui Iſrael* , *ſed oblivione obliviſcar eorum* . Paucos tamen ex Iſraelitis , ſed ex viliori plebe in patria , reliquerunt Aſſyrii , nec eos in captivitatem deportarunt , ſicut prædixerat *Iſaias* cap. 17. v. 6. His verbis : *Et relinquetur in eo ſicut racemus , & ſicut excuſſio oleæ duarum*, *vel trium olivarum in ſummitate rami* , *ſive quatuor* , *aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus* : *dicit Dominus Deus Iſrael* . Sed ſatis hactenus dictum ſit de Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis captivitate , quæ contigit anno nono *Oſee*, Regis Iſraelis , & anno ſexto *Ezechiæ*, Regis Judæ , ſub *Salmanaſare* , Aſſyriorum Rege, quem perperam Hebræi confundunt cum *Senacheribo* , altero Aſſyriorum Rege, qui , ut jam in ſuperiori Colloquio obſervavimus , regnante *Ezechia* , Hieroſolymorum urbem cum validiſſimo exercitu obſidione vallavit, eamque expugnaſſet, ni Deus audaciam ejus fregiſſet, & ad preces *Ezechiæ* , Regis Judæ, centum octoginta quinque millia Aſſyriorum in ejus caſtris per Angelum interemiſſet .

D. Nunc ſcio, Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis captivitatem contigiſſe anno nono *Oſee* , qui fuit ultimus Iſraelitarum Rex, & anno ſexto *Ezechiæ* , Regis Judæ , eamque præceſſiſſe centum & viginti duobus annis captivitatem Babylonicam , quam anno undecimo *Joakimi* , Regis Judæ , cœpiſſe, memini, te ſuperius obſervaſſe . Optarem tamen, ut paulo fuſius oſtenderes modo , Judæos revera in captivitatem Babylonicam fuiſſe abductos anno undecimo *Joakimi* , Regis Juda . Legi etenim nonnullos Scriptores , quorum alii initium captivitatis Babylonicæ arceſſendum putant ab anno quarto *Joakimi* , Regis Juda . Alii hujus captivitatis exordium referunt ad annum undecimum *Sedekiæ* , qui Regum Judæ ultimus fuit . Profer igitur in medium ea , quæ tibi ſuppetunt, momenta , [ad præfigendum initium captivitatis Babylonicæ anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ.

M. Captivitatis Babylonicæ initium ab anno undecimo *Joakimi* , Regis Judæ, ducendum eſse , hoc unum mihi perſuadet argumentum . Captivitas Babylonica , in quam Judæi a *Nabuchodonoſore* , Babyloniorum Rege, ducti ſunt , ſeptuaginta annorum intervallo in Sacris Literis definitur *Jeremiæ* cap. 25. *Danielis* cap. 9. & lib. 2. Paralipomenon c. 36. illorum vero ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ annorum exitum & finem in anno primo Regis *Cyri* conſtituendum eſſe conſtat ex mox citato capite libro ſecundo Paralipomenon . Atqui ab anno undecimo *Joakimi* , Regis Judæ , uſque ad annum primum Regis *Cyri* , qui laxavit captivitatem Babylonicam, effluxerunt anni ſeptuaginta ; initium igitur captivitatis Babylonicæ peti debet ab anno undecimo *Joakimi* , Regis Judæ . Ut autem clarius intelligas , intervallum ſeptuaginta annorum reapſe interfluxiſſe ab anno undecimo *Joakimi* Regis Judæ , uſque ad annum primum Regis *Cyri* , debes accurate diſtinguere duplicem Epocham Regni *Cyri* . Prima Epocha Regni *Cyri* deſumitur ab anno primo , quo *Cyrus* in Perſide regnare cœpit , qui annus concurrit cum anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ . Hæc eſt prima Epocha Regni , quod *Cyrus* in Perſide inivit . Altera Epocha Regni *Cyri* ea eſt , quæ auſpicatur anno vigeſimo octavo Regni , quod *Cyrus* inivit in Perſide , eo ſiquidem anno Rex *Cyrus* , poſtquam debellaſſet *Darium Medum* , Babyloniorum Regem , Babylonico Imperio potitus , Monarchiam Perſicam inſtituit , hoc eſt , tanquam ſupremus Monarcha in Babylone regnare cœpit anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ . *Cyrus* itaque regnavit in integrum triginta annos , ſicut ei Hiſtorici omnes conſtanter tribuunt , ſed annos viginti ſeptem regnavit in Perſide, alios vero tres ultimos regnavit in Babylone tanquam ſupremus Monarcha . Quando igitur in Scriptura Sacra legitur , captivitatem Babylonicam laxatam eſſe anno primo Regis *Cyri* , id intelligi non debet de anno primo , quo *Cyrus* in Perſide regnare cœpit ( nam ſicut fatentur omnes periti Chronologi , *Cyrus* Regnum Perſicum obtinuit anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ , quo quidem tempore necdum *Cyrus* Aſiam , & Babylonem occupaverat ) ſed id intelligi oportet de anno primo Regni , ſeu Imperii , quod *Cyrus* , poſt devictum *Darium Medium* , ſeu *Nabonidum* , tanquam ſupremus Monarcha , in Babylonia regnare cœpit . Id autem , ut mox diximus , contigit anno vigeſimo octavo Regni *Cyri* in Perſide initi , ſeu anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ , & ante Æram Vulgarem anno quingenteſimo trigeſimo ſecundo . Hac præmiſſa obſervatione de duplici Regis *Cyri* Epocha, quam multi Chronologi promiſcue confundentes , in conſtituendis exordio & fine ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ , a veritatis tramite deflexerunt ; hac , inquam , præmiſſa de duplici Regis *Cyri* Epocha obſervatione , luculenter

ter ex iſto, quem hic ſubjicio, Canone Chronologico, conſtabit, ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, uſque ad annum primum Regni, quod *Cyrus* non in Perſide, ſed in Babylonia inivit, effluxiſſe ſpatium ſeptuaginta annorum, per quos duravit captivitas Babylonica.

## CANON CHRONOLOGICUS

*Ab anno undecimo* Joakimi, *Regis Judæ, quo cœpit captivitas Babylonica, uſque ad annum primum Regni, quod* Cyrus *inivit in Babylonia tanquam ſupremus Monarcha.*

JOakin, Rex Judæ, regnavit undecim annis, & anno Regni ejus undecimo, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, cœpit captivitas Babylonica, quæ duravit ſeptuaginta annis.

*Nabuchodonoſor*, Babyloniorum Rex, regnavit annis quadraginta tribus, cumque Judæos in captivitatem Babylonicam abduxerit anno ineunte octavo Regni ſui, ſequitur, illum, poſt abductos Judæos in captivitatem Babylonicam, regnaſſe triginta ſex annis, & mortuum eſſe anno trigeſimo ſexto captivitatis Babylonicæ.

*Evilmerodachus*, filius *Nabuchodonoſoris*, regnavit duobus annis, & obiit anno ab incepta captivitate Babylonica trigeſimo octavo.

*Balthaſar* cum *Nirigliſſare*, patre ſuo, & *Nabuchodonoſoris* genero, regnavit quatuor annis, & e vivis exceſſit anno ab incepta captivitate Babylonica quadrageſimo ſecundo.

*Darius Medus*, dictus *Nabonidus*, & *Labynitus*, interfecto *Balthaſare*, fuit a Babyloniis Rex electus, & regnavit annos viginti ſeptem, deſiitque regnare anno ab incepta captivitate Babylonica ſexageſimo nono. *Beroſus* ſcribit, hunc *Darium Medum* regnaſſe in Babylonia annis viginti ſeptem, & tandem anno ultimo Regni ſui victum ac fugatum a *Cyro*, Perſarum Rege, Borſippen ſeſe recepiſſe, ubi *Cyri*, eum inſequentis, arbitrio ſe permiſit, & ab ipſo Caromaniæ Præfectura donatus eſt. At, Joſephus, Hebræus, ſcribit, *Cyrum* anno decimo ſeptimo *Darii Medi* fuiſſe e Perſide, ubi regnabat, egreſſum, &, univerſa ſubacta Aſia, in Babylonem impetum feciſſe. Quæ res movit plures Cronologos, ut dicerent, *Darium Medum* regnaſſe annis duntaxat ſeptemdecim. Verum, ipſe cum doctiſſimo Ludovico *Capello*, in ſua *Chronologia Sacra*, probabilius cenſeo, errorem eſſe in numero, & 27. loco 17. eſſe legendum. Vel, ſi nullus ſit error in numero, dicendum eſt, Regem *Cyrum* e Perſide fuiſſe egreſſum anno decimo ſeptimo *Darii Medi*, Babyloniorum Regis, ſed decennium in ſubigenda Aſia, priuſquam Babyloniam expugnaret, impendiſſe, adeo ut ſolum ſub finem anni vigeſimi ſeptimi Regni *Darii Medi* Babyloniam occupaverit, novuumque Regni primordium, debellato *Dario Medo*, *Cyrus* in Babylonia acceperit, ac Perſicam Monarchiam inſtituerit anno vigeſimo octavo Regni, quod in Perſide inierat, qui annus vigeſimus octavus Regni *Cyri* in Perſide initi fuit itidem annus primus Regni ſeu Imperii, quo tunc *Cyrus* in Babylonia potiri cœpit, & ſimul annus ab incœpta Captivitate Babylonica ſeptuageſimus, quo *Cyrus*, ut perhibet Scriptura Sacra, laxavit captivitatem Babylonicam, quæ ad ſeptuaginta annos protracta eſt.

Ex hoc Canone Chronologico clare, ni mea me fallat mens, colligi poteſt, ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, uſque ad annum primum Regni, quod *Cyrus* non in Perſide, ſed in Babylonia, devicto *Dario Medo*, inivit, elapſos fuiſſe annos ſeptuaginta, ac ſubinde, initium captivitatis Babylonicæ, quæ ſeptuaginta duravit annos, arceſſendum eſſe ab anno undecimo Regni *Joakimi*, non vero ab anno quarto illius Regni, ſicut per errorem obrepſit bene multis Chronologis, qui duplicem Epocham, quam mox aſſignavimus, Regni *Cyri* nullo pacto diſcernentes, ſibi, aliiſque perſuadere tentarunt, initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ ſumendum eſſe ab anno quarto *Joakimi* Regis Judæ, eorumque finem & exitum peti debere ab anno primo Regni Cyri in Perſide initi, quod ſane oppido falſum eſt, cum ab anno *Joakimi*, Regis Judæ, quarto, qui concurrit cum anno primo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, uſque ad annum primum, quo *Cyrus* Regnum in Perſide inivit, interfluxerint dumtaxat anni quinquaginta. Nihilo probabilior eſt Sententia *Joſephi*, Hebræi, lib. 1. contra *Apionem*, & quorumdam antiquorum Scriptorum, qui exordium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ ducunt ab anno undecimo Regni *Sedekiæ*, qui fuit Regum Judæ ultimus, & eorumdem ſeptuaginta annorum finem atque exitum completum fuiſſe dictitant in anno primo Regni *Cyri*; hæc, inquam, Sententia quorundam antiquorum Scriptorum omni prorſus probabilitate caret. Primo, quia ab anno undecimo Regni *Sedekiæ*, Regis Judæ, qui ſucceſſit *Joakimo*, uſque ad annum primum Regni, quod *Cyrus* ſive in Perſide, ſive in Babylonia inivit, ſeptuaginta anni numerari haud poſſunt. Secundo, quia antiqui illi Scriptores initium & finem ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ male confuderunt cum initio & fine ſeptuaginta annorum deſolationis Templi & Civitatis Hieruſalem. Licet enim verum ſit, initium ſeptuaginta annorum deſolationis Templi, & urbis Hieruſalem ſumendum eſſe ab anno Regis *Sedekiæ* undecimo, qui concurrit cum anno undevigeſimo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, qui hoc anno (ſicut jam in ſuperiori Colloquio obſervavimus) miſit *Nabuzardanem*, Principem Exercitus, a quo civitas Hieruſalem vaſtata, & incenſa eſt, Templumque toto Orbe auguſtiſſimum dirutum, ſoloque æquatum: quamvis, inquam, initium ſeptuaginta annorum hujus deſolationis Tem-

pli, & Hieroſolymorum urbis, fateantur omnes Chronologi petendum eſse ab anno Regis *Sedekiæ* undecimo, qui fuit annus decimus nonus Regni *Nabuchodonoſoris*, falſum tamen eſt, & Scripturæ Sacræ contrarium, quod ſibi perſuaſerunt quidam antiqui Scriptores, videlicet, initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ eſſe itidem repetendum ab anno undecimo *Sedekiæ*, Regis Juda; cum tam ex Scriptura Sacra, quam ex accurato annorum calculo certum ſit, captivitatem Babylonicam contigiſſe ſub *Joakimo*, Rege Judæ, deſolationem vero Templi, & urbis Jeruſalem accidiſſe ſub *Sedekia*, Rege Judæ, & *Joakimi* ſucceſſore. Similiter, licet verum ſit, captivitatem Babylonicam, quæ ſeptuaginta duravit annos, finem habuiſſe anno primo Regni, quod *Cyrus* non in Perſide, ſed in Babylonia, devicto *Dario Medo*, inivit, ſicut antea expoſuimus. Falſum tamen, & Sacræ Chronologiæ oppoſitum eſt, quod antiqui illi Scriptores, quos inter cenſentur *Julius Africanus* in Chronographia apud *Euſebium* lib. 10. Præparationis Evangelicæ cap. 10. *Cyrillus Alexandrinus* lib. 8. contra *Julianum*, Imperatorem Apoſtatam, & *Julius Hilario* in Libello De *Mundi Duratione*, aſſerunt, finem ſeptuaginta annorum deſolationis Templi, & Civitatis Hieruſalem ducendum eſſe a *Cyro*, Perſarum Rege; cum tamen omnium Sacræ Chronologiæ peritorum, & ſanctorum Patrum *Hieronymi* in Prologo Commentarii in *Aggæum* Prophetam, *Auguſtini* libri 18. *De Civitate Dei* cap. 26. & *Theodoreti* in caput primum *Zachariæ* Prophetæ, conſtans ſit, & ſacris literis maxime conſentanea ſententia, ſeptuaginta annos deſolationis Templi & Civitatis Hieruſalem finem exitumque habuiſſe in anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, qui poſt *Cyrum* regnavit, ſicut operoſius oſtendemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam ſextæ Mundi Aetatis, ad quam referenda eſt Hiſtoria Regum Perſarum, ſub quibus finem habuerunt tam ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ, quæ cœpit anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, & anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, quam ſeptuaginta anni deſolationis Templi & urbis Hieruſalem, quæ accidit anno undecimo *Sedekiæ*, Regis Judæ, & anno undevigeſimo ejuſdem *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis.

D. Quamvis ultro conſentiam, ut Hiſtoriam Regum Perſarum, ſub quibus finem, exitumque habuerunt tam ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ, quam ſeptuaginta anni deſolationis Templi, & civitatis Hieruſalem, remittamus ad Colloquia noſtra in Hiſtoriam ſextæ Mundi Aetatis; obiter tamen hic, cum bona tua venia, proponam difficultatem, quam nuperrime legi apud doctiſſimum *Melchiorem Canum*, qui cap. 5. libri 11. *De locis Theologicis* in ſententiam eorum, qui finem ſeptuaginta annorum deſolationis Templi referunt ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, acriter invehitur his verbis: *Mihi profecto, ut dixi, nulla via explicandorum eorum teſtimoniorum apparet, niſi plane conſentiendo, quod ad annum primum Cyri, ſeptuaginta deſolationis anni interfluxerunt. Intelligo autem quoſdam rei hujus ſummam ita diſtinguere, ut captivitatis*, ſeu Babylonicæ, *ſeptuaginta annos a tranſmigratione ad primum annum Cyri computent: at in ſecundo Darii*, ſeu Hyſtaſpis, *anno ſeptuaginta deſolationis annos abſolvant. Quod ſi verum eſſet, diſcrepantium opinionum probabilis ſane concordia eſſet inventa. Sed nihil falſius invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem. Tranſmigratio enim*, ſeu captivitas Babylonica, *fuit in anno Nabuchodonoſoris octavo, ut quarto Regum libro cap. 24. ſcribitur. Deſolatio vero in ejuſdem Regni anno undevigeſimo facta eſt, quarto Regum cap. 25. Vaſtatio ergo*, id eſt, deſolatio Templi & urbis Hieruſalem, *poſt undecim annos tranſmigrationi*, ſeu captivitati Babylonicæ, *ſucceſſit. A primo autem anno Cyri ad Darii ſecundum, ſine controverſia plures quam triginta anni interfluxerunt. Nullo ergo modo fieri poteſt, ut a tranſmigratione Jechoniæ*, ſeu Joakimi, Regis Juda, *ad annum Darii ſecundum ſeptuaginta anni numerentur*. Et poſt nonnulla interjecta, ſubdit Melchior Canus: *ſed ſeptuaginta everſionis*, ſeu deſolationis Templi, *annos non in primo Cyri, ſed in Darii ſecundo expletos eſſe, id vero conſtantiſſime pernegamus, non noſtra opinione nos, ſed Scripturæ teſtimonio freti*. Hactenus propoſui *Melchioris Cani* argumentum, quod adverſus tuam militat ſententiam. Nunc, quæſo, aperi viam, qua me ex eo extricare valeam.

M. In hanc antiquorum Scriptorum Sententiam ideo ivit *Melchior Canus*, vir alioqui acerrimi judicii, & non minus doctrina, quam facundia clarus, quia non diſtinxit geminam Epocham, quam ſuperius aſſignavimus, Regni *Cyri*, videlicet Epocham Regni, quod *Cyrus* inivit in Perſide, ubi regnavit viginti ſeptem annis, & alteram Epocham Regni, quod devicto *Dario Medo*, inivit idem *Cyrus* in Babylonia, ubi, tanquam ſupremus Monarcha, regnavit tribus annis. Hinc *Melchior Canus*, nulla facta diſtinctione duplicis illius Epochæ Regni *Cyri*, aſſerit primo, *Cyrum* regnaſſe triginta annis, uti teſtantur omnes Hiſtorici, qui de *Cyro* ſcripſerunt. Quod quidem verum eſſe lubens profiteor, ſi hoc in ſenſu intelligatur, quod *Cyrus* regnavit viginti ſeptem annis in Perſide, & deinde tribus annis in Babylonia tamquam ſupremus Monarcha. At, *Cyrum* regnaſſe triginta annis in Perſide conſtanter pernego. Secundo, ait *Melchior Canus*, deſolationis Templi annos ſeptuaginta, finem habuiſſe anno primo Regni *Cyri*, quod a veritate Hiſtoriæ prorſus alienum eſt. Nam ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ, quæ initium habuit anno undecimo *Joakimi* Regis Judæ, completi ſunt non anno primo Regni, quod inivit *Cyrus* in Perſide, ſicut ſupponit *Melchior Canus*, ſed anno primo Regni, quod inivit *Cyrus* in Babylonia, ubi, tamquam ſupremus Monarcha, imperavit tribus annis, ſicut oſtendimus in Canone Chronologico. Cum igitur deſolatio Templi &

urbis

urbis Hieruſalem poſt undecim dumtaxat annos ſucceſſerit captivitati Babylonicæ ( contigit quippe deſolatio Templi anno undecimo *Sedekiæ*, Regum Judæ ultimi, & anno decimo nono *Nabuchodonoſoris* ) nulla ratione fieri potuit, ut ſeptuaginta anni deſolationis Templi finem habuerint ſive in anno primo Regni, quod *Cyrus* inivit in Perſide, uni regnavit viginti ſeptem annis, ſive in anno primo Regni, quod idem *Cyrus*, tanquam ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia, ubi tribus annis imperavit. Tertio *Melchior Canus* pertendit, a primo anno Regni *Cyri* uſque ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, plures quam triginta numerari annos. Sed, quamvis id verum ſit, ſi calculus annorum ducatur ab anno primo Regni, quod inivit *Cyrus* in Perſide, falſum tamen omnino eſt, ſi annorum ſupputatio fiat ab anno primo Regni, quod *Cyrus*, tanquam ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia uſque ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis. Tantum enim abeſt, ut ab anno primo Regni, quod *Cyrus*, velut ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia, & eodem anno laxavit captivitatem Babylonicam, quæ per ſeptuaginta duravit annos, numerentur uſque ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis* plures quam triginta anni, ſicut affirmat *Melchior Canus*, ut potius undecim circiter dumtaxat interfluxerint anni, quod ſic breviter demonſtro. *Cyrus* anno primo Regni, quod, tanquam ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia, laxavit captivitatem Babylonicam, & regnavit in Babylonia tribus annis. *Cyro* in Monarchia Perſarum ſucceſſit ejus filius *Cambyſes*, qui regnavit ſeptem annis. *Cambyſi* ſucceſſit *Smerdes Magus*, qui uno tantum anno imperavit. *Smerdi Mago* ſucceſſit *Darius Hyſtaſpis*, cujus Regni anno ſecundo, finem exitumque habuerunt ſeptuaginta anni deſolationis Templi & urbis Hieruſalem. Patet itaque ab anno primo, quod *Cyrus*, ut ſupremus Perſarum Mornarcha, inivit in Babylonia, & quo captivitatem Babylonicam ſolvit, uſque ad annum *Darii Hyſtaſpis* ſecundum, quo diximus, finem exitumque habuiſſe ſeptuaginta annos deſolationis Templi & urbis Hieruſalem, interfluxiſſe dumtaxat annos circiter undecim, non vero plures quam triginta numerari annos, ſicut ait *Melchior Canus*, ſecutus ſententiam quorundam antiquorum Scriptorum, qui non diſtinguentes duplicem Epocham Regni *Cyri*, videlicet Epocham Regni, quod *Cyrus* inivit in Perſide, ubi viginti ſeptem annis regnavit; & alteram Epocham Regni, quod *Cyrus*, tanquam ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia, eoque per tres annos potitus eſt; ſacram Chronologiam, circa initium & finem ſeptuaginta annorum tam captivitatis Babylonicæ, quam deſolationis Templi & urbis Hieruſalem, inexplicabili confuſione perturbarunt. Sed de his iterum redibit ſermo in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſextæ Mundi Aetatis, ubi annorum *Cyri*, Monarchiæ Perſicæ conditoris, nec non ejus in Monarchia Perſica ſucceſſorum accuratam ſeriem dabimus, uſque ad *Darium Codomanum*, qui fuit ultimus Perſarum Monarcha, & devictus ab *Alexandro Magno*, natione Græco, a quo plane deſtructa Monarchia Perſica, initium habuit Monarchia Græcorum.

D. Nunc mentem tuam circa initium & finem ſeptuaginta annorum tam captivitatis Babylonicæ, quam deſolationis Templi & urbis Hieruſalem, aſſecutus ſum, &, ſuppoſita ſemel duplici Epocha Regni, quod inivit *Cyrus*, facile intelligo, initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ petendum eſſe ab anno *Joakimi*, Regis Juda, undecimo, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, qui Judæos in captivitatem Babylonicam abduxit: finem vero ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ referendum eſſe ad annum primum Regni, quod inivit *Cyrus*, non in Perſide, ſed in Babylonia, ubi Monarchiam Perſicam inſtituit, ibidemque, tanquam ſupremus Monarcha, tribus annis imperavit. Similiter, facili negotio intelligo, initium ſeptuaginta annorum deſolationis Templi, quæ contigit 11. annis poſt exordium captivitatis Babylonicæ, ſumendum eſſe ab anno undecimo *Sedekiæ*, Regis Juda, & ab anno decimo nono *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis; finem vero ſeptuaginta annorum ejuſdem deſolationis Templi arceſſendum eſſe ab anno ſecundo Regni *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, cum ab anno primo Regni, quod *Cyrus*, tanquam ſupremus Monarcha inivit in Babylonia, eodemque anno laxavit captivitatem Babylonicam, numerentur uſque ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis* anni circiter undecim, quibus deſolatio Templi, & urbis Hieruſalem, poſterior fuit captivitate Babylonica. Horum itaque, quæ ſpectant initium & finem ſeptuaginta annorum tam captivitatis Babylonicæ, quam deſolationis Templi, tam claram, tamque perſpicuam tradidiſti notitiam, ut majorem deſiderare haud poſſim. At, circa Regem *Nabuchodonoſorem*, qui Judæos in Babyloniam captivos abduxit, hoc unum mihi ſupereſt proponendum dubium. Legi etenim non multis abhinc diebus apud Prophetam *Danielem* cap. 4. v. 30. terribilem calamitatem, qua Deus, præpotens ſcelerum ultor, ſuperbiam *Nabuchodonoſoris* edomuit: *Eadem hora*, inquit Daniel, *ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex omnibus abjectus eſt, & fœnum, ut bos, comedit, & rore Cæli corpus ejus infectum eſt, donec capilli ejus in ſimilitudinem Aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium*. Quæro igitur, an Rex *Nabuchodonoſor*, terribili illa ſententia cælitus ipſi denunciata, humanam formam amiſerit, & ſtupenda metamorphoſi in belluam fuerit converſus?

M. Neque formam humanam, neque corporis figuram perdidit Rex *Nabuchodonoſor*, ſed juſto Dei judicio, perturbata ipſius phantaſia, in dementiam ac furorem incidens, Regno & hominum ſocietate pulſus eſt, & in ſolitudinem cum feris ablegatus, ubi herbis, quadrupedis inſtar, prono corpore veſcebatur, nec humano more articu-

ticulatas voces proferebat ; ſed ritu beſtiarum inconditos ſonos reſonabat , noctes ac dies jacens ſub dio, pluvias , gelu , & æſtum patiens , alium corporis induit colorem , pilis toto corpore hiſpidus evaſit , ejus cæſaries per vultum , cervicem , humeroſque fluitavit , & ungues in morem avium rapacium creſcentes obriguerunt . Sic *Nabuchodonoſor*, ſe feram eſſe ratus , per ſaltus , aviaque diſcurſans , vitam , poſt hominum memoriam , longe infeliciſſimam , per ſeptennium traduxit , *divina* ( ut inquit *Theodoretus* in cap. 4. Danielis ) *providentia deſtitutus* , *& ne propinquorum quidem cura potitus* , *cum tamen ipſi adeſſent uxor* , *liberi* , *& cognati* . . . . . . . . . *Nam quia homo cum eſſet* , *& in honore maximo* , *non intellexit* ; *ſed comparatus eſt jumentis inſipientibus* , *& ſimilis factus eſt illis* , *& qui in ſibi ſubditos ferina mente & animo fuerat* , *merito etiam ferina & agreſti vita juſtiſſime damnatus fuit*. At , poſt exactum hujus a ſeculis inauditæ pœnitentiæ ſeptennium , Deus , qui mortificat & vivificat , deducit ad inferos , & reducit, ſalutem mentis , & Regnum reſtituit *Nabuchodonoſori* , qui apud *Danielem* cap. 4. verſ. 33. hæc de ſe ipſo teſtatur : *in ipſo tempore ſenſus meus reverſus eſt ad me* , ( id eſt , rationis uſus ) *& ad honorem Regni mei* , *decoremque perveni* , *& figura mea reverſa eſt ad me* ; non quod antehac corporis ſui figuram perdidiſſet , ſicut perperam quidam interpretantur , ſed quod abſterſis ſordibus , refectis unguibus , & pilorum ſilva , qua in ſolitudine agens , horrebat , cultum corporis , priſtinamque munditiem recuperarit . Hinc *Nabuchodonoſor* in tanti beneficii a Deo accepti gratiarum actionem erumpens , ait verſu ſequenti mox laudati capitis lib. Danielis : *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo* , *& magnifico* , *& glorifico Regem Cæli* , *quia omnia opera ejus vera* , *& viæ ejus judicia* , *& gradientes in ſuperbia poteſt humiliare* . Ex his *Nabuchodonoſoris* verbis ſancti Patres , *Hieronymus* Epiſt. 7. & *Auguſtinus* Epiſt. CXI. alias CXXII. ad *Victorianum* colligunt , *Nabuchodonoſorem* ad Deum verum eſſe converſum , & æternam ſalutem conſecutum . Eidem ſententiæ adſtipulantur , præter *Pſeudo-Dorotheum* , & *Pſeudo Epiphanium* in *Vitis Prophetarum* , *Theodoretus* in Comment. in Danielem , *Lyranus* , *Dionyſius* Carthuſianus , & alii , quos citat *Salianus* in Annalibus Veteris Teſtamenti ad annum Mundi 3472. Sed , ipſe de æterna *Nabuchodonoſoris* ſalute nihil certi pronunciare audeo , quia , licet Scriptura Sacra *Nabuchodonoſorem* agnoviſſe quidem Deum , & laudaſſe diſerte teſtetur , nullibi tamen ſignificat , eum ab Idololatria deſciviſſe , ſecundum Deum , ejuſque ſanctam Legem , vixiſſe , atque in juſtitia perſeveraſſe . Salutem itaque Regis *Nabuchodonoſoris* , vel ejus damnationem , in medio relinquo . Hoc unum tantum dicam , debere omnes Reges ac Principes Terræ , quacumque polleant auctoritate , ſemper præ oculis habere præclaram illam Sententiam , quam Rex *Nabuchodonoſor* , flagellatus a Deo , & ad bonam frugem converſus , protulit : dicens : *Igitur poſt finem dierum* , id eſt, poſt ſeptennium pœnitentiæ, *ego Nabuchodonoſor oculos meos ad Cælum levavi* , *& ſenſus meus redditus eſt mihi* , *& altiſſimo benedixi* , *& viventem in ſempiternum laudavi & glorificavi* , *quia poteſtas ejus* , *poteſtas ſempiterna* ; *& regnum ejus in generationem* , *& generationem* : *Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt* : *juxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus cæli* , *quam in habitatoribus terræ* , *& non eſt* , *qui reſiſtat manui ejus* , *& dicat ei* : *Quare feciſti* ? cap. 4. lib. *Danielis* v. 31. & 32.

D. Cum captivitas Aſſyriaca , quæ anno nono Regni *Oſee* , ultimi Iſraelitarum Regis , & anno ſexto *Ezechiæ* , Regis Judæ , contigit, & in quam *Salmanaſar*, Aſſyriorum Rex, decem Tribus Iſraeliticas abduxit , præceſſerit, ſicut jam obſervaſti, centum viginti duobus annis captivitatem Babylonicam , quæ accidit anno undecimo *Joakimi* , Regis Judæ , & anno octavo *Nabuchodonoſoris* , Babyloniorum Regis , qui Judæos in Babyloniam deportavit ; maximam profecto a me inires gratiam ſi hic deſcribere velles *Tobiæ* Hiſtoriam , quam in hujuſce Aſſyriacæ decem Tribuum Iſraelis captivitatis tempora incidiſſe ajebat mihi nuperrime vir eruditus .

M. Inter Iſraelitas , quos *Salmanaſar* , Aſſyriorum Rex , poſt expugnatam Samariam , & everſum Iſraeliticum Regnum , in Aſſyriacam captivitatem deportavit , unus fuit *Tobias ſenior* , ex Tribu & Civitate Nephtali oriundus , qui una cum uxore *Anna* , & filio *Tobia juniore* in eamdem captivitatem , ſeu *Niniven* tranſlatus eſt . Commendatur maxime hic *Tobias Senior* in libro , qui ejus nomine inſignitur , ab eximia , quam habuit , in Deum fide ac pietate , a vitæ innocentia , a fuga conſortii malorum, a divinæ Legis obſervatione , a cibis vetitis abſtinentia , a charitate & miſericordia , quam erga pauperes & ſuos contribules captivos exercuit , a cura ſepeliendi mortuos , denique ab invicta animi conſtantia & heroica patientia , quæ enituit tum in rebus adverſis , quas paſſus eſt ſub *Sennacheribe*, Aſſyriorum Rege , *Salmanaſaris* filio , & ſucceſſore , qui odio & furore in Iſraelitas percitus , quotidie plurimos morte afficiebat , eo quod tempore *Ezechiæ* , Regis Judæ , urbem Hieroſolymorum obſidens , fuſis ab Angelo centum octoginta quinque Aſſyriorum millibus in caſtris , ipſe turpi , præcipitique fuga e Judæa , in quam irruperat , excedere , ſuaque relegere veſtigia coactus fuiſſet : tum etiam in illo extraordinario & inopinato caſu , quo *Tobias* , dum a ſepeliendis popularibus mortuis nimium fatigatus , & parieti incumbens placidum ſomnum carperet , calidis ſtercoribus , e nido hirundinum in ejus oculos incidentibus , excæcatus eſt . In his , inquam , ſumma enituit patientia *Tobiæ* , qui jacturam bonorum , quibus a *Sennacheribo* Rege exutus , ad extremam paupertatem fuit redactus , & cæcitatem qua Deus illum , piis operibus vacantem , probare voluit , æquiſſimo animo tolera-

leravit. Dederat mutuo *Tobias Senior* Gabelo, agnato ſuo, qui unus erat ex Iſraelitis in Aſſyriam deportatis, & habitabat in *Rages*, civitate Medorum, decem talenta argenti, ad quæ recipienda filium ſuum *Tobiam juniorem*, optimis præceptis inſtitutum, miſit. Hujus peregrinationis junioris *Tobiæ* ſeſe comitem, ac itineris ducem præbuit *Raphael*, Archangelus, qui interrogatus a *Tobia* ſeniore, unde eſſet? e qua proſapia ſuam haberet originem? reſpondit: *Ego ſum ex filiis Iſrael: Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius: Novi & omnia itinera ejus*, id eſt, Regionis Medorum, *frequenter ambulavi, & manſi apud Gabelum, fratrem noſtrum*. His dictis, junior *Tobias* profectus eſt cum Archangelo *Raphaele*, ejuſque conſilio piſcem, qui juxta flumen Tygris in illum inſilierat, apprehendit, in terram traxit, & exenteravit, atque ipſius fel ac jecur in uſum medicamentorum præparandi modum ab eodem Angelo edoctus eſt. Cœpto itinere pergentes viatores, ad domum *Raguelis*, qui utriuſque *Tobiæ* conſanguineus erat, diverterunt, ibique *Tobias* junior ab Angelo monitus, *Saram*, filiam *Raguaelis* unicam, ampliſſimi patrimonii hæredem, uxorem petiit, cujus ſeptem viros, Dæmon Aſmodæus, luxuriæ Princeps, occiderat, & ab Angelo didicit *Tobias*, quo fine conjugium inire, eoque uti deberet, ſervata videlicet per tres dies continentia, fuſis una cum uxore ardentiſſimis & concordibus ad Deum precibus, combuſtoque piſcis jecore, cujus ſuffitu abigeretur impurus ille Dæmon, & in ſuperioris Ægypti Deſertum ablegaretur. Hæc omnia Angeli Mandata cum ſedulo obſervaſſet *Tobias*, junior, virginem cum timore Dei, & citra libidinem accepit, cum illa nuptias celebravit, & recepta curis Archangeli *Raphaelis* a *Gabelo* pecunia, ad proprios lares cum ſua conjuge *Sara* remigravit, poſtquam *Raguel*, pater *Sara*, utrique bene precatus fuiſſet, dicens: *Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes, & inveniatis omnia recte circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros, priuſquam moriar. Et apprehendentes parentes filiam ſuam* (ſeu *Saram*, Tobiæ junioris conjugem) *oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire, monentes eam, honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, & gubernare domum, & ſe ipſam irreprehenſibilem exhibere*, ſicut legitur cap. 10. lib. *Tobiæ*. Ad paternas ædes cum uxore, familia, & dote locuplete reverſus junior *Tobias*, patris ſui, quem amantiſſime complexus eſt, oculos felle piſcis linivit, eoque remedio excuſſit albuginem, quæ ei videndi facultatem adimebat. Tunc Archangelus *Raphael* ſeſe eis notum fecit, dicens: *Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam a vobis occultum ſermonem. Quando arabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem Domino; & quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te. Et nunc miſit me Dominus, ut curarem te; & Saram uxorem filii tui a Dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum*. Ita legitur cap. 12. libri *Tobiæ*. Hæc ubi dixiſſet Archangelus *Raphael*, in laudes Dei, & gratiarum actionem erupit *Tobias* ſenior, qui tum temporis annos ſexaginta natus erat, & vixit adhuc, poſt receptum ab eodem *Raphaele* viſum, annos quadraginta duos & obiit anno ætatis ſuæ centeſimo ſecundo, fuitque honorifice ſepultus in Ninive, ut legitur cap. 14. libri *Tobiæ*, juxta Editionem Vulgatam. Propediem moriturus, *Tobiam*, filium ſuum, & ſeptem nepotes accerſivit, ad pietatem, ad eleemoſynam erogandam pauperibus adhortatus eſt, urbis Ninives everſionem, & reditum Iſraelitarum in Judæam prædixit, juſſitque filio ſuo, ut, poſt mortem matris, Ninive diſcederet una cum uxore, & filiis ſuis. Mandatis ſanctiſſimi patris obtemperavit junior *Tobias*, ab ejus pietate nequaquam degener. Mortua matre, reverſus eſt ad ſoceros ſuos cum uxore, filiis, & nepotibus, *viditque quintam generationem, filios filiorum ſuorum, & completis nonaginta novem annis in timore Domini, cum gaudio ſepelierunt eum*, cap. 14. lib. *Tobiæ*. Habes nunc ſummam Hiſtoriæ *Tobiæ*, quæ incidit in tempora Aſſyriacæ decem Tribuum Iſraelis captivitatis, quæque quatuordecim capitibus comprehenſa legitur in libro *Tobiæ*.

D. Pronis auribus hanc, quam delibaſti, *Tobiæ* Hiſtoriam auſcultavi; ſed, ne quid diſſimulem, tria in hac Hiſtoria occurrunt, quæ necdum plane aſſequor, quæque mihi exponas velim. Primum eſt, cur Deus, qui nunquam affligit innocentes, voluerit, ut *Tobias*, vir juſtus, & divinæ Legis obſervantiſſimus cultor, per multos annos graviſſimis perſecutionibus eſſet obnoxius, & viſu orbatus, infelicem vitam duceret? Alterum eſt, qua ratione, & arcana vi combuſtio & fumus jecoris piſcis potuerint abigere Dæmonium? Poſtremum iſtud eſt, quo pacto Archangelus *Raphael* citra mendacium dixerit *Tobiæ* ſeniori: *Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius, & manſi apud Gabelum, fratrem noſtrum*? cum tamen revera nec eſſet *Azarias*, nec frater *Gabeli*.

M. Hæc tria facile dilucidari poſſunt. In primis, afflictiones illæ, quas per plures annos paſſus eſt ſenior *Tobias*, demonſtrant ſpecialem Dei providentiam in Electos, quos Deus, qui omnia ſapienter moderatur, adverſis fortunæ caſibus interdum jactari permittit, eorumque patientiam rebus aſperis in hac mortali vita exercet ac probat, ut illos poſt conſtantem in exantlandis laboribus fortitudinem, maximis cumulet beneficiis, & internis ſolatiis atque incredibili lætitia perfundat, ſicut de ſemetipſo teſtatur Apoſtolus *Paulus*, dicens: *Superabundo gaudio in tribulationibus meis*. Hic eſt certe Electorum triumphus, qui & in afflictionibus ſibi ſemper conſtantes ac invicti ſunt, muniti præſidio Dei, & dum ipſis aliquid proſperitatis affulget, id totum gratis animis acceptum referunt bonitati,

nitati, munificentiæque divinæ. Quo fit, ut nec, ſæviente fortuna, deſpondeant animum, nec rebus ſecundis inſoleſcant. Falleris autem, dum aſſeris, Deum nunquam affligere innocentes. Numquid enim *Abrahamus*, & *Job* non fuerunt viri innocentes? & tamen, ſicut in ſuperioribus noſtris Colloquiis oſtendimus, Deus obedientiam *Abrahami*, & patientiam *Jobi* multis, iiſque acerbiſſimis afflictionibus probavit. Nonne innocens erat Dei-para? de ea tamen *Lucæ* cap. 2. dicitur: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Nonne tandem, ut alia mittam exempla, innocens erat Chriſtus Dominus, ſicut ait Apoſtolus *Paulus* cap. 7. Epiſtolæ ad Hebræos? & tamen *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*, ſicut legitur cap. 24. Evangelii *S. Lucæ*. Hinc jure optimo *S. Pius V.* proſcripſit hanc *Michaelis Baii*, Doctoris Lovanienſis, propoſitionem, quæ eſt ordine ſeptuageſima ſecunda. *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum, unde Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt*. *Clemens* vero *XI.* Pontifex Maximus, in ſua Conſtitutione *Unigenitus Dei filius* &c. confixit huic geminam propoſitionem *Queſnelli*, quæ eſt ordine ſeptuageſima, & his verbis concepta: *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem*. Sed nunc breviter explicandum eſt, qua ratione & virtute fumus combuſti cordis, ſeu jecoris piſcis, potuerit abigere Dæmonium, cum fumus ſit res materialis & ſenſibilis, quæ in ſubſtantiam pure ſpiritualem, qua præditus eſt Dæmon, agere minime poſſit? ſed dico, ſuffitum illum aſſati cordis, ſeu jecoris piſcis, nullam habuiſſe virtutem occultam expellendi Dæmonem, ſed merum dumtaxat fuiſſe ſignum temporis, quo expellebatur Dæmon, & efficaciæ precum ad ſolium Dei aſcendentium, non ſecus ac ignis, qui e Cælo miſſus conſumebat victimas, quas *Abel* offerebat Deo, ſignum erat, ſacrificia *Abelis* Deo grata & accepta eſſe. Vel etiam dico cum peritis Scripturæ ſacræ Interpretibus, hunc fumum efficaciam quamdam habuiſſe ab ipſo Deo, naturæ auctore, cordi, & jecori piſcis inditam ad fugandos Dæmones, quia Deo, ad manifeſtandam omnipotentiam ſuam, aliquando placet ſuperbos illos ſpiritus rebus corporeis ſubjicere. Poſtremo, difficile non eſt, Archangelum *Raphaelem* ab omni mendacio excuſare. Potuit enim abſque mendacio aſſerere, *ſe eſſe ex filiis Iſrael*, quia Iſraelitas, & præſertim Tribum Nephtali cuſtodiendi provincia fuerat ei a Deo demandata. Potuit citra mendacium appellare Gabelum *fratrem ſuum*, quia, ut ait *S. Gregorius Niſſenus* in libro *De Vita Moyſis*, Angelus eſt quodam modo frater hominis ob naturæ ſpiritualis ſimilitudinem, vel quia Angeli, ſicut & homines, eumdem patrem habent, videlicet Deum, gratiæ ſanctificantis adoptionem, & divinæ, æternæque hæreditatis poſſeſſionem. Potuit etiam Archangelus *Raphael* dicere, ſe eſſe *Azariam*, quia formam & ſimilitudinem *Azariæ* præferebat, perinde ac Angelus cap. 31. lib. Geneſis ait ſine mendacio, ſe Deum eſſe, quia perſonam Dei repræſentabat, ejuſque defungebatur officio. Sæpius autem ſigno tribuitur nomen ſignificati, ſicut imago *S. Petri* dicitur *S. Petrus*. Denique, Archangelus *Raphael*, interrogatus a *Raguele*, undenam ipſe, & *Tobias* junior, quem ſecum ducebat, eſſent? abſque mendacio reſpondit: *Ex Tribu Nephtali ſumus*, quia revera *Tobias* ſuum ex Tribu Nephtali genus ducebat, Angelus autem *Raphael*, comes *Tobiæ*, licet ad Tribum Nephtali per naturæ generationem non pertineret, ſpeciali tamen deputatione ad Tribus Nephtali cuſtodiam, ſicut mox diximus, erat a Deo deſtinatus. Hæc itaque Archangelus *Raphael* abſque mendacio & amphibolia protulit, ſubindeque in ejus verbis reſtrictionum, ut ajunt, mentalium, & dubiæ ancipitiſque ſignificationis vocum uſum fruſtra expiſcari conati ſunt laxiores quidam Theologi, quorum error a Sede Apoſtolica fuit jure merito Cenſura perſtrictus.

D. Quiſnam eſt Auctor libri *Tobiæ*?

M. Liber *Tobiæ*, qui Chaldaico ſermone & caractere in Aſſyriorum regionibus, ubi uterque *Tobias* captivus egit, primum fuit ſcriptus, complectitur quatuordecim capita, quorum duodecim priora eſſe a ſeniore *Tobia* exarata, vero quam ſimillimum videtur, tum quia in his duodecim capitibus ſenior *Tobias* in propria perſona loquitur, juxta interpretationem Græcam, ad quam Syriaca & Hebræa ſunt expreſsæ: tum quia etiam hic erat ſolemnis Hebræorum mos, ut res ſuas in Commentarios referrent: tum quia denique Archangelus *Raphael* (ſicut legitur cap. 12. lib. *Tobiæ*) præcepit ſeniori *Tobiæ*, ejuſque filio, ut in libro ſcriberent quæ ipſis evenerant. Vulgata quippe lectio ſic habet: *Narrate omnia mirabilia ejus*. Et Græcus interpres, qui eſt antiquiſſimus, ſic vertit: *Scribite in libro quæ evenerunt*. *Tobias* itaque ſenior, mandato Angeli morem gerens, duodecim priora hujuſce libri capita conſcripſit, ſed caput decimum tertium ejuſdem libri, & partem capitis decimi quarti, in quo refertur *Tobiæ* ſenioris interitus, *Tobias* filius literis mandavit, duo vero poſtremi verſiculi capitis decimi quarti fuerunt adjecti a *Tobiæ* junioris filiis, aut nepotibus, qui ejus mortem ac ſepulturam ſcripto tradiderunt. De hoc libro *Tobiæ* nullam *Joſephus*, Hebræus, in Antiquitatibus Judaicis mentionem fecit, quod tibi mirum videri haud debet. Primo, quia Hiſtoria *Tobiæ*, clam veluti geſta, & intra unius familiæ terminos domeſticos clauſa, non pertinebat ad publicam Gentis Judaicæ Hiſtoriam, quam dumtaxat literis conſignandi *Joſephus* officium in ſe ſuſceperat. Eadem de cauſa, *Joſephus* in libris, quos edidit, *De Antiquitatibus Judaicis*, prætermiſit omnino Hiſtoriam *Jobi*, quæ ad Judaicæ Nationis Hiſtoriam minime ſpectabat. Præterea, cum *Joſephus* Judæorum Hiſtoriam ex monumentis Hebraicis collegerit atque concinnarit, librum *Tobiæ* prætermiſit, quia non hebraice, ſed chaldaice, ut mox diximus, erat conſcriptus. De-

nique,

tique, libri *Tobiæ* ideo *Joſephus* non meminit, quia hic liber non extabat in Canone primario Judæorum. Sunt enim perdocti Scripturæ Sacræ Interpretes, qui docent, Judæos duplicem habuiſſe Sacrorum Librorum Canonem; unum videlicet primarium, qui continebat libros Prophetarum conſcriptos uſque ad tempora *Eſdræ*, a quo, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, primarius ille Sacrorum Librorum Canon fuit clauſus & obſignatus: Alterum vero quaſi ſecundarium Sacrorum Librorum Canonem, qui continebat libros, prophetico quidem ſpiritu exaratos, ſed quodam inferiori Prophetiæ genere. Apud Judæos ſiquidem duplex Prophetiæ genus diſtinguitur, unum excellentius ſub priori Templo, quod vocant *Spiritum Sanctum*, quodque deſiit circa tempora *Eſdræ*; & aliud obſcurius Prophetiæ genus, quod nuncupant *Filiam Vocis*, id eſt, *Inſpirationem*, divinam quidem, ſed obſcuriorem, quam eſſet prior inſpiratio. Hoc itaque ſecundo inſpirationis genere ſcriptos libros Judæi tanquam divinos, & Agiographos admittebant quidem, ſed illos tamen non in eodem gradu & auctoritatis loco habebant, quo libros, qui primo Prophetiæ genere erant conſcripti, unde ejuſmodi libros, primario Sacrorum Librorum Canoni non accenſebant. Hinc *Joſephus*, Hebræus, lib. I. contra *Apionem* hæc habet: *Ab Artaxerxe* ( qui fuit poſt laxatam captivitatem Babylonicam Perſarum Rex ) *uſque ad noſtrum tempus*, *ſingula quidem conſcripta*, *non tamen prioribus ſimili fide ſunt habita*, *eo quod non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum*. Non mirum igitur eſſe debet, ſi *Joſephus*, Hebræus, de libro *Tobiæ*, qui in primario Sacrorum Librorum apud Judæos Canone non extabat, nullam in Judaicis, quas deſcripſit, Antiquitatibus mentionem fecerit.

D. Agnoſcitne Eccleſia Catholica librum *Tobiæ* tanquam Sacrum & Canonicum?

M. Eccleſia Catholica, in Concilio OEcumenico Tridentino congregata, librum *Tobiæ* Canoni Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti adſcribendum eſſe ſanxit ſeſſione quarta, in qua Catalogum Sacrorum Librorum cum Veteris, tum Novi Teſtamenti data opera contexuit. Qua in re Patres Concilii Tridentini non aliquid novi moliti ſunt, ſicut obſtrepunt Hæretici noſtri temporis, ſed, in texendo Sacrorum Librorum Canone, avitæ traditioni indivulſe adhæſerunt. Sequuti enim ſunt *Innocentium I.* Summum Pontificem, in Epiſtola 3. ad *Exuperium*, Epiſcopum Toloſanum, Concilium Hipponenſe, celebratum anno 393. Concilium Carthaginenſe tertium anno 397. Concilium Carthaginenſe quartum anno 419. Concilium Generale Florentinum anno MCCCCXXXVIII. *S. Auguſtinum* lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 8. & *Gelaſium I.* Papam, in Concilio Romæ habito anno 494. Huic publico & infallibili Eccleſiæ judicio obtemperare debent omnes fideles, quia, ut inquit Chriſtus Dominus cap. 18. Matthæi: *Si quis Eccleſiam non audierit*, *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Quam in rem appoſite *Sanctus Auguſtinus* in libro contra Epiſtolam Fundamenti cap. 5. ait: *Evangelio non crederem*, *niſi Eccleſiæ me commoveret auctoritas*. Huic auctoritati, & falli neſcio Eccleſiæ Catholicæ judicio parere detrectantes Hæretici, nullam habent Regulam Fidei, & ſub obtentu internæ, quam ſe habere mentiuntur, aſſiſtentiæ Spiritus Sancti, qui potius eſt ſpiritus vertiginis, & Eccleſiæ diviſor, ſus deque omnia miſcent, & pluſquam dictatoriam ſibi arrogantes auctoritatem, librum *Tobiæ*, & alios, quos volunt, e Sacrorum Librorum Canone, quem texuit Catholica Eccleſia, temere, & pro arbitratu ſuo expungunt. Sed quis non videt, quod, ſi ſemel non ex publico Eccleſiæ judicio, ſed ex verſatilibus privatorum hominum opinionibus de Sacris & Canonicis Libris eſſet judicandum, peſſime fuiſſet Eccleſiæ a Deo conſultum. Nam, quando variarent, ut ſæpe contingere aſſolet, privatorum hominum opiniones, & alius librum quemdam cenſeret eſſe Canonicum, alius vero negaret, quis, amabo, obortam litem dirimeret, & certum, cui ſtandum eſſet, pronunciaret judicium, ſi id juris ad Eccleſiam non pertineret? Sic in re tanti momenti contentiones, quæ perpetuo emergerent, corpus Eccleſiæ varias in partes & factiones diſtraherent, ejus ſacram auctoritatem humanæ opiniones penitus labefactarent, impune graſſarentur errores, Hæretici a nullo Judice argui, damnari & in ordinem redigi poſſent; tot eſſent Religiones, quot capita; eſſemus ſicut parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ, &, quod caput eſt, nulla eſſet Summorum Pontificum, nulla Epiſcoporum, nulla Legum Eccleſiaſticarum, & Conciliorum auctoritas, nulla in fidelibus obedientia. Certe hoc unum argumentum, e judicio Eccleſiæ Catholicæ petitum, nobis inſtar omnium eſſe debet ad retundendam audaciam Hæreticorum, qui librum *Tobiæ*, & nonnullos alios, quibus Eccleſia divinam aſſeruit auctoritatem, audent ſacrilega temeritate e Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canone eximere. Sed hic debemus occurrere dupli Hæreticorum objectioni. Dicunt enim primo, librum *Tobiæ* non extare in Canone Sacrorum Librorum, quem habent Judæi, quemque ſecuti ſunt antiqui ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, nimirum *Melito Sardenſis*, *Origenes*, *Athanaſius* in Epiſtola Feſtali, Auctor Synopſis Scripturæ Sacræ, *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi IV. *S. Hilarius* Præfatione in Pſalmos, *Amphilochius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Joannes Damaſcenus*, *Leontius* & multi alii veteres, doctrina ac pietate conſpicui, quibus addi debet Synodus Laodicena, quæ in Canone, quem condidit, Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti, librum *Tobiæ* non reponit. Hæc eſt prima Hæreticorum objectio, quam ut facilius diluere poſſis, velim obiter obſerves, Veteris Teſtamenti libros alios eſſe, qui dicuntur *Protocanonici*, alios vero, qui appellantur *Deuterocanonici*. Libri Protocanonici ſunt illi, qui ſemper & ubique & ab omnibus fue-

fuerunt recepti, ſicut Ex. Gr. Pentateuchus Moyſis. Libri Deuterocanonici Veteris Teſtamenti ſunt hi, qui licet in Sacrorum Librorum Canonem ſint modo ab Eccleſia Catholica relati, antiquitus tamen a quibuſdam Eccleſiis, & ab aliquot ſanctis Patribus, necnon Scriptoribus Eccleſiaſticis, tanquam Canonici non admittebantur, ſed anceps adhuc erat eorum auctoritas. Ejuſmodi ſunt in Veteri Teſtamento libri *Tobiæ*, *Judithæ*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, ſex poſtrema capita libri *Eſtheris*, quædam Prophetæ *Danielis* capita, & primus ac ſecundus Machabæorum libri. Hac præmiſſa obſervatione, dico, quod cum ab *Eſdra*, qui poſt captivitatem Babylonicam, ſeu tempore *Artaxerxis Longimani*, filii *Xerxis*, Perſarum Regis, floruit, clauſus & obſignatus fuiſſet Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canon, non potuit vetus Synagoga librum *Tobiæ*, & alios libros, mox a me citatos, Veteris Teſtamenti Deuterocanonicos, inſerere Canoni, non quod reipſa Canonici non eſſent, ſed quia, ut ait *Joſephus*, Hebræus, loco mox a me laudato, jam tum temporis defecerat ſeries Prophetarum, quorum auctoritate libri in ſacrum Canonem referebantur. Verum, hæc auctoritas referendi libros in Sacrum Scripturæ Canonem, quæ id ætatis, ſeneſcente Synagoga, jam defecerat, revixit in Eccleſia Chriſti, quæ in Conciliis Generalibus Florentino, & Tridentino, libro *Tobiæ*, & aliis libris, quos memoravi, Deuterocanonici Veteris Teſtamenti, de quorum ſacra & canonica auctoritate antehac dubitaverant privatæ quædam Eccleſiæ, necnon aliqui ſancti Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici, divinam auctoritatem decretorio tandem judicio aſſeruit ac vindicavit. Quo fit, ut, poſt hanc ſolemnem Eccleſiæ Catholicæ definitionem, nemini integrum ſit in dubium revocare ſacram auctoritatem libri *Tobiæ*, & aliorum librorum, quos Canoni Scripturæ Sacræ indeficienti judicio accenſuit Eccleſia, tametſi potuerint antiquitus, id eſt, priuſquam Eccleſia Catholica Canonem Librorum Sacrorum condidiſſet, ac promulgaſſet, quædam privatæ Eccleſiæ, & aliqui ſancti Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici ſalva ac inculpata fide ſequi Sacrorum Librorum Canonem Eſdrinum, in quo liber *Tobiæ*, & alii Veteris Teſtamenti Libri Deuterocanonici, a me aſſignati, deſiderantur; non ſecus ac apud omnes tanquam Hæreticus jure merito audiret ille, qui *Millenariorum* errorem, jam ſolemni Eccleſiæ definitione in Conciliis Florentino & Tridentino promulgata, proſcriptum, poſtliminio revocare ac pertinaciter propugnare vellet, quamvis aliunde certiſſime conſtet, aliquos antiquos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos, antequam hæc doctrina *Millenariorum* ab Eccleſia fuiſſet eliquata ac confixa, eidem doctrinæ, citra ullam tamen erroris notam, patrocinatos eſſe.

Sed aliam objectionem contra librum *Tobiæ* inſtaurant Hæretici, quam inſolutam prætermittere haud debemus. Ajunt enim, in libro *Tobiæ* manifeſtam offendi antilogiam, ſeu contradictionem, in hoc ſitam, quod cap. 3 & 5. hujus libri dicitur, *Saram* cum patre ſuo *Raguele* manſiſſe in *Rages*, civitate Medorum, & juniorem *Tobiam*, cum ad eamdem civitatem perveniſſet, apud eos divertiſſe, & fuiſſe commoratum. At, capite nono ejuſdem libri dicitur, Archangelum *Raphaelem* miſſum fuiſſe a juniore *Tobia* ad *Gabelum*, in urbe *Rages* manentem, ut ab eo reciperet decem talenta argenti, quæ ipſius pater *Tobias* ſenior ei mutuo dederat. Quo in loco, inquiunt Hæretici, manifeſta contradictione ſeſe implicat libri *Tobiæ* auctor, non ſecus ac ille palam ſibi contradiceret, qui, Romæ exiſtens, diceretur mittere aliquem ſervum Romam ad amicum ſuum. Verum, huic Hæreticorum objectioni reſpondent Polemici Scriptores Catholici, hanc non veram, ſed apparentem dumtaxat eſſe antilogiam, quæ facile conciliari poteſt. Nam primo, veroſimile eſt, duas extitiſſe civitates ejuſdem nominis *Rages* cum aliqua vocum diſtinctione, quæ in Verſionibus ſenſim intercidit. Secundo, dici poteſt, *Gabelum*, & *Raguelem*, cives quidem fuiſſe ejuſdem urbis *Rages*, ſed *Raguelem* cum filia Sara, ac tota familia ſua manſiſſe in Villula rurali ab urbe *Rages* aliquot milliariis diſtante; *Gabelum* vero ſuum habuiſſe domicilium in ipſamet urbe *Rages*. Quo ſemel poſito, facile intelligitur, Archangelum *Raphaelem* ex ea rurali domo *Raguelis* miſſum fuiſſe a juniori *Tobia* ad *Gabelum*, in ipſa urbe *Rages* manentem. Denique, in Textu Hebræo, & in Verſione Græca lib. *Tobiæ* cap. 3. legitur, *Raguelem* cum filia ſua *Sara* manſiſſe non in urbe *Rages*, ſed in *Ecbatanis*, Metropoli Medorum, quæ civitas erat in planitie: urbs autem *Rages*, in qua permanebat *Gabelus*, ſita erat in monte non procul diſſito, indeque omnino evaneſcit apparens illa contradictio, quæ in libro *Tobiæ* occurrere videtur, quamque veram & realem eſſe, ſibi, aliiſque perſuadere fruſtra Hæretici moliuntur.

D. Quæ de Hiſtoria *Tobiæ*, & de ſacra auctoritate libri, qui ejuſdem *Tobiæ* nomen præfert, hactenus ſingulari cum perſpicuitate dixiſti, nullum mihi & de veritate illius Hiſtoriæ, & de divina libri *Tobiæ* auctoritate dubitandi locum relinquunt. Veniamus nunc, ſi placet, ad Hiſtoriam *Judithæ*, circa quam multa hærent animo proponenda tibi Dubia, quorum primum iſtud eſt, an vere aliquando contigerit Hiſtoria *Judithæ*, quæ in libro ejuſdem *Judithæ* nomine inſcripto deſcribitur. Audivi enim, eſſe nonnullos Scriptores, qui ex nominibus, quæ perſonis in Hiſtoria *Judithæ* imponuntur, inferunt, hunc *Judithæ* librum non referre ſpeciem alicujus Hiſtoriæ, quæ aliquando revera contigerit, ſed Parabolæ, vel Tragicomediæ, ad pietatem tamen, & Myſterium aliquod exprimendum concinnatæ. Sic unus ex illis Scriptoribus, videlicet *Hugo Grotius*, cujus Commentarium in librum *Judithæ* nuperrime legebam, parabolice hanc Hiſtoriam interpretatur. Nomen *Judithæ*, inquit, ſignificat Nationem

Judai-

Judaicam, quæ tum temporis cum deſolata & omni ope divina eſſet deſtituta, recte per fœminam *Juditham*, quæ vidua ſupponitur, deſignatur. *Nabuchodonoſor*, cujus in libro *Judithæ* ſit mentio, figura eſt Diaboli, populum Dei affligentis. *Holofernes*, Princeps militiæ *Nabuchodonoſoris*, Chaldaice idem eſt ac Latine lictor ſerpentis. *Joakin*, ſeu *Eliakim*, idem ſonat ac *Deus ſurgens*, nempe quod Deus votis ac precibus oppreſſi Populi Judaici exoratus ſurgat ad liberandum populum ſuum. *Bethulia* idem pollet ac *Domus Dei*, id eſt, religioſus cultus, quem Diabolus & miniſtri oppugnant. Hac parabolica nominum, quæ Actoribus, ſeu perſonis, quæ inducuntur in Hiſtoria *Judithæ*, imponuntur, interpretatione concludit *Hugo Grotius*, librum *Judithæ* non ſpeciem præferre veræ Hiſtoriæ, quæ aliquando contigerit, ſed ſpeciem Parabolæ, vel Tragicomediæ, ad pietatem tamen & ad aliquod Myſterium efficta. Quid de tam ſingulari *Grotii* ſententia judicandum ſit, tuum nunc eſt breviter declarare.

M. Hæc erronea *Grotii* ſententia, cui præiverunt *Lutherus*, *Beroaldus*, *Scaligerus*, aliique hujus furfuris Heterodoxi, multis momentis proſcribi debet. Primo, quia Eccleſia Catholica, & ſancti Patres, *Clemens I.* Romanus Pontifex, in Epiſtola ſua prima ad Corinthios, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Euſebius*, *S. Hieronymus*, & alii bene multi, hanc *Judithæ* Hiſtoriam veram eſſe conſtantiſſime profitentur. Secundo, perſonarum, quarum in Hiſtoria *Judithæ* habetur mentio, Genealogiæ deſcribuntur, reſque ab illis geſtæ his caracteribus deſignantur, qui fabuloſam, aut parabolicam narrationem minime redolent; ſed veracem exhibent Hiſtoriam. Quin, ad calcem libri *Judithæ* teſtatur Scriptor illius Hiſtoriæ, ſpecialem a Judæis feſtivitatem fuiſſe inſtitutam ad conſervandam memoriam illius victoriæ, quam de *Holoferne*, Principe militiæ *Nabuchodonoſoris*, Regis Aſſyriorum, heroina fœmina *Juditha* reportavit; *Dies*, inquit, *victoriæ hujus colitur a Judæis ex illo tempore uſque in præſentem diem*. Porro, ſi hæc *Judithæ* Hiſtoria vera non eſſet, Auctor libri *Judithæ* non hiſtoricus, ſed inſignis impoſtor audire & haberi deberet, quippe qui falſas perſonarum genealogias, res nunquam in orbe terrarum geſtas, & ſpuria monumenta obtruſiſſet; quod certe nemo, niſi ſit ab Eccleſia Catholica extorris, dicere, ſuumque in animum inducere poterit. Sed, inquiunt Hæretici, nullus hactenus repertus eſt modus, quo dilucide explicari poſſit, quis ſit *Arphaxad*? Quiſve *Nabuchodonoſor*? Quæ illa civitas *Bethuliæ*, ab *Holoferne* obſeſſa? Denique, an hæc *Judithæ* Hiſtoria contigerit ante Judæorum captivitatem Babylonicam, vel poſt illorum reditum e captivitate Babylonica? His diſſecandis nodis, ajunt Hæretici, nullus hactenus tam felix fuit Scriptor, qui convenientem potuerit adhibere cuneum, & hiſtoriam *Judithæ* conciliare cum Hiſtoria Judæorum, atque Regum Aſſyriorum, & Medorum; unde inferunt, veram non eſſe Hiſtoriam *Judithæ*, ſed meram eſſe Parabolam, aut Tragicomediam. At, turpiſſime in hoc hallucinantur Hæretici. Nam, præter quam quod aſſignabimus modo tempus, quo vere contigit Hiſtoria *Judithæ*, eademque opera oſtendemus, prædictam Hiſtoriam poſſe facili negotio conciliari cum Hiſtoria Judæorum, & Regum Aſſyriorum, atque Medorum: certiſſimum etiam eſt, iniquiſſimi eſſe ingenii veteres inficiari, aut in dubium revocare Hiſtorias eo ſolo nomine, quod cum Chronologia, ſeu cum ratione temporum haud ſatis cohærere videantur. Chriſtum Dominum natum, baptizatum, & mortuum eſſe nullus Chriſtianus dubitat, & tamen quo anno Mundi, & quoto Imperii *Auguſti* anno natus ſit Chriſtus Dominus? vel quo anno ætatis ſuæ acceſſerit ad baptiſmum, & Cruci fuerit affixus? non adeo evidens eſt, & in his enodandis chronologicis difficultatibus, maximopere inſudant Theologi, & in varias diſtrahuntur opiniones. Quorſum igitur Hæretici veritatem Hiſtoriæ *Judithæ* negant, eo argumento ducti, quod necdum inter Scriptores Chriſtianos conveniat de tempore, quo contigit hæc *Judithæ* Hiſtoria? Apage tam inſulſum argumentum, dignum ſane, ut vulgo ajunt, patella operculum.

D. Aſſigna, quæſo, tempus, quo contigit Hiſtoria *Judithæ*, ut inde convincantur Hæretici, qui illius Hiſtoriæ veritatem negant, eamque meram eſſe Parabolam, poeticum figmentum, & Tragicomediam dictare non verentur.

M. Circa tempus, quo contigit Hiſtoria *Judithæ* diſſidium eſt inter eruditos. *Bellarminus*, *Serarius*, *Salianus*, *Petavius*, *Pererius*, & Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Abrincenſis Epiſcopus, Hiſtoriam *Judithæ* in quinta Mundi Ætate, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam, tempore *Manaſſis*, Regis Juda, contigiſſe arbitrantur. Alii vero, quos inter cenſetur *Natalis Alexander* in ſecundo Tomo *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Veteris Teſtamenti* pag. 375. aſſerunt Hiſtoriam *Judithæ* contigiſſe in ſexta Mundi Ætate, id eſt, poſt laxatam Judæorum captivitatem Babylonicam, tempore *Xerxis*, Regis Perſarum. Ipſe vero, libratis æqua lance hinc inde momentis, lubens deſcendo in ſententiam illorum, qui Hiſtoriam *Judithæ* ad tempora *Manaſſis*, Regis Judæ, referunt, hoc eſt, ante Judæorum captivitatem Babylonicam. At enim, eo tempore, regnante *Manaſſe*, Medorum Rex erat *Dejoces*, libris hiſtorici *Herodoti* maxime celebratus, a quo condita eſt urbs *Hecbatanis*, quique alio nomine in Hiſtoriam *Judithæ* nuncupatur *Arphaxad*, quod nomen, ut memini, me alibi obſervaſſe, ab *Arbace* (qui, rebellando contra Aſſyriorum Regem, Monarchiam Medorum inſtituit) ductum uſurparunt Medorum Reges. *Arbaces* ſiquidem alia vocis inflexione *Arpacad*, tum pinguiore ſono *Arphaxad* dicebatur. *Nabuchodonoſor* vero, cujus in Hiſtoria *Judithæ* ſit mentio, fuit ille Aſſyriorum Rex, qui tempore *Manaſſis*, Regis Juda, regnabat in Ninive. Quis autem nomi-

minatim fuerit ille *Nabuchodonoſor*, Aſſyriorum Rex? vel quo nomine in Gentilium Hiſtoriis donetur? parvi refert, cum nomina veterum illorum Aſſyriorum Regum, ſicut & Regni tempora confuſa admodum ſint & incerta, ſicut facile colligitur ex illorum Nationum Hiſtoriis, quas deſcripſerunt *Beroſus*, *Manetho*, *Cteſias*, *Diodorus*, & *Herodotus*. Non deſunt tamen periti hujus temporis Critici, qui cenſent, *Nabuchodonoſorem*, illum Aſſyriorum Regem, qui tempore *Judithæ* regnabat in Ninive, fuiſſe *Saoſduchinum*, filium *Aſſaradon*, Regis Aſſyriorum, qui, ſicut ſcribit *Ptolomæus*, regnabat in Ninive. Quæ omnia de *Arphaxad*, Rege Medorum, & de *Nabuchodonoſore*, Aſſyriorum Rege, necnon de illorum Regnis, quæ tempore *Judithæ*, ſicut ex initio illius Hiſtoriæ compertum habemus, erant toto Oriente florentiſſima, & invicem æmula, optime quadrant cum tempore, quo *Manaſſes* regnavit in Juda ante captivitatem Babylonicam; ſed nullo pacto referri poſſunt ad tempus, quo Judæi e captivitate Babylonica ad natale ſuum ſolum reverſi ſunt, tum quia poſt reditum Judæorum e captivitate Babylonica, Ninive, urbs celeberrima, & Regni Aſſyriorum caput, fuit omnino deſtructa: tum quia etiam poſt captivitatem Babylonicam Regna Medorum & Aſſyriorum non erant amplius diviſa & æmula, ſicut erant tempore *Judithæ*, nec erant amplius Reges Medorum, & Aſſyriorum, cum certum ſit tam e ſacra, quam prophana Hiſtoria, *Cyrum*, Perſarum Regem, qui captivitatem Judæorum Babylonicam laxavit, poſt devictum *Darium Medum*, Babyloniorum Regem, Regnis Medorum, & Aſſyriorum potitum eſſe, eumque inſtituiſſe Monarchiam Perſarum, quam ejus ſucceſſores Perſarum Reges tenuerunt, uſque ad *Darium Codomanum*, ultimum Perſarum Regem, quem devicit *Alexander Magnus*, & everſa penitus Monarchia Perſarum, inſtituit Monarchiam Græcorum. Cum igitur temporibus *Judithæ*, ut videre eſt in ejus Hiſtoria, adhuc extarent Regna Medorum & Aſſyriorum invicem æmula, & *Arphaxad* eſſet Rex Medorum, *Nabuchodonoſor* vero Rex eſſet Aſſyriorum, nulla ratione dici poteſt, Hiſtoriam *Judithæ* contigiſſe poſt reditum Judæorum e captivitate Babylonica, ſive hanc Hiſtoriam referendam eſſe vel ad tempora *Cambyſis*, Perſarum Regis, & in Monarchia Perſica ſucceſſoris, ſicut viſum eſt *Euſebio*, Epiſcopo Cæſarienſi; vel ad tempora *Xerxis*, Perſarum Regis, ſicut poſt *Georgium Syncellum* ſentiunt multi moderni viri eruditi, vel denique ad tempora *Antiochi Epiphanis*, Syriæ Regis, id eſt, paulo ante Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum Regnum, quemadmodum falſo aſſerit *Hugo Grotius*.

D. Quamvis hæc, quæ adduxiſti, momenta aperte evincant, Hiſtoriam *Judithæ* ſub *Manaſſe*, Rege Juda, contigiſſe ante captivitatem Babylonicam, illiſque lubentiſſime acquieſcam, ad pleniorem tamen aſſequendam hujus rei notitiam, optarem ut hic breviter referres, ac dilueres præcipua argumenta, quibus permoti alii viri eruditi aſſerunt, Hiſtoriam *Judithæ* contigiſſe poſt captivitatem Judæorum Babylonicam, illiuſque Hiſtoriæ Epocham referunt vel ad tempora *Cambyſis*, Perſarum Regis, vel ad *Xerxem*, alterum Perſarum Regem, vel denique ad tempus *Antiochi Epiphanis*, Syriæ Regis. Horum enim, opinor, uberiori explicatione poterit haud parum Sacra Hiſtoria illuſtrari.

M. Scriptores, qui pertendunt, Hiſtoriam *Judithæ* poſt reditum Judæorum e captivitate Babylonica contigiſſe, pluribus pugnant momentis, quæ hic delibare, iiſque breviter facere ſatis abunde ſufficiet. In primis, dicunt, nullam omnino in Hiſtoria *Judithæ* fieri mentionem *Manaſſis*, Regis Juda, ſed tantum *Eliakimi*, ſeu *Joakimi*, Summi Sacerdotis, quod argumento eſt, hanc *Judithæ* Hiſtoriam non contigiſſe ſub *Manaſſe*, Rege Juda, ante captivitatem Babylonicam, ſed tantum poſt captivitatem Babylonicam, quando videlicet ſumma rerum erat penes Summos Sacerdotes, & in ipſis adminiſtrandæ Judæorum Reipublicæ ſuprema reſidebat auctoritas. Verum, hæc objectio facile ſolvitur. Ideo enim in hac *Judithæ* Hiſtoria de *Manaſſe*, Rege Juda, fit nulla mentio, tum quia hæc Hiſtoria *Judithæ* non contigit in Regno Juda, cui præerat *Manaſſes*, ſed in Regno Iſraelitico, in Tribu *Simeonis*, e qua *Juditha* oriunda erat, quæque Regi Juda non parebat: tum quia etiam hæc *Judithæ* Hiſtoria contigit ſub *Manaſſe*, Rege Juda, captivo, aut ſub initium illius Regni, cum adhuc vix ex ephebis eſſet egreſſus, ut pote duodennis tantum, & adminiſtrando Regno impar. Mentio tamen fit in Hiſtoria *Judithæ* de Summo Sacerdote *Eliakino*, ſeu *Joakino*, quia, cum ageretur de negotio Religionis, ipſe profectus eſt ad illos Iſraelitas, qui *Bethuliæ* urbem incolebant, & dominio *Manaſſis*, Regis Juda, non ſubdebantur, ut dejectos illorum animos ſpe arrigeret, atque ad ſtrenuam ejuſdem urbis ab *Holoferne*, exercitus *Nabuchodonoſoris*, Regis Aſſyriorum, Principe, obſeſſæ defenſionem animaret.

Secundo, ajunt, tempore *Manaſſis*, Regis Juda, nullum fuiſſe Summum Sacerdotem, dictum *Eliakin*, ſeu *Joakin*, ſicut fidem facit Catalogus Summorum Sacerdotum, quem texuit *Joſephus*, Hebræus, in libris *Antiquitatum Judaicarum*. Sed reſpondeo ipſe, Summum Sacerdotem tempore *Manaſſis*, Regis Juda, potuiſſe eſſe binomium, ac ſubinde Summum illum Sacerdotem, qui in Hiſtoria *Judithæ* appellatur *Eliakin*, ſeu *Joakin*, alio nomine in Catalogo Summorum Sacerdotum, quem texuit *Joſephus*, deſignari. Præter quam quod cap. 18. lib. 4. Regum *Eliakin* inter primores Sacerdotes recenſetur, & *Iſaias* cap. 22. diſertam *Eliakin*, Summi Sacerdotis, mentionem facit his verbis: *Et erit in die illa, vocabo ſervum meum Eliacim, filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo illum, & poteſtatem tuam dabo in manus ejus, & erit quaſi pater baptizantibus Jeruſalem, & domui Juda.*

*da*. Quod certe apprime *Eliakino*, ſeu *Joakino*, Summo Sacerdoti, ſub quo contigit Hiſtoria *Judithæ*, convenit.

Tertio, inquiunt illi Scriptores, *Judithæ* Hiſtoriam tempore *Manaſſis*, Regis Juda, non contigiſſe, quia, regnante *Manaſſe*, Iſraelitæ urbem *Bethuliam* non incolebant, quippe qui a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, jam fuerunt in Aſſyriam deportati anno ſexto *Ezechiæ*, Regis Juda, patris *Manaſſis*. Sed urbs *Bethulia* id ætatis incolebatur a Cuthæis, & Babyloniis, qui a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, fuerant huc tranſlati. Verum, licet ipſe ultro fatear, *Bethuliam* fuiſſe urbem Regni Iſraelitici extra Regnum Juda, & decem Iſraelis Tribus a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, in Aſſyriam anno ſexto *Ezechiæ*, Regis Juda, captivas eſſe abductas, exiſtimo tamen, aliquot Iſraelitas in patrio ſolo remanſiſſe, plures non multo poſt captivitatem Aſſyriacam illuc eſſe reverſos, qui plurimas e civitatibus, præſertim eas, quæ in montanis ſitæ erant, occuparunt. Immo, multi Iſraelitæ in urbe *Samaria*, & in aliis finitimis civitatibus, una cum Cuthæis, & Babyloniis, quos illuc miſerat *Salmanaſar*, Aſſyriorum Rex, habitabant, & cum illis, Legem Moſaicam edoctis, verum Deum Iſraelis colebant. Quid igitur mirum, ſi Iſraelitæ, & Cuthæi, urbis *Bethuliæ* incolæ, cultum veri Dei, quem adorabant, contra impetus *Holofernis*, Principis militiæ *Nabuchodonoſoris*, defendere volentes, huic Aſſyriorum militiæ Præfecto, urbem *Bethuliæ* obſidenti, & veram Religionem totis ſuis viribus exterminare molienti ſtrenue animoſeſque reſtiterint?

Quarto, Hiſtoriam *Judithæ* non ſub *Manaſſe*, Rege Juda, ſeu ante captivitatem Babylonicam, contigiſſe, ſed dumtaxat poſt reditum Judæorum ex eadem captivitate Babylonica, probant nonnulli viri eruditi ex ea, in qua *Holofernes*, exercitus Aſſyriorum Princeps, verſabatur ignorantia rerum a Gente Iſraelitica geſtarum. *Holofernes* quippe, ut legitur cap. 5. lib. *Judithæ*, poſtulavit ab *Achiore*, quænam eſſet Gens Iſraelitica? Quis illius Gentis Rex? quaſi Gens Iſraelitica fuiſſet ei penitus ignota. Quod ſane in tempora *Manaſſis*, Regis Juda, competere non poteſt, quia, regnante *Manaſſe*, Iſraelitarum natio probe nota erat Aſſyriis, ut pote qui illorum Regionem frequenter invaſerant, eoſque ſub *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, captivos in Aſſyriam abduxerant. His addunt viri eruditi reſponſionem *Achioris* dicentis *Holoferni*, Iſraelitas, Deo duce, ex Ægypto in Palæſtinam eſſe tranſlatos, ſed, ob neglectum Dei ſui cultum, ſæpe a multis Nationibus fuiſſe profligatos, & captivos adductos; immo Templum Hieroſolymitanum (ſicut legitur in Verſione Græca libri Judithæ) ſolo æquatum, ac penitus dirutum fuiſſe; ipſos tandem e ſua diſperſione fuiſſe nuper reductos, & iterum poſſidere Jeruſalem, ubi ſunt Sancta Sanctorum. Porro, Judæorum captivitas, in qua Templum Hieroſolymitanum everſum ac dirutum fuit, alia eſſe non poteſt, quam captivitas Babylonica. Deſolatio quippe Templi & urbis Hieruſalem contigit anno undecimo *Sedekiæ*, qui Regum Judæ fuit ultimus, & anno decimo nono *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, hoc eſt, anno undecimo poſt jam inchoatam captivitatem Babylonicam, quæ initium habuit anno undecimo *Joakimi*, Regis Juda, & anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis. Captivitas itaque illa, ex qua *Achior* ait *Holoferni*, Judæos eſſe reverſos, alia eſſe non poteſt, quam captivitas Babylonica, proindeque Hiſtoria *Judithæ* referri dumtaxat poteſt ad reditum Judæorum e captivitate Babylonica. Hoc argumentum, quod prima fronte videtur ad perſuadendum efficax, poteſt tamen facile ſolvi. At enim, licet non inficias eam, *Holofernem*, Aſſyriorum Exercitus Principem, plura, regnante *Manaſſe*, de Iſraelitis audire potuiſſe, veriſimile tamen eſt, illum necdum eorum ſtatum penitus penetraſſe, donec ex *Achiore* cognovit illorum originem, Religionem, & veram illorum fortitudinis & conſtantiæ cauſam. Potuit autem *Achior* vere dicere *Holoferni*, Iſraelitas, Deum deſerentes, ſæpius in varias abductos fuiſſe captivitates, & ex illis ad patrium ſolum, tempore *Manaſſis*, Regis Juda, eſſe reverſos. Pluries ſiquidem Iſraelitæ traditi fuerunt in manus Gentium, videlicet Ægyptiorum, Moabitarum, Ammonitarum, ſed ex illis captivitatibus jam tempore *Manaſſis*, Regis Juda, in patriam redierant. Ad id autem, quod dicitur, legi in Verſione Græca libri *Judithæ*, *Achiorem* reſpondiſſe *Holoferni*, Templum Hieroſolymitanum fuiſſe ſolo æquatum ac penitus dirutum, dico cum viris Linguæ Græcæ peritis, vocem græcam id minime ſignificare, ſed ſolum innuere, Templum fuiſſe conculcatum, ac profanatum. Quod certe abſque Templi deſtructione, victrices illæ nationes, a quibus Judæi ante captivitatem Babylonicam, fuerunt identidem debellati, atque ſubacti, factitarunt.

Ultimum argumentum, quod adducunt aliqui viri eruditi, ut probent Hiſtoriam *Judithæ* non ſub *Manaſſe*, Rege Juda, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam, ſed ſub *Xerxe*, Perſarum Rege, ſeu poſt captivitatem Babylonicam, contigiſſe, petitur ex pace, quæ conſecuta eſt facinus & victoriam *Judithæ*, & de qua dicitur cap. 17. v. 20. lib. *Judithæ*: *Manſit in domo viri ſui annos centum quinque, & defuncta eſt ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia*. Et verſ. 30. *In omni autem ſpatio vitæ ejus non fuit, qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem ejus annis multis*. Id autem cadere non poteſt in tempora *Manaſſis*, Regis Juda. Supponamus etenim, *Juditham*, quando adiit *Holofernem*, natam fuiſſe annos circiter viginti quinque (tunc enim juvenis erat, cum *Vagao*, Eunuchus *Holofernis*, eam cap. 12. v. 12. libri *Judithæ* appellet *puellam*). Subtrahamus itaque viginti quinque illos annos, quos *Juditha*, quando adiit *Holofernem*, nata erat, ſupererunt anni vitæ *Judithæ* octoginta, per quos

Iſrae-

Iſraelitæ, ſeu Judæi, altiſſima pace perfrui debuerunt. Atqui tamen ex Sacra Scriptura conſtat, Iſraelitas tempore *Manaſſis*, Regis Juda, non fuiſſe per octoginta annos pace potitos. Nam Rex *Manaſſis* fuit ab Aſſyriis in captivitatem abductus: quæ certe Regis captivitas abſque aliqua pacis perturbatione accidere haud potuit. Præterea, ab illa captivitate Regis *Manaſſis* uſque ad Bellum Ægyptiacum, in quo *Joſias*, Rex Juda, nepos *Manaſſis*, interemptus eſt, non interfluxerunt anni octoginta, ſicut conſtans eſt omnium Sacræ Chronologiæ peritorum ſententia. Si igitur Hiſtoria *Judithæ* incidiſſet in tempora *Manaſſis*, Regis Juda, nulla ratione dici poſſet, per totam *Judithæ* vitam, ac per multos annos poſt ejus obitum, neminem fuiſſe, qui perturbaret pacem Iſraelis, ſicut legitur in libro *Judithæ*. Hoc eſt ultimum argumentum illorum Scriptorum, qui Hiſtoriam *Judithæ* poſt captivitatem Babylonicam contigiſſe pertendunt. Sed, proclive eſt oſtendere, Iſraelitas revera potitos fuiſſe diuturna illa pace, de quo in libro *Judithæ* habetur mentio, ſive Hiſtoria *Judithæ*, contigerit ſub initium *Manaſſis*, Regis Juda, ſive inciderit in tempora captivitatis ejuſdem Regis *Manaſſis*. Enim vero, ſi Hiſtoria *Judithæ* referatur ad initium Regni *Manaſſis*, comperietur, Iſraelitas, ſeu Judæos, tam in vita *Judithæ*, quam poſt ipſius obitum, diuturna pace fuiſſe potitos. *Juditha* ſiquidem annum ætatis ſuæ trigeſimum attigerat, quando ſub initium Regni *Manaſſis* occidit *Holofernem*. *Manaſſes* autem regnavit annis quinquaginta quinque, *Amon* ejus filius, regnavit duobus annis, *Joſias*, filius *Amonis*, & nepos *Manaſſis*, regnavit annis triginta & uno, fuitque interfectus a *Nacaone*, Rege Ægypti, in Bello Ægyptiaco. Si igitur computentur anni triginta, quos nata erat *Juditha*, quando occidit *Holofernem*, inſuper anni quinquaginta quinque Regni *Manaſſis*, duo anni *Amonis*, & anni triginta & unus Regni *Joſiæ*, qui occiſus eſt in Bello Ægyptiaco, compertum erit, ab ortu *Judithæ* uſque ad iſtud Bellum Ægyptiacum effluxiſſe annos centum & decem octo profundæ pacis. Cum igitur *Juditha* vixerit annis centum quinque, palam conſequitur, Iſraelitas, ſeu Judæos, toto tempore vitæ *Judithæ*, & tredecim annis poſt ejus obitum, pace fuiſſe potitos. Nec huic paci obfuit captivitas *Manaſſis*, Regis Juda, quia hæc captivitas ſolam *Manaſſis* perſonam, non vero Reipublicæ Judaicæ ſtatum reſpexiſſe videtur. *Manaſses* quippe, Rex non in Bello, ſed fraude & dolo ab Aſſyriis captus eſt, & non multo poſt liber dimiſſus, ſicut refert *Joſephus* lib. 10. Antiq. Jud. cap. 4. Quo fit, ut in captivitate Regis *Manaſſis* nullum extiterit Bellum, quod conturbarit pacem in Iſrael. Immo non deſunt viri doctiſſimi, qui aſſerunt, pacem non fuiſſe perturbatam in Iſraele per Bellum Ægyptiacum, in quo *Joſias*, Rex Juda, fuit occiſus, quia hoc Bellum Ægyptiacum non intra Regnum Iſraelis, ſed extra Regnum fuit geſtum, ajuntque, pacem in Iſraele fuiſſe dumtaxat perturbatam anno undecimo *Joakimi*, qui in Regno Juda fuit *Joſiæ* ſucceſſor, quique una cum primoribus Judæorum fuit a *Nabuchodonoſore* in captivitatem Babylonicam abductus. Qua ſemel admiſſa doctiſſimorum Scripturæ Sacræ Interpretum ſententia, erunt poſt obitum *Judithæ*, anni pacis in Iſraele viginti novem, proindeque verum erit, quod ſcribit Auctor libri Judithæ: *In omni ſpatio vitæ ejus* (ſeu Judithæ) *non fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem ejus annis multis*. Quod ſi malis Hiſtoriam *Judithæ* referre ad *Manaſſis*, Regis Juda, captivitatem, quæ accidiſſe videtur anno decimo ipſius Regni, poteris itidem ſupponere, *Juditham* paulo adultiorem fuiſſe, ſeu annum trigeſimum octavum ætatis attigiſſe, quando adiit *Holofernem*, qua ætate mulieres, quæ nullum filium genuerunt, juvenilem formam adhuc retinere ſolent, oriſque venuſtatem. Quod in *Juditha* eo facilius credi debet, quod Deus, ut inquit Scriptura Sacra, ſingularem ei contulerit ſplendorem. Unde non mirum, ſi aucta a Deo ipſius pulchritudine, *Juditha* vetulo militiæ Aſſyriorum Præfecto *Holoferni* placuerit. Hac autem facta hypotheſi de referenda Hiſtoria *Judithæ* ad captivitatem *Manaſſis*, Regis Juda, planum erit, pacem in *Iſraele* non fuiſſe perturbatam in Iſraele toto tempore vitæ *Judithæ*, & poſt ipſius obitum viguiſſe adhuc pacem in Iſraele per undecim annos, immo per viginti duos annos, ſi Bellum Ægyptiacum, ut volunt graviſſimi Scriptores, non perturbaverit pacem in Iſraele, ſed tantum captivitas Babylonica, quæ, ſicut mox diximus, incidit in annum undecimum *Joakimi*, Regis Juda. Sive igitur Hiſtoria *Judithæ* referatur ad initium Regni *Manaſſis*, ſive ad ejuſdem Regis captivitatem, vere dici poterit, in omni ſpatio vitæ *Judithæ*, & poſt ipſius obitum annis multis neminem fuiſſe, qui perturbaverit pacem in Iſraele, ſicut legitur in libro *Judithæ* cap. ultimo v. 30.

D. Vix, ut candide fatear, a riſu temperare potui, dum dixiſti. *Juditham*, annos triginta octo natam, *Holoferni*, vetulo militiæ Aſſyriorum Præfecto, formæ ſuæ decore & illecebris placuiſſe, quaſi vero ei non placuiſſet, ſi vetulus non fuiſſet. Sed, ut optime obſervaſti, Deus auxit *Judithæ* pulchritudinem, qua jam vetulus *Holofernes* facilius captus eſt, & *Judithæ* artibus deluſus. Nunc, obſecro te, indica mihi Auctorem libri *Judithæ*, & præcipua deſcribe illius Heroinæ geſta, quæ in prædicto libro narrantur.

M. Quiſnam ſit Auctor libri *Judithæ*, incertum eſt. Nonnulli exiſtimant, Auctorem iſtius libri eſſe *Eliakimum*, ſeu *Joakimum*, cujus mentio fit in libro *Judithæ*, quique, ut antea obſervavimus, ſummum apud Judæos Pontificatum tenuit temporibus *Manaſſis*, Regis Juda. Sed mihi magis probatur conjectura Illuſtriſſimi Abrincenſis Epiſcopi, qui exiſtimat, librum *Judithæ* fuiſſe ſcriptum temporibus captivitatis Babylonicæ ad leniendum hujus exilii ægritudinem, & ad ſpe arrigendos captivorum Judæorum animos; maxime cum hic *Judithæ* liber

ber

ber Chaldaica Lingua, quæ Judæis, in captivitate Babylonica degentibus familiaris erat, conſcriptus fuerit, teſte *S. Hieronymo*, qui latine illum reddidit, ſic tamen, ut fateatur, *ſe magis ſenſum e ſenſu, quam ex verbo verbum tranſtuliſſe*. Ex Chaldaico etiam hujus libri *Judithæ* Exemplari, Græca Verſio expreſſa eſt a Judæis Helleniſtis. Quod ſpectat præclara *Judithæ* geſta, hic præcipua indigitabo juxta ordinem, quo in libro *Judithæ* deſcribuntur. Et primo quidem, præmittuntur in libro *Judithæ*, ſuperbia *Nabuchodonoſoris*, Aſſyriorum Regis, qui, poſt reportatam inſignem victoriam de *Arphaxad*, Medorum Rege in Campo Magno *Ragau*, circa *Euphratem*, & *Tygrim*, adeo intumuit, elatus rebus ſecundis, ut de toto Orbe ſuæ ditioni ſubjiciendo conſilium inierit, validiſſimi illius exercitus ſub *Holoferne* progreſſus, Syriæ, Meſopotamiæ, Lybiæ, Ciliciæ, Apameæ, ac Idumeæ expugnatio, Provinciarum & Urbium deditio, munitarum deſtructio, Iſraelitarum timor, illorum tamen ad *Holoferni* reſiſtendum fuſæ ad Deum preces, indictaque jejunia. Deinde, Auctor libri *Judithæ* deſcribit obſidionem, qua *Holofernes* cum ingenti Aſſyriorum exercitu urbem *Bethuliæ* cinxit, & felicem ejuſdem civitatis liberationem, promovente *Juditha*, quæ Principes, animum jam deſpondentes, objurgavit, vacillantes erexit, Iſraelitas, qui in urbe Bethuliæ obſeſſi intempeſtivæ deditionis terminum ad quinque dies præfixerant, ad patientiam, ad ſpem proximæ liberationis, ad opis divinæ implorationem induxit, &, poſt fuſas ad Deum ardentiſſimas preces, ac ſpe in Deum, pudicitiæ ipſius cuſtodem, animata, cuneo hoſtium ſe dedit, caſtra *Holofernis* intrepida adiit, qui ubi illam vidit magnifice ornatam, ejus amore captus eſt, inciditque in laqueos, ex quibus ſeſe extricare haud potuit. *Juditha* quippe ex hilaritate *Holofernis* opportunam nacta occaſionem perficiendi ſanctum, quot inierat, Bethuliam liberandi conſilium, huic militiæ Aſſyriorum Præfecto, nimia compotatione ſopito, & altum ſtertenti, caput exerto gladio abſcidit, & in urbem Bethuliæ ovans, & per medias hoſtium acies intemerata procedens, reverſa eſt. Tunc de muro Bethuliæ ſuſpenſo *Holofernis* capite, totus Aſſyriorum Exercitus, timore panico perculſus, tumultuariam arripuit fugam, & a Judæis undique concurrentibus & inſequentibus cæſus ac profligatus eſt. Poſt hæc, *Juditha* pro tam celebri victoria Epinicium Deo cecinit, a Summo Pontifice propriis ſpoliis *Holofernis* condecorata eſt, & laudata ab univerſo populo, præ ingenti gaudio acclamante: *Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*. Hæc ſunt in ſumma præcipua *Judithæ* geſta, quæ narrat Auctor libri, qui ſanctiſſimæ illius Heroinæ nomine inſignitur.

D. Quam Auctoritatem in Eccleſia Catholica obtinet liber *Judithæ*?

M. Sacram ac divinam obtinet auctoritatem. Eccleſia ſiquidem Catholica, in Concilio Generali Tridentino congregata, librum *Judithæ* in Sacrorum Librorum Canone, Seſſione IV. percenſuit, ſecuta veterem traditionem, quam confirmarunt Concilium Carthaginenſe III. Summi Pontifices, *Innocentius I.* in Epiſtola ad *Exuperium*, Epiſcopum Toloſanum, & *Gelaſius I.* in Concilio lxx. Epiſcoporum celebrato Romæ anno 494. quibus ſuffragatur *S. Auguſtinus* libr. 2. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 8. *Juditham* etiam, tanquam incomparabilem Heroinam, plurimis laudibus efferunt ſancti Patres, quos inter cenſentur *S. Clemens*, Romanus Pontifex, in ſua Epiſtola 1. ad Corinthios, *S. Clemens Alexandrinus* lib. 4. *Stromatum*, *Origenes* Homil. 19. in Joannem, *S. Ambroſius* libr. 3. *de Officiis* capit. 13. & in libro *De Viduis*, & alii. Ex quibus non ſolum refellitur *Hugo Grotius*, qui, ut ſuperius obſervavimus, totum quod libro *Judithæ* narratur, meram parabolam eſſe docet, verum etiam confutantur Hæretici, qui librum *Judithæ* tanquam Canonicum non recipiunt. Fateor tamen, librum *Judithæ* non fuiſſe temporibus *S. Hieronymi* (ſicut teſtatur S. ille Doctor Pręfatione in libros *Salomonis*, & Præfatione in librum *Judithæ*, adhuc ab univerſali Eccleſia in Canonem Sacrorum Librorum adſcriptum, neque extare in antiquis Sacrorum librorum Catalogis, quos texuerunt *Melito*, *Origenes*, *S. Athanaſius*, in Epiſtola Feſtali, *S. Hilarius*, *S. Gregorius Nazianzenus*, *S. Cyrillus Jeroſolymitanus*, & Concilium Laodicenum. Sed inde concludi dumtaxat poteſt, librum *Judithæ* non eſſe *Protocanonicum*, ſed tantummodo *Deuterocanonicum*, ſicut ſuperius oſtendi de libro *Tobiæ*. Fateor etiam, librum *Judithæ* non eſſe repoſitum in Sacro Hebræorum Canone, quem *Eſdras* poſt ſolutam captivitatem Babylonicam condidit. Sed id cum Illuſtriſſimo *Daniele Huetio*, Abrincenſi Epiſcopo, contigiſſe puto, quia eo tempore, quo ab *Eſdra* conditus eſt Sacrorum Librorum Canon, res judaicæ in tantis erant poſitæ anguſtiis, utpote Hieroſolymorum urbe necdum męnibus cincta, & urgentibus undique hoſtibus, ut *Eſdras* habere haud potuerit omnes popularium ſuorum Scriptiones, quę in Sacrorum Librorum Canonem recipi merebantur. Quo factum eſt, ut libri *Tobiæ*, *Judithæ*, & nonnulli alii, qui in hoc Canone Eſdrino non fuerant repoſiti, in eum poſtea ab Hebręis non fuerint admiſſi, quia fas ac licitum ſibi non putarunt Hebręi aliquem librum adſcribere Canoni, poſtquam *Eſdras* Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canonem clauſiſſet atque obſignaſſet. Hęc eſt etiam omni procul dubio ratio, cur *Joſephus*, Hebręus, nullam in ſuis Antiquitatibus Judaicis de Hiſtoria *Judithæ* mentionem fecerit. Sibi etenim in deſcribendis Antiquitatibus Judaicis *Joſephus* propoſuerat, ea tantum literis mandare, quę in libris Canonicis Hebręorum habebantur, ſicut ipſemet profitetur in Proęmio totius Operis, & capit. 11. libr. 10. Cum igitur liber *Judithæ* in Canonem Hebręorum, propter ratio-

nem, mox a me adductam, non eſſet receptus, nec Hebraice, ſed Chaldaice eſſet ſcriptus; mirum nemini videri debet, quod de *Judithæ* Hiſtoria *Joſephus*, Hebræus, nullam prorſus in conſcribendis Antiquitatibus Judaicis mentionem fecerit. Sed hic finem noſtro imponamus Colloquio, cumque fervere jam jam incipiant æſtivi calores, quieti indulgeamus uſque ad proximum noſtrum Colloquium, quod, ſacro propitio Numine, die Jovis habituri ſumus, & in quo de Vitis Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam, vixerunt; necnon de his, quæ fuderunt, Oraculis, quæque in Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, perfectiſſime fuerunt adimpleta, ſermonem inſtituemus. Tu fac, ut imparatus non accedas.

## COLLOQUIUM TERTIUM,

*In quo deſcribuntur Vitæ Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, ſeu ante Captivitatem Babylonicam, vixerunt, & ſub Regibus Judæ, & Iſraelis plura fuderunt Oracula, quæ in Jeſu Chriſto, vero Meſſia, clariſſimo exitu fuerunt adimpleta.*

DISCIP. PRiuſquam ad deſcribendas Vitas Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, id eſt, ante captivitatem Babylonicam, vixerunt, te accingas, generalem rerum, quæ ſpectant conditionem & dotes Prophetarum, in anteceſſum habere maxime peroptarem. Expone igitur primo, quid ſibi velit iſtud Prophetæ nomen?

M. Hi, quos vocamus Prophetas, Hebraice *Nabi*, appellabantur olim *Videntes*, Hebraice *Roe*, ſicut teſtatur ſacer Auctor lib. 1. Regum cap. 9. v. 9. his verbis: *Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum: Venite, & eamus ad videntem* (Hebraice Roe). *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns*, (Hebraice Roe). Prophetæ autem ii ſoli, proprie loquendo, dicuntur, qui nomine & auctoritate Dei loquuntur, & quibus Spiritus Sanctus ſpeciali inſpiratione notitiam rerum futurarum revelat, ut eas hominibus, ad illorum ſolatium & inſtructionem annuncient. Quo fit, ut non omnis divina revelatio dicenda ſit Prophetia, nec ſinguli illi, quibus divinæ factæ ſunt revelationes, Prophetarum loco haberi debeant, alioquin Reges *Pharao*, *Balthaſar*, & *Nabuchodonoſor*, quibus factæ ſunt de his, quæ eventura illis erant, revelationes, Prophetæ eſſent appellandi, quod certe nemo dixerit. Verus itaque Propheta *nihil aliud eſt*, inquit *S. Auguſtinus* quæſt. 19. in Exodum, *niſi annunciator verborum Dei hominibus, qui Deum vel non poſſunt, vel non merentur audire*. Prophetiam inter dona Spiritus Sancti reponit Apoſtolus *Paulus* in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 12. verſ. 10. & cap. 14. verſ. 23. & 24. ejuſdem Epiſtolæ Prophetiam præfert dono Linguarum dicens: *Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes Linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent, quod inſanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus; occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quod vere Deus in vobis ſit*. Et verſ. 29. 30. & 31. ait: *Prophetæ autem duo, aut tres, dicant, & cæteri dijudicent. Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant, & omnes exhortentur*. Quibus poſtremis Apoſtoli *Pauli* verbis patet, huc potiſſimum veram tendere Prophetiam, ut ſoletur fideles, eoſque doctrina & adhortatione inducat ad ea credenda, & certiſſime expectanda, quæ ſacer Vates, afflatus Spiritu Sancto, futura prædicit. Inde inferas velim, Prophetiam, proprie loquendo, eſſe tantum de futuro; quia, ut optime ait *Sanctus Gregorius Magnus* Homilia 1. in Ezechielem: *In duobus temporibus Prophetia etymologiam perdit, quia cum ideo Prophetia dicta ſit, quod futura prædicat, quando de præterito aut præſenti loquitur, rationem ſui nominis amittit*.

D. Poſſuntne certi aſſignari characteres, ſeu manifeſtæ notæ ac teſſeræ, quibus verus Propheta a falſo ſecernatur?

M. Plures Scriptura Sacra præſcribit Regulas, quibus verus Propheta poteſt a Pſeudo-Propheta diſcerni. Prima Regula legitur cap. 13. v. 1. & ſequent. libri *Deuteronomii*, his verbis concepta: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris*. Sicut igitur, quicumque in Veteri Lege aliquid contra divina Moſaicæ Legis Præcepta prædixiſſet, non audiebatur, ſed tanquam falſus Propheta rejiciebatur; tametſi id caſu eveniſſet, quod locutus fuiſſet; ita in Nova Lege, ſi quis doceat, aut ſpargat in vulgus prædictiones quæ ſint contra Legem Evangelicam, ſeu Doctrinam Chriſti, is, ceu impoſtor & falſus Propheta, repudiari debet, nulla habita ratione fortuiti eventus, ſi quem haberent prædictiones ab ipſo factæ. Alteram regulam ad internoſcendum verum Prophetam a falſo tradit Scriptura Sacra cap. 18. v. 21. & ſeq. lib. *Deuter.* & hæc eſt: *Si tacita cogitatione reſponderis: Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum*. Quidquid enim Deus futurum prædicit, ſuum infallibiliter conſequitur eventum, ac ſubinde qui nomine Dei aliquid futurum prædicit, quod ſuo fruſtratur eventu, verus Propheta eſſe non poteſt. Ab hac tamen regula excipi debent Prophetiæ, quæ non ſunt abſolutæ, ſed comminatoriæ dumtaxat & conditionatæ, quæ videlicet aliquam conditionem aut expreſſam, aut tacitam, & ſubintellectam, important, quæque proferuntur a Prophetis juxta Leges divinæ juſtitiæ, attentis præſentibus circumſtantiis, & hominum demeritis: quibus poſtea commutatis, Deus avertit

avertit quod prædictum fuerat. Exempli Gr. Quando Propheta *Jonas*, miſſus a Deo ad Ninivitas, dixit eis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*; quando etiam Propheta *Iſaias*, ſicut legitur lib. 4. Regum cap. 20. ait *Ezechiæ*, Regi Juda, lethali morbo in lecto decumbenti: *Morieris & non vives*; quamvis neutrum horum evenerit, falſa tamen non prædixerunt illi Prophetæ, quia illorum Prophetiæ non erant abſolutæ, ſed comminatoriæ tantum & conditionatæ, pendentes a præſentibus circumſtantiis graviſſimi morbi Regis *Ezechiæ*, & a demeritis Ninivitarum, quibus circumſtantiis & demeritis deinde commutatis, avertit Deus, quod ab illis Prophetis fuerat prædictum. Sic in iſtis Prophetiis comminatoriis facturum ſe diſerte teſtatur Deus cap. 18. v. 7. & ſeq. Prophetæ *Jeremiæ*, dicens: *Repente loquar adverſum Gentem, & adverſus Regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit Gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei*. Quod contigit in Ninivitis, qui ad prædicationem Prophetæ *Jonæ* pœnitentiam egerunt. Tertia regula, cujus beneficio verus Propheta a falſo dignoſci poteſt, hæc eſt: *quicumque nomine Dei vaticinantur, & tamen ſerviunt paſſionibus ſuis, avaritiæ, adulationi, libidini &c. Hi ſunt falſi Prophetæ, qui, ſicut ait Propheta Ezechiel, prophetant de corde ſuo, & conſuunt pulvillos cubitis hominum*, ſimiles illis Pſeudo-Prophetis, qui, teſte Propheta *Michæa* c. 3. *comederunt carnem populi, pellem eorum deſuper excoriarunt, qui in pecunia divinant, qui mordent dentibus ſuis, prædicant pacem, & ſi quis non dederit in ore eorum quidpiam, ſanctificant ſuper eum prælium*, id eſt, indicunt ei prælium. Hos falſos Prophetas cognoſcendi modum docet nos Chriſtus Dominus dicens: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Quarta regula, per quam verus Propheta ſecernitur a falſo, hæc eſt: *Quicumque nomine Dei vaticinantur, ſeque a Deo miſſos probant virtute miraculorum ac ſignorum, hi ſunt veri Prophetæ. Hi vero, qui ſe miſſos eſſe a Deo nullis miraculis ac ſignis comprobare poſſunt, haberi debent tanquam falſi Prophetæ*, de quibus Dominus apud *Jeremiam* Prophetam c. 14. v. 14. ait: *Et dixit Dominus ad me: falſo Prophetæ vaticinantur in nomine meo, non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis*. Poſtrema regula, qua veri Prophetæ ſecernuntur a falſis, iſta eſt: *Hi veri cenſendi ſunt Prophetæ, quos in Veteri Lege univerſus Populus Judaicus habuit, excepit, & coluit, quibus Deus, & Prophetæ teſtimonium perhibuerunt, quorum Oracula Chriſtus Dominus ejuſque Apoſtoli laudarunt, confirmarunt, & quorum Libros Propheticos tam vetus Synagoga, quam Catholica Chriſti Eccleſia Sacrorum Librorum Canoni accenſuerunt*. Ope iſtarum, quas hactenus tradidi, regularum, facile intelliges, hos Prophetas, quorum præclara geſta in præſenti Colloquio compendioſe deſcripturus ſum, qui ante captivitatem Babylonicam Vaticinia fuderunt, veros fuiſſe Prophetas, ac ſubinde dignos, quibus indubitatam fidem præbeamus.

D. Quomodo Deus certam futurorum notitiam Prophetis inſpirare ſeu revelare ſolet?

M. Bifariam ſolet Deus inſpirare, ſeu revelare Prophetis certam quarumdam veritatum, & rerum futurarum notitiam; videlicet, mediate, & immediate. Revelatio mediata fit per Angelos, quorum miniſterio utitur Deus: Revelatio immediata fit a Deo, & eſt duplex, una exterior, altera interior. Revelatio immediata exterior declaratur per vocem externam, qua Propheta docetur, quid dicere, agere, vaticinarive debeat. Revelatio immediata interior fit quandoque in ſomniis per repræſentationem, ſeu per imagines objectorum; quandoque in extaſi, in qua Propheta, a ſuis ſenſibus alienatus extra ſe rapitur, ſive, ut inquit Scriptura Sacra, *irruit in eum Spiritus Sanctus*, qui illum ad loquendum & ſcribendum impellit. Denique, fit aliquando immediata revellatio interior, dum Propheta expergefactus ſedatæ mentis eſt, ſui juris, & tranquille utens ſuorum ſenſuum exercitio, ea loquitur, vel literis mandat, quæ, afflante Spiritu Sancto, ei inſpirantur, ac revelantur. Hinc facile reddi poteſt ratio, cur in libris Prophetarum interdum Vaticinia, diſturbato ordine rerum, referantur, nec diſponantur juxta rationem temporum. Hæc quippe confuſio inde orta eſt, quia ſolemne eſt Prophetis, divino impulſis motu, & ſacro furore correptis, non rationis humanæ dictata ſequi, aut accuratam rationem temporum texere, ſed potius, prout cæleſtis ſe dat ſpiritus, diſſipato & indigeſto ordine divina fundere Oracula. Quæ confuſio tantum abeſt, ut divinæ Librorum Propheticorum auctoritati quidquam detrahat, ut potius probet, illos libros non eſſe humanæ mentis opus, res concinne, conſerte, & contexte ſingulas explicantis, & rationum cohærentiam ſequentis, ſed eſſe conſcriptos ab hominibus, afflatu cæleſti inſtinctis, ac res futuras ſibi a Deo revelatas, per interciſa & ſalebroſa promentibus Oracula. Advertere tamen debes, veros Prophetas non eo pacto moveri a Spiritu Sancto, quo Energumeni ab immundis ſpiritibus impelluntur; vel quo olim Vates Ethnici, & Pythoniſſæ in rabiem agebantur; vel quo Pſeudo-Prophetæ, Montaniſtarum, ſicut obſervant *S. Epiphanius* in *Hæreſi Montaniſtarum*, & *S. Hieronymus*, Præfatione in Comment. in Prophetam *Nahum*, furore & inſania correpti, quidquid veniebat in buccam temere effutiebant, quos nonnulli apud Hæreticos noſtri temporis fanatici, violentis motibus ſe agitantes, imitari ſolent; ſed Spiritum Sanctum ſic ſacros Prophetas incitaſſe, ut mente ſemper ſana, & liberi arbitrii uſu fruerentur, ſeque eorum genio, & ſpiritui accommodaſſe, ne ipſorum conatus, labor, & induſtria inutilis eſſet. Unde, quia varius erat ſacrorum Prophetarum genius, varius itidem eſt illorum in ſcribendo ſtylus, in aliis quidem elegans, ſicut in Propheta *Iſaia*, qui erat ex illuſtri proſapia oriundus, & in Aula Regia verſatus; in aliis vero humilis, & ſimplex, ſicut in Propheta *Amos*, qui erat paſtor ovium;

non ſecus ac flatus uno ore emiſſus, pro varia calamorum diſpoſitione, varios ſonos edit e fiſtula.

D. Tenemurne credere, Prophetas Veteris Teſtamenti ſacra fudiſſe Oracula, quæ vere, & proprie pertineant ad Jeſum Chriſtum, promiſſum a Deo Meſſiam, & totius humani generis Redemptorem?

M. Id certe citra ullam animi dubitationem credere debemus. Primo, quia Apoſtolus *Paulus* cap. 26. Actor. Apoſt. affirmat, omnia, quæ de Chriſti Domini Adventu, Morte, Reſurrectione, & Doctrina prædicabat, fuiſſe jam a Prophetis prædicta: *Nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe & Moyſes*. Præterea, eodem argumento, ex vaticiniis Prophetarum Veteris Teſtamenti petito, uſi ſunt antiqui Patres ad probandum contra Ethnicos vera eſſe quæ de Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, credimus. Sic enim *Athenagoras* in Legatione pro Chriſtianis ait: *Eorum, quæ novimus, & credimus, habemus Prophetas teſtes*. *Origenes* lib. 2. contra *Celſum*, Ethnicum, *validiſſimam demonſtrationem* vocat argumentationem, ductam ex Prophetarum prædictionibus. *S. Cyprianus* adverſus Judæos in Præfatione ad *Quirinum*, ait: *Prædictiones Prophetarum valere ad prima fidei lineamenta formanda*. *S. Auguſtinus* Tractatu 35. in *Joannem*, hæc habet: *Quid eſt Chriſtus? dicit Paganus; cui nos reſpondemus: Quem prædixerunt Prophetæ*. Et cap. 2. lib. 13. contra *Fauſtum*, Hæreticum Manichæum, hæc ſcribit: *Dicere non eſſe aptam Gentibus Hebræorum Prophetiam, ut credant in Chriſtum, quum videamus omnes Gentes per Hebræam Prophetiam credere in Chriſtum, ridicula inſania eſt*. Et ſane, omnia, quæ Prophetæ de venturi Meſſiæ Ortu, Vita, Doctrina, Miraculis, Morte, Reſurrectione &c. prædixerunt, ita in Jeſu Chriſto fuiſſe adimpleta demonſtravi in Tractatu, quem edidi, *De Vita, Myſteriis, & Annis Jeſu Chriſti*, ut in tanta luce, atque in hoc Vaticiniorum eventu, nunc omnium oculis perſpicuo, atque coruſcante Sole meridiano clariori, nullus, niſi plane obduratus, aut occæcatus Judæus, cæcutire, aut caligare poſſit. Hinc duplex error rejici debet. Primus eſt Gentilium, qui dictitant, hæc Prophetarum Vaticinia fuiſſe data opera a Chriſtianis conficta ac procuſa. Sed hic error refellitur primo, quia ipſimet Judæi, Jurati Chriſtianorum hoſtes, palam profitentur, hæc Prophetarum Vaticinia eſſe antiquiſſima, nec unquam a Chriſtianis excogitata, quamvis Judæi, ne fateri cogantur, Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, nihil non moliantur ut iiſdem Prophetarum Vaticiniis, quæ antiquiſſima ac divina eſſe agnoſcunt, tenebras offundant, eaque, vanis & violentis adhibitis interpretationibus, eludant. Secundo, Evangeliſtæ in deſcribenda Hiſtoria Jeſu Chriſti, & Apoſtoli diſputantes contra Judæos, multa laudarunt Prophetarum Oracula ad probandum Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, ab ipſis prænuntiatum, nec tamen Judæi (quorum magni intererat reclamare) unquam Evangeliſtis, & Apoſtolis exprobrarunt, aut vitio verterunt, hæc, quibus utebantur, Prophetarum Oracula eſſe ſuppoſititia, & de induſtria ab illis conficta. Tertio, Evangeliſtas, & Apoſtolos a ſacrilega illa nectenda fraude fuiſſe penitus alienos, aperte demonſtrant, eorum in moribus, in perpetuo vitæ tenore, in modo ſcribendi candor ac ſimplicitas, ad illorum prædicationem quaſi repentina totius Mundi ad Chriſtum converſio, morum turpiſſimorum commutatio, Idololatriæ extirpatio, Chriſtianæ Religionis propagatio, Judæorum ruina, atque exterminium; denique, ingens miraculorum, quæ patrarunt, multitudo, carceres, exilia, ac diriſſima, quæ in probroſa morte paſſi ſunt; tormenta, hæc, inquam, & alia id genus argumenta, quæ late expoſui in prima Diſſertatione proluſoria ad *Tractatum De Myſteriis & Annis Chriſti*, quem Romæ anno MDCCXXIV. ſecundis curis adornavi, veritatem & antiquitatem conciliant his Prophetarum Oraculis, quibus uſi ſunt Evangeliſtæ & Apoſtoli ad probandum Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam in Lege promiſſum, & a Prophetis longe ante prædictum. In alterum errorem circa Vaticinia Prophetarum impegit *Hugo Grotius*, qui in Sacrarum Scripturarum interpretatione ingenio ſuo plus æquo indulgens, auſus eſt aſſerere, Prophetias duplicem involvere ſenſum, primarium ſcilicet, & ſecundarium. Qua poſita diſtinctione, ait, primarium & proprium Prophetarum ſenſum ad Hiſtorias hujus temporis, quo a Prophetis mandabantur literis, eſſe referendum; ſecundarium vero ſenſum, ſeu remotum, myſticum, & allegoricum, ad Chriſtum Servatorem noſtrum, dumtaxat pertinere. Ex quo infert *Grotius*, Prophetias ad Fidem Chriſtianam adſtruendam infirmas eſſe & invalidas, nihilque ad facienda Fidei fundamenta juvare, ſive, ut ipſemet loquitur: *Non in vim argumenti proprie adhiberi, ſed ad illuſtrandam atque confirmandam rem jam creditam*. Sed hæc temeraria, & inaudita *Grotii* ſententia jure merito ab omnibus Theologis exploditur, quia vim apertam facit nativo & germano Prophetarum ſenſui, quem ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, recta collimare, & in ipſo fuiſſe revera completum, tam certo liquet, ut hi, qui huic veritati refragantur, tanquam cæci in meridie palpare videantur (*a*). At enim, ut obiter dicam, in libris Prophetarum Veteris Teſtamenti clare prædicitur adventus Meſſiæ, qui ex ſtirpe *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*, ex Tribu *Juda*, & ex familia *Davidis*, Regis, proditurus eſt, eo tempore, quo a Tribu Juda, ſeu a tota Natione Judaica, Regnum deficere debebat, poſt finem quatuor Monarchiarum, quas Propheta *Daniel* in ſomnio *Nabuchodonoſoris* expoſuit poſt ſeptuaginta Hebdomades, ab eodem *Daniele* deſignatas. Adduntur inſuper hujus adventus Meſſiæ impleti temporis notæ toto orbe conſpicuæ, nimirum pacis ubique terrarum regnaturæ felicitas, ceſſatio Sacrificiorum Veteris Legis, Judæorum rejectio ac diſſipatio, Gentium vocatio &c. Deſcribuntur etiam minutatim circumſtantiæ loci

nativi-

nativitatis Meſſiæ in Bethleem, educationis in Nazareth, Prædicationis, Vitæ, Doctrinæ, Miraculorum, Mortis, Reſurrectionis, Aſcenſus in Cælum &c. Hæc ſunt divina Promiſſa, & Oracula, quæ de venturo Meſſia extant in libris Prophetarum Veteris Legis, quorum verum & proprium ſenſum ad Jeſum Chriſtum pertinuiſſe, & in eo exitum ſuum habuiſſe luculentiſſime produnt novi fœderis libri, a quatuor Evangeliſtis & ab Apoſtolis conſcripti. Addo etiam, hanc temerariam *Grotii* ſententiam recta fronte opponi ſanctis Patribus, quos mox laudavi, quique *validiſſimam Demonſtrationem* vocant argumentationem ductam ex prædictionibus Prophetarum. Quod certe dici haud poſſet, ſi primarius, ſeu nativus ac genuinus Prophetiarum ſenſus (ſicut falſo pertendit *Hugo Grotius*) ad Chriſtum Dominum non referretur.

(*a*) „ Quamquam ea, quæ hic a viro doctiſ„ ſimo diſputantur, ad excludendum duplicem „ oraculorum ſenſum, quorum unus literalis „ ſit, alter myſticus; adhuc tamen plures nunc „ ſunt Catholici doctores, qui hanc ſententiam „ defendunt, ita tamen ut utrumque ſenſum „ præ oculis habuerit Propheta, dum oracu„ la illa fundebat. In hanc ſententiam catho„ lice exponunt celebre Iſaiæ vaticinium: *ecce* „ *virgo concipiet*. In eo enim literali ſenſu præ„ nunciare voluit Propheta futurum, ut ado„ leſcentula nuptui tradita poſt conjugium fi„ lium pariet, quo nondum, uſum rationis at„ tingente, nec Parentum nomina adhuc bal„ butiente, Judææ regio ex hoſtium timore li„ beretur. Simul vero exponere mundo voluit „ ſub hoc typo prænunciare ſe Mundo ortum „ Meſſiæ veri Emmanuelis, ex quo univerſo or„ bi pax, & tranquillitas futura erat. Ita Cal„ met in diſſert. in hunc Iſaiæ locum, ſecu„ tus Boſſuetum Meldenſem Epiſcopum, qui „ hanc ſententiam tuetur, in lib. *Explication de* „ *la Prophetie d' Iſaie*.

D. Hæc ſat ſuperque ſufficit mihi generalis, quam hactenus tradidiſti, notitia circa nomen, inſpirationem, auctoritatem Prophetarum Veteris Legis, & Oraculorum, quæ fuderunt, verum, & genuinum ſenſum. Jam etiam memoria teneo omnes, quas præfixiſti, regulas ad diſcernendos veros Prophetas a falſis. Nunc arrectis auribus audiam res, quas præclare geſſerunt Prophetæ, qui in quinta Mundi Ætate, ſeu ante captivitatem Babylonicam, in Gente Judaica claruerunt.

M. Sexdecim ſunt Prophetæ, qui ſuas Prophetias literis prodiderunt, quorum quatuor dicuntur *Prophetæ Majores*, videlicet *Iſaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, & *Daniel*. Alii vero vocantur *Prophetæ Minores*, & ſunt *Oſee*, *Joel*, *Amoſus*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*. Inter Prophetas Majores, unus eſt, videlicet *Daniel*, qui vaticinatus eſt durante captivitate Babylonica, hoc eſt, jam decurrente ſexta Mundi Ætate, de quo ſubinde Propheta opportunius ſuo loco, ſeu in Colloquiis noſtris in ſextam Mundi Ætat m differemus. Similiter inter duodecim Prophetas Minores, tres ſunt, nimirum *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*, qui poſt captivitatem Babylonicam, ſeu in ſexta Mundi Ætate, Prophetarum munia obierunt, & quorum præclare geſta & vaticinia in noſtris itidem Colloquiis in ſextam Mundi Ætatem commodius referemus. In iſto itaque Colloquio texemus breviter Hiſtoriam Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate ſub Regibus Juda Libros Propheticos conſcripſerunt, & Oracula, quibus prædixerunt adventum Meſſiæ, ſeu Chriſti Domini, indicabimus. Deinde, Prophetarum *Eliæ*, & *Eliſæi*, qui eadem quinta Mundi Ætate ſub Regibus Iſraelis floruerunt, illuſtriora Acta, Miracula, & Vaticinia, quæ in libris Regum deſcripta leguntur, ſummatim perſtringemus.

D. Incipiamus, ſi placet, a Prophetis Majoribus, qui ſub Regibus Juda inſigni res futuras prædicendi dono fuerunt illuſtres.

M. Principem inter Prophetas Majorem locum Scriptura Sacra tribuit *Iſaiæ*, qui initio ſuæ Prophetiæ filium *Amos* ſe dicit, non quidem illius, qui inter Prophetas Minores ordine tertius eſt, ſicut perperam ſibi perſuaſit *Pſeudo-Epiphanius* in libro *De Vitis Prophetarum*, ſed fuit filius *Amoſi*, quem *Amaſiæ*, ſeu *Azariæ*, Regis Juda, fratrem fuiſſe veteres Scriptores tradunt. Nobilitate generis conſpicuus *Iſaias*, utpote e Regia ſtirpe ortus, cæteris Prophetis eloquentia antecelluit. *De Iſaia* (inquit *S. Hieronymus* in Præfatione ad *Paulam*, & *Euſtochium*) *ſciendum, quod in ſermone ſuo diſertus ſit, quippe ut vir nobilis, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admixtum*. Vaticinatus eſt *Iſaias* ſub quatuor Regibus Juda, ſcilicet *Ozia*, *Joathan*, *Achaz*, & *Ezechia*. Prædixit Regi *Achaz* liberationem Hieroſolymorum urbis, quæ a *Raſin*, Rege Syriæ, & *Phacee*, Rege Iſraelis, obſidebatur, eidemque Regi futuræ hujus liberationis ſignum dedit virginem parituram. Quo Vaticinio *Iſaiam* prædixiſſe ortum Chriſti Domini, qui e Virgine *Maria* naſciturus erat, multis argumentis evicimus in Paragrapho ſecundo Diſſertationis primæ *Tractatus*, quem edidimus, *De Myſteriis*, & *annis Chriſti Servatoris noſtri*, ibidemque ſiniſtras, & detortas interpretationes, quibus perfidi Judæi hoc *Iſaiæ* de Virgine paritura Vaticinium obſcurare moliuntur, exſufflavimus. Piiſſimo *Ezechiæ*, Regi Juda, auxilium a Deo contra Aſſyrios ſpopondit, & impetravit Propheta *Iſaias*, eique lethali morbo decumbenti prorogationem vitæ, & Regni in decimum quintum annum, nec non liberationem de manu Aſſyriorum prædixit, ſigno etiam dato, mirabili ſcilicet ſolaris umbræ reductione, & ſolis ipſius retroceſſione. Quo inſigni miraculo (ut docent ſancti Patres *Gregorius Nazianzenus* Oratione 19. *S* [illegible] *Hieronymus* Commentario in caput 38 [illegible] *S. Auguſtinus* lib. 21. *De Civitate D*[illegible] 8. & *Theodoretus* quæſtione 52. in librum quartum Regum) omnes cæleſtes orbes una cum Sole retroacti, horæque plurimæ, nocti detractæ, diei

diei additæ ſunt. Prædixit inſuper *Iſaias* finem Regnorum Iſraelis, & Syriæ; excidium urbis *Damaſci*; ingentem ac truculentam Babyloniorum vaſtationem, faciendam a Medis; clades Ægyptiis, & Æthiopibus inferendas; captivitatem decem Tribuum Iſraelis, quas in Aſſyriam deportavit *Salmanaſar*, Rex Aſſyriorum. Judæorum ſcelera vehementer redarguit Prophetas *Iſaias*, eiſque prædixit futuram eorum tum captivitatem Babylonicam per *Nabuchodonoſorem*, Babyloniorum Regem; tum captivitatem Romanam per *Titum*, Romanorum Imperatorem. Eos tamen conſolatur, certa ſpe data de reſtituenda ipſis libertate per *Cyrum*, Perſarum Regem, de quo nominatim, & de ejus victoriis, atque Imperio multa vaticinatus eſt *Iſaias*, longe antequam Rex *Cyrus* naſceretur. Sed nullus inter Prophetas clarius ac diſtinctius Ortum, Vita, Miracula, & Paſſionem Chriſti, veri Meſſiæ, prædixit, quam Propheta *Iſaias*, *cujus omnis cura* ( ut inquit *Sanctus Hieronymus* in Præfatione ad *Paulam*, & *Euſtochium* ) *de Vocatione Gentium*, *& adventu Chriſti eſt*, *ut non tam Propheta dicendus ſit*, *quam Evangeliſta*. *Ita enim univerſa Chriſti*, *Eccleſiæque Myſteria ad liquidum proſecutus eſt*, *ut non putes eum de futuro vaticinari*, *ſed de præteritis hiſtoriam texere*. His gemina habet *Theodoretus* in *Prologo Commentariorum*, ubi iſtud de Propheta *Iſaia* profert judicium; „ Divini quidem omnes Prophetæ, non ea ſolum prænuntiarunt, quæ Iſraeli eventura erant, ſed de Gentium etiam ſalute vaticinati ſunt, & Domini adventum præmonſtrarunt. Omnium vero maxime diviniſſima Eſaiæ vaticinatio credita eſt. Nam aperte omnia prædicit, & prognatam ex Abraham, & David Benedictionem, & Salvatoris Nativitatem ex Virgine, & patrata omnium generum miracula, fonteſque curationum; & Judæorum invidiam atque rabiem, & Paſſionem, & Mortem, & Reſurrectionem ex mortuis, & Aſcenſionem in Cælos, & Apoſtolorum delectum, & ſalutem omnium Gentium. Non me latet, Judæos, ut his vaticiniis, quæ Propheta *Iſaias* fudit de Chriſto Domino, Servatore noſtro, tenebras offundere poſſint, tortuoſos, & inexplicabiles quærere anfractus, ejuſque violentas adhibere interpretationes; ſed quia in Tractatu, quem lucubravi *De Myſteriis & Annis Chriſti*, late oſtendi, quam futiles ſint Judæorum interpretationes, omnemque ad vana illorum effugia aditum præcluſi, plura hic non dicam, ne actum agere videar, tibique iteratis repetitionibus faſtidium ingeram. Præter hunc, quem habemus, Vaticiniorum *Iſaiæ* librum, alia ab eodem Propheta fuiſſe ſcripta Opera conſtat ex cap. 26. lib. 2. Paralipomenon, ubi res geſtas *Oziæ*, Regis Juda, ab illo literis mandatas eſſe narratur. Verum, hæc Regis *Oziæ* Hiſtoria, quam Propheta *Iſaias* peculiari libro, a ſua Prophetia diſtincto, conſcripſit, injuria temporum excidit, plurima tamen vaticinia, quæ ſub *Ozia*, Rege, edidit *Iſaias*, extant in eo, quem nunc habemus, ejuſdem Prophetæ vaticiniorum libro, ſuntque prioribus quinque capitibus inſerta. Denique, *Iſaias* ab impio *Manaſſe*, Rege Juda, cujus impietatem libero ore carpebat & inſectabatur, per ſummam immanitatem ſera lignea diſſectus eſt, ſicut fert pervulgata Hebræorum traditio, ſanctorum Patrum ſuffragiis confirmata, & ſepultus eſt ſub quercu *Ragel*, juxta ſepulchra Regum.

D. Cum librum, quem edidiſti, *De Myſteriis & Annis Chriſti*, necdum legerim, nec eum ad manum habeam; obſecro te, ut præcipua *Iſaiæ* Vaticinia, quæ ad *Jeſum Chriſtum*, Servatorem noſtrum, referuntur, indigitare haud graveris; & eadem opera indices loca Tractatus, quem publicaſti, *De Myſteriis & Annis Chriſti*, in quibus ejuſmodi *Iſaiæ* Vaticinia in Chriſto Domino fuiſſe completa, adverſus Judæos demonſtraſti.

M. Potiſſima *Iſaiæ* Vaticinia, quæ ad Chriſtum Dominum, verum Meſſiam, ſemota omni obſcuritate, referuntur, hic quaſi digito monſtrare ſufficit. Si enim ea a Judæorum cavillationibus vindicanda ſuſcipere vellem, tanta mihi exuberaret dicendi copia, ut nec modum teneret præſens noſtrum Colloquium, nec finem reperiret oratio. Poteris, ſi tibi per otium liceat, legere Diſſertationes, quas mox tibi indicabo, a me in Tractatu *De Myſteriis*, *& Annis Chriſti* concinnatas, ex quibus plenam *Iſaiæ*, & aliorum ſacrorum Veteris Teſtamenti Vatum notitiam Oraculorum hauries, ſimul & modum refellendi inanes, & jam millies eliſas interpretationes Judæorum, qui in tanta luce cæcutiunt, & oculos ad tot affulgentes veritatis radios deploranda cæcitate occludunt, ſicut prædixit ipſemet Propheta *Iſaias* cap. 6. dicens: *Excæca cor populi hujus*, *& aures ejus aggrava*, *& ejus oculos claude*, *ne forte videat oculis ſuis*, *& auribus ſuis audiat*, *& corde ſuo intelligat*, *& convertatur*, *& ſanem eum*. Producturus itaque in medium præcipua Vaticinia, quibus *Iſaias* prædixit Chriſti Domini Myſteria, ordiar ab illis Oraculis, quæ referuntur ad ortum, ſeu ad nativitatem ejuſdem Chriſti Servatoris noſtri. Et primo quidem, quibus verbis poterat *Iſaias* clarius vaticinari Conceptionem, Ortum, & Nativitatem Chriſti Domini, quam dum cap. 7. ſuæ Prophetiæ ait: *Ecce Virgo concipiet*, *& pariet filium*, *& vocabitur nomen ejus Emmanuel?* Chriſtus enim, ut fuſe oſtendi in Paragrapho ſecundo Diſſertationis primæ Tractatus *De Myſteriis Chriſti*, ſola operatione Spiritus Sancti conceptus eſt in utero mundiſſimo *Beatæ Mariæ* Virginis, & ex ea natus eſt integris remanentibus virginei pudoris ſignaculis. Sed quid etiam luculentius eo, quod apud *Iſaiam* cap. 9. de ortu Jeſu Chriſti legitur, Vaticinio: *Parvulus natus eſt nobis*, *& filius datus eſt nobis*, *& factus eſt principatus ſuper humerum ejus*, *& vocabitur nomen ejus*, *admirabilis*, *conſiliarius*, *Deus fortis*, *pater futuri ſæculi*, *Deus pacis?* E familiis Davidis, Regis, oriturum Meſſiam diſerte prædixit *Iſaias* capite 11. dicens: *Egredietur*

*virga*

*virga de radice* Jeſſe, *& flos de radice ejus aſcendet*. Quæ divini Oraculi verba Rabbi *Aben-Eſra*, *R. Salomon*, *R. Arbabanel*, *R. Arama*, & plerique recentiores Hebræi, de Meſſia interpretantur. Porro, Chriſtum Dominum ortum eſſe ex ſtirpe *Abrahami*, & e familia Davidis, Regis, ac ſubinde ex Tribu Juda, ex qua prodituris erat Meſſias, omni argumentorum genere probavi in Tractatu *De Myſteriis Chriſti Domini*. Diſſertatione tertia, quæ eſt de *ſtemmate*, ſeu de genere & origine Chriſti Domini. Quin, & Propheta *Iſaias* cap. 2. prædixit, naſcente Meſſia, regnaturam ubique terrarum pacem: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes .... & judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*. Hæc autem ſumma & univerſalis pax, quæ juxta Prophetam *Iſaiam*, naſcente Meſſia, per totum Orbem terrarum vigere debebat, revera contigit, dum Chriſtus Dominus natus eſt anno quadrageſimo Imperii *Auguſti*, quo anno Imperatorem *Auguſtum* Jani Templum clauſiſſe, totumque Orbem beatiſſima & altiſſima pace fuiſſe potitum, tam ex ſanctis Patribus, quam ex multis Hiſtoriæ Romanæ monumentis evici in Paragrapho 2. Diſſertationis ſeptimæ *Tractatus de Myſteriis & Annis Chriſti*, *Servatoris noſtri*. Sed ſatis hactenus, quantum pati poteſt Colloquiorum noſtrorum brevitas, delibavimus Vaticinia, quibus *Iſaias* Conceptionem, Ortum, & Nativitatem Chriſti Domini prædixit. Nunc pauca ex innumeris propemodum Oraculis, quæ de Miraculis, Doctrina, Morte & Paſſione Chriſti Domini fudit *Iſaias*, hic adjiciam, &, ne in his explicandis longior ſim, ea tantum indicabo loca Tractatus, quem edidi, *De Myſteriis & Annis Chriſti*, *Servatoris noſtri*, in quibus de illorum eventu, qui nunc omnium oculis perſpicuus eſt, plenam adverſus Judæos tradidi notitiam. Miracula, quæ venturus Meſſias patraturus erat, clariſſime *Iſaias* capit. 35. prædixit his verbis: *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet, ſicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Hoc autem *Iſaiæ* Vaticinium fuiſſe in Jeſu Chriſto ad amuſſim impletum, copioſe contra Judæos probavi in Tractatu *De Myſteriis Jeſu Chriſti* Diſſertatione 14. ubi oſtendi, Jeſum Chriſtum, dum in terris converſaretur, quacumque iter faceret, ægros ac debiles, & omni morborum genere laborantes, uno verbo, unoque momento reddidiſſe incolumes, adeo ut illi, qui omnibus membris capti erant, receptis actutum viribus roborati, lectulos ipſi aſportarent, in quibus fuerant paulo ante delati, claudis vero, ac pedum vitio afflictis non modo gradiendi, ſed etiam currendi dediſſe facultatem; cæcorum oculos in priſtinum reſtituiſſe adſpectum, mutorum linguas in eloquium ac ſermonem ſolviſſe, ſurdorum patefactis auribus inſinuaſſe auditum, pollutos, aſperſoſque maculis repurgaſſe, mortuos, velut e ſomno ſolutos, ad vitam revocaſſe, tantamque in eo fuiſſe poteſtatem, ut imperio ſuo cogeret ventos obſequi, maria ſervire, mortem cedere, Infernos obedire. Cæleſtem Doctrinam Judæis ac Gentibus annunciaturum Meſſiam prædixit *Iſaias* cap. 49. dicens: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*. Et rurſus cap. 61. ait: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me. Ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro, ut conſolarer omnes gentes*. Hoc *Iſaiæ* Oraculum vere fuit adimpletum in Jeſu Chriſto, quippe qui (ut oſtendi in *Tractatu de Myſteriis Chriſti*) cæleſtem ac divinam Doctrinam, bis a Patre Æterno voce ſenſibili approbatam, per omnem terram verbis & exemplis ſeminavit, apud Judæos prædicavit, ad inflectenda ſaxea eorum corda nihil non egit, Publicanos mira comitate, & ſuavitate morum ad meliorem frugem convertere ſategit, & ſupercilium damnans Phariſæorum, qui ſanctitatis obtentu, peccatorum conſortia vitabant, innumeros peccatores luce Evangelica illuſtravit. Quin, poſtquam ſurrexiſſet ex mortuis, præcepit Apoſtolis ſuis, quos ex Judæis, tanquam e populo primogenito, ſelegit, ut irent in Mundum univerſum, prædicarent Evangelium omni creaturæ, & docerent omnes Gentes, ſicque adimpleretur Vaticinium *Iſaiæ* cap. ultimo verſ. 10. ſuæ Prophetiæ dicentis: *Mittam ex eis*, ſeu Judæis, *qui ſalvati ſunt*, *ad Gentes in Mare*, *in Africam*, *& Lydiam tendentes ſagittam: in Italiam*, *& Græciam*, *ad Inſulas longe*, *ad eos*, *qui non audierunt me*, *& non viderunt gloriam meam*, *& annuntiabunt gloriam meam*. Denique, ut, brevitatis ergo cætera *Iſaiæ* de Chriſto Domino prætermittam Vaticinia, dicam dumtaxat, Paſſionem Chriſti Domini cum omnibus pene ejus circumſtantiis fuiſſe ab illo Propheta graphice deſcriptam toto capite quinquageſimo tertio, ubi hæc leguntur. „ Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt „ propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis ſuper „ eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes „ nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam „ ſuam declinavit, & poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia „ ipſe voluit, & non aperuit os ſuum, ſicut ovis „ ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet „ os ſuum: De anguſtia & judicio ſublatus eſt: „ generationem ejus quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viventium: propter ſcelus „ populi mei percuſſi eum ..... Cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit. Quæ omnia in Jeſum Chriſtum, pro peccatis noſtris probroſæ morti addictum, perfectiſſime quadrant. Cui enim melius, quam Chriſto Domino congruunt admirabilis ille ortus cum infima exinanitione, & plurimo-

D 4

rimorum incredulitate junctus, horrenda dolorum, qui nobis debebantur, & innocentiſſima perpeſſio? peccatorum noſtrorum bajulatio? ſumma patientia, & voluntaria ſui ipſius ad ſubeundam mortem oblatio? ovis ad occiſionem ductæ, & Agni coram tondente ſe obmuteſcentis, nec aperientis os ſuum, inſtituta comparatio? cum ſceleratis deputatio, & fuſa pro tranſgreſſoribus oratio? cui, inquam, melius hæc omnia conveniunt, quam Chriſto Domino, cujus divina generatio, pro Myſterii incomprehenſibilis altitudine & dignitate enarrari non poteſt, qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, tanquam ovis ad occiſionem ductus, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmutuit, qui denique cum ſceleratis reputatus eſt, ut pote inter duos latrones crucifixus, & pro tranſgreſſoribus, ſeu pro his, qui eum crucifigebant, rogavit, dicens: *Pater ignoſce illis* &c. Sed de hoc *Iſaiæ* Vaticinio, quod ſpectat circumſtantias Paſſionis & Mortis Chriſti Domini, plura legeſis in Diſſertatione 19. *Tractatus de Myſteriis Jeſu Chriſti*, ubi, eliſis falſis & abſurdis Judæorum interpretationibus, oſtendi, iſtud *Iſaiæ* Vaticinium, quod omnes veteres Rabbini (ut videre eſt apud noſtrum *Raymundum Martini* in ſuo *Pugione Fidei*) uno ore fatentur, ad Meſſiam eſſe referendum, in Chriſto Jeſu, Servatore noſtro, quantum ad omnes apices fuiſſe adimpletum.

D. *Jeremias*, qui inter Prophetas Majores cenſetur, fuitne coævus *Iſaiæ* Prophetæ?

M. *Jeremias*, filius *Helciæ*, Sacerdotis, ex *Anathot*, vico tribus millibus ab Hieroſolymis diſtante, oriundus, poſterior fuit Propheta *Iſaiæ*; qui ſub *Manaſſe*, Rege Juda, per ſummam crudelitatem ſerra lignea diſſectus eſt; *Jeremias* vero munus Prophetæ obire dumtaxat cœpit anno 13. *Joſiæ*, Regis Juda, & regnantibus deinde *Joachazo*, *Joakimo*, *Jechonia*, & *Sedecia*, Regibus Juda, per annorum circiter quadraginta decurſum, ad urbis uſque Hieroſolymorum integrum excidium (quod ſicut diximus in primo noſtro in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis Colloquio) contigit anno undecimo Regni *Sedekiæ*, vaticinatus eſt in Juda, poſtquam decem Tribus Iſraelis fuiſſent jam a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, in Aſſyriacam captivitatem deportatæ. In eo, quem *Jeremias* edidit, Vaticiniorum libro graviter invehitur in Judæos, ob graviſſima illorum peccata, eiſque comminatur juſtiſſimas pœnas propediem a Deo infligendas, præſertim *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, adventum, Urbis & Templi excidium, & captivitatem Babylonicam. Poſtremum caput hujus libri Vaticiniorum *Jeremiæ*, non habet Auctorem, ſed fuit adjectum vel a *Baruch*, Scriba *Jeremiæ*, ut cenſet noſter *Sixtus Senenſis*, vel ab *Eſdra*, ſicut opinantur alii viri. Præter hunc Vaticiniorum librum, *Jeremias* ſcripſit *Threnos* ſeu *Lamentationes*, quarum Auctorem fuiſſe hunc Prophetam probant ſtyli ſimilitudo, locutiones ſimiles in Vaticiniorum libro & in Lamentationibus, parva Præfatio *Threnis* præfixa in lxx. Interpretum Verſione, Veterum Patrum, & Eccleſiæ auctoritas, unanimis omnium interpretum conſenſus. *Threnos*, ſeu Lamentationes, claudit *Oratio Jeremiæ*, quæ in Hebraico Exemplari, in lxx. Interpretum Editione, in Chaldaica Paraphraſi, in Syriaca, & Arabica Verſionibus, & apud *S. Hieronymum*, a reliquo *Threnorum*, ſeu Lamentationum *Jeremiæ* Opere non divellitur. Scripſit etiam *Jeremias* Epicædium, ſeu lugubre Carmen, in morte *Joſiæ*, Regis Juda, ſicut narratur lib. 2. Paralipomenon cap. 35. v. 25. quod omnino periit; Epiſtolam ad Judæos, in captivitatem Babylonicam abducendos, cujus mentio fit cap. 51. v. 60. Prophetiæ *Jeremiæ*, & alteram Epiſtolam ad eumdem populum, in prædicta captivitate conſtitutum, quæ inſerta eſt cap. 6. lib. Prophetæ *Baruch*. Auctor ſacer lib. 2. Machabæorum cap. 2. v. 1. citat *Deſcriptiones Jeremiæ Prophetæ*, quæ non ſunt tranſmiſſæ ad poſteros. Denique, Propheta *Jeremias*, qui Hieroſolymis remanſerat, & in captivitatem Babylonicam non fuerat abductus, poſt mortem *Godoliæ*, qui juſſu *Nabuchodonoſoris*, in locum *Sedekiæ*, Regis Juda, in Babylonem translati, ſuffectus fuerat, & ab *Iſmaele*, Ammonite, interfectus; in Ægyptum una cum reliquis Judæorum deportatus eſt, ubi a Judæis captivis, quos, propter Idololatriam, ſolita libertate reprehenderet, fuit in urbe *Taphnes* lapidibus obrutus & martyrii gloria decoratus, cujus ſubinde memoria Kalendis Maji celebratur in Martyrologiis *Bedæ*, *Rabani*, *Adonis*, *Notkeri*, *Wandelberti*, *Uſuardi*, & in *Romano*, nec non in Menologio Græco *Baſilii Porphyrogeniti*, Imperatoris, ut videre eſt apud *Bailletum* in *Tomo de Vitis Sanctorum Veteris Teſtamenti*. *Baruch*, Propheta, filius *Neriæ*, Jeremiæ diſcipulus, & Amanuenſis, nobiliſſima ortus familia, & patria lingua apprime excultus (teſte *Joſepho* lib. 10. *Antiquit. Jud.* capite 11.) Prophetiam ſuam ſcripſit, ſicut ipſemet profitetur *in anno quinto, in ſeptimo die menſis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Hieruſalem omnemque domum combuſſerunt igni*, id eſt, in anno quinto poſt Hieroſolymitanum Excidium Prophetiam ſuam ſcripſit *Baruch* Babylone, quo hic Propheta, poſt mortem *Jeremiæ*, ſeſe tranſtulerat. In hac Prophetia hortatur *Baruch* Judæos captivos ad pœnitentiam, inducit Hieruſalem, quaſi matrem lugentem filiorum ſuorum captivitatem, ſed eam mox conſolatur, & prædicit, fore ut Judæi e captivitate Babylonica poſt ſeptem generationes liberentur. Interim eos monet, ut Chaldæorum Idola non colant, ut pote cum ſint trunci dumtaxat carioſi, vel lapides ad nullum uſum apti aut utiles, quorum vanitatem multis oſtendit. Hic Propheticus *Baruchi* liber in vetuſto ſacrorum librorum Catalogo ſpecialem ſedem non obtinebat, eumque plures antiqui ſancti Patres ſub nomine *Jeremiæ* citarunt, quod illum, inſtar Appendicis libri Vaticiniorum Prophetæ *Jeremiæ*, ſpectarent. At, poſt definitionem *Eugenii IV.* Summi Pontificis, & Synodi Tridentinæ

tinæ Patrum, qui librum *Baruch*, tanquam ſacrum & canonicum, atque a libro Vaticiniorum *Jeremiæ* omnino diſtinctum eſſe declararunt, nullus niſi Hæreticus, divinam libro *Baruchi* auctoritatem abjudicare poteſt.

D. Suntne in libro Vaticiniorum *Jeremiæ*, & in libro Prophetico *Baruchi*, ejus Amanuenſis, aliquot Oracula, quæ ad Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum, verumque Meſſiam referantur?

M. Bene multa in libro Vaticiniorum *Jeremiæ* extant Oracula, quibus hic Propheta futura Chriſti Domini Myſteria, Vocationem Gentium, Veteris, ſeu Moſaicæ Legis abrogationem, novi fœderis ſanctionem & inſtitutionem apertiſſime prædicit. Pauca ex multis hic laudare ſufficiet. In primis, *Jeremias* capite 23. Vocationem Gentium, & Chriſti Domini Adventum prænuntiat. Ait quippe verſ. 3. illius capitis: *Ego congregabo reliquias gregis de omnibus terris* &c. Et v. 2. ejuſdem capitis: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra.* Et verſ. 6. ejuſdem capitis: *In diebus illis ſalvabitur* Juda, *& Iſrael habitabit confidenter, & hoc nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Rurſum idem Propheta cap. 31. verſ. 22. inſolitam & miraculoſam Chriſti in utero Virginis conceptionem vaticinatur his verbis: *Uſquequo deliciis diſſolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Et verſ. 31. aliiſque ſequentibus ejuſdem capitis prædicit *Jeremias* Veteris, ſeu Moſaicæ Legis abrogationem, & Novæ Legis, ſeu Evangelicæ promulgationem. Huc etenim recta collimant iſthæc hujus Prophetæ verba: „ Ecce dies veniunt, „ dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & „ domui Juda fœdus novum, non ſecundum „ pactum, quod pepigi cum patribus eorum „ in die, qua apprehendi manum eorum, ut „ educerem eos de terra Ægypti, pactum, „ quod irritum fecerunt, & ego dominatus „ ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit „ pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt „ dies illos, dicit Dominus. Dabo Legem „ meam in viſceribus eorum, & in corde eo- „ rum ſcribam eam, & ero eis in Deum, „ & ipſi erunt mihi in populum. Et non „ docebit ultra vir proximum ſuum, & vir „ fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Domi- „ num: omnes enim cognoſcent me a mini- „ mo uſque ad maximum &c. Hunc Prophetæ *Jeremiæ* locum ad novi fœderis, a Chriſto ſanciti, promulgationem eſſe referendum docent Apoſtolus *Paulus* capite 8. Epiſtolæ ad Hebræos, & Scripturæ Sacræ Interpretes, quos inter præcipue conſulere debes *S. Hieronymum*, & *Theodoretum* Comment. in cap. 31. *Jeremiæ*. Legeſis etiam Diſſertationem noſtram, quæ in Tractatu *De Myſteriis Chriſti* eſt ordine vigeſima tertia, in qua adverſus Judæos fuſe probavi, Legem illam, quam Deus per *Jeremiam*, alioſque Prophetas ſe temporibus Meſſiæ daturum pollicetur, fore novam, a Lege Moſaica omnino diſtinctam, nec uni ſoli Populo Judaico, ſicut antehac, fore peculiarem, ſed promiſcue tam Judæis, quam Gentilibus, ad Fidem Chriſti converſis, futuram communem; quæ certe Lex alia eſſe haud poteſt, quam Lex Evangelica, quæ per totum Orbem promulgata & propagata eſt.

Quod ſpectat librum *Baruch*, qui fuit Scriba *Jeremiæ*, duo præſertim in hoc libro habentur perſpicua Vaticinia, quorum primum confirmat prædictionem *Jeremiæ* de abrogatione Veteris, ſeu Moſaicæ Legis, & de Novæ, ſeu Evangelicæ Legis promulgatione, illudque legitur capite 2. verſ. 35. libri *Baruch*, his verbis conceptum: *Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, ut ſim illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non movebo amplius populum meum.* Aliud vaticinium refertur ad Chriſti Domini adventum, & extat cap. 3. verſ. 36. & ſeq. ejuſdem libri *Baruch*, ubi hæc leguntur: „ Hic „ eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius „ adverſus eum. Hic adinvenit omnem viam „ diſciplinæ, & tradidit illam Jacob, puero „ ſuo, & Iſrael, dilecto ſuo. Poſthæc, in ter- „ ris viſus eſt, & cum hominibus converſa- „ tus eſt.

Quæ omnia optime quadrant in Jeſum Chriſtum, qui Æterno Patri conſubſtantialis, ut perditos homines ſalvaret, homo factus eſt, ut peccatores ſanaret, cum peccatoribus familiariter verſatus eſt, ut Judæos alliceret, circumciſus eſt, purificatus eſt, obſervavit Sabbata, baptizatus eſt, jejunavit, vicit manſuetudine, vicit beneficentia, vicit ipſa veritate, vicit miraculis, quibus coram innumera Judæorum turba a ſe editis certiſſimam fidem adjunxit. In hunc potiſſimum finem Chriſtus, verus Deus, venit in Mundum, & homo factus eſt, quia, ſicut appoſite ait *Lactantius* cap. 24. lib. 4. divinarum Inſtitutionum: „ Si veniat ad homines, ut „ Deus (ut omittam, quod mortales oculi cla- „ ritatem majeſtatis ejus conſpicere ac ſuſtine- „ re non poſſunt) ipſe certe Deus virtutem „ docere non poterit, quia expers corporis non „ faciet, quæ docebit, ac per hoc doctrina ejus „ perfecta non erit. Ut igitur Deus mortales docendo, virtutum quoque illis præberet exempla, homo factus eſt, *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*, ſuamque doctrinam per omnem terram verbis & exemplis ſeminavit, & ea, quæ præcipiendo docuit, faciendo confirmavit.

D. Fuitne *Ezechiel*, qui inter Prophetas Majores cenſetur coævus Prophetæ *Jeremiæ*, cujus præcipua Acta & Oracula mox protuliſti?

M. Temporibus *Jeremiæ* vixit Propheta *Ezechiel*, e Tribu Levitica oriundus, filius *Buzi*, Sacerdotis, in Terra Sarera natus. In id præcipue *Ezechiel* in ſuo Vaticiniorum libro incumbit, ut ea confirmet, quæ Propheta *Jeremias* paulo ante Judæis prædixerat, nempe futuram deſtructionem Hieruſalem, & pœnas, quas illis

lis Deus quamprimum infligere debebat in obſidione & fame urbis Hieruſalem, in diſperſione populi, in depopulatione ac vaſtatione totius Judææ, in everſione Civitatis, ac Templi combuſtione, in divina ultione in Regem, & Prophetas ob ſcelera, quæ fiebant in Templo. Hæc, inquam, eventura mala, quæ Judæis prædixerat *Jeremias*, confirmat Propheta *Ezechiel* ad reprimendam Judæorum contra *Jeremiam* obmurmurationem. Quod quidem, ut clarius intelligas, præſtat ut obſerves, poſtquam *Jeremias* perſuaſiſſet Judæis, ut ſeſe *Nabuchodonoſori*, qui Hieroſolymorum urbem obſidebat, dederent, exortum eſſe murmur horum Judæorum, qui in captivitatem Babylonicam fuerant abducti adverſus Prophetam *Jeremiam*, quaſi eos ſeduxiſſet, prænuntiando integrum excidium urbis Hieruſalem, quam adhuc tamen ſtare audiebant; & verſa vice illos Judæos, qui Hieroſolymis remanſerant, irriſiſſe alios Judæos, qui Prophetæ *Jeremiæ* conſilium ſecuti, in captivitatem Babylonicam una cum *Joakimo*, ſeu *Jechonia*, Rege Juda, fuerant a Rege *Nabuchodonoſore* aſportati, ſibi utrinque perſuadentes, *Jeremiæ* Vaticinium de urbis Hieruſalem excidio falſum eſſe, & nunquam impletum iri. Ad hanc itaque reprimendam & Judæorum, qui in captivitate Babylonica degebant, adverſus *Jeremiam* injuſtam obmurmurationem, & aliorum Judæorum, qui adhuc Hieroſolymis erant, deriſionem; Propheta *Ezechiel* omnia *Jeremiæ* Vaticinia de excidio Templi, & urbis Hieruſalem confirmat. Deſcribit inſuper horrenda crimina totius Judaicæ Gentis, quibus divinam in ſe iram provocaverat, & imminentis comminatæ vaſtationis Templi, & urbis Hieruſalem rationem & modum ſub undecim metaphoris adumbrat. Primo, ſub metaphora Vitis ſterilis rejectæ, & in ignem projectæ. Secundo, ſub metaphora Adulteræ. Tertio, ſub metaphora Aquilæ grandis. Quarto, ſub metaphora Uvæ acerbæ & agreſtis. Quinto, ſub metaphora Leænæ & Leonis. Sexto, ſub metaphora ſaltus & nemoris comburendi. Septimo, ſub metaphora gladii elimati. Octavo, ſub metaphora ſcoriæ, ſtamni, ferri, & æris. Nono, ſub metaphora duarum Meretricum. Decimo, ſub metaphora Lebetis pleni carnibus ad ignem appoſiti. Poſtremo, ſub metaphora rei deſiderabilis ſublatæ & plangi prohibitæ. In captivitatem Babylonicam Propheta *Ezechiel* cum *Jechonia*, Rege Juda, deportatus eſt, ibique annos natus triginta, juxta oram fluminis *Chobar*, anno quinto ejuſdem captivitatis vaticinari cœpit, ſicut ipſe teſtatur cap. 1. v. 1. & 2. ſuæ Prophetiæ. Sed, cum per annos viginti non verbis tantum, ſed factis inſolitis, Prophetæ munus obiiſſet, interfectus eſt a Gentis ſuæ Principe, quod eum, populumque ab Idolorum cultu revocare, & ad pœnitentiam adducere totis viribus conaretur, ſicut ait Auctor, qui Vitas Prophetarum ſcripſit, ſub nomine *Epiphanii*, quique teſtatur, ad ætatem uſque ſuam ſuperfuiſſe Prophetæ *Ezechielis* ſepulchrum, miraculis clarum, & magno Judæorum concurſu frequentatum. *Ezechielis* memoria in Martyrologiis *Bedæ*, *Flori*, *Notkeri*, *Uſuardi*, & Romano, die decima Aprilis celebratur. Legeſis *Bailletum* in Vita Prophetæ *Ezechielis*, quam deſcripſit in Tomo *De Vitis Sanctorum Veteris Teſtamenti*.

D. Fuditne Propheta *Ezechiel* aliquot Vaticinia, quæ ad Jeſum Chriſtum, & ad Legem Evangelicam referantur?

M. Ex multis Vaticiniis, quibus Propheta *Ezechiel* venturi Meſſiæ Regnum, Vocationem Gentium, & Judæorum reliquias, ubique terrarum propter Chriſti crucifixionem diſperſas, circa finem Mundi convertendas, necnon Legis Evangelicæ, ſeu Chriſti Eccleſiæ, ex hoſtibus victoriam ac propagationem prædixit; tria dumtaxat, brevitatis cauſa, ſeligam, quæ adverſus pertinaces Judæos rem plane conficient. Primum Vaticinium legitur capite 24. verſ. 23. & ſeq. libri *Ezechielis*, ubi hæc nomine Dei prænunciat, *Et ſuſcitabo ſuper eas*, id eſt, oves meas, *Paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David; ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſervus meus David Princeps in medio eorum: Ego Dominus locutus ſum, & faciam cum eis pactum pacis*. Hæc autem *Ezechielis* Prophetia vere & accurate ſuum exitum habuit in Chriſto, qui de ſe ipſo ait Joannis capite 10. *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Fecit etiam cum hominibus *Pactum pacis* Chriſtus Dominus, qui *Joannis* cap. 14. ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. Hinc *Theodoretus* Commentario in hunc locum *Ezechielis* prædictum Vaticinium in Chriſto fuiſſe adimpletum probat adverſus Judæos his verbis: *Oſtendant igitur nobis, vel pacis, vel ſempiternum teſtamentum: At non poterunt, cum utroque privati ſint. Nobis autem utrumque dedit Dominus. Namque & ſempiterna nobis bona pollicitus eſt, & id nobis eſt elargitus, ut cum ipſo reconciliaremur. Ipſe enim*, ſeu Chriſtus, eſt pax noſtra, *ſicut Auctor eſt Divus Apoſtolus* (Epiſt. ad Epheſios capite 11. v. 14.). *Et rurſus*: unus ac mediator Deus homo, Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, Epiſt. 1. ad Timoth. capite 2. v. 5. Legeſis etiam *S. Hieronymum* in Commentariis, & *S. Auguſtinum* lib. 18. De Civitate Dei cap. 34. ubi Vaticinium iſtud *Ezechielis* Jeſu Chriſto vindicant. Alterum Vaticinium legitur capite trigeſimoſexto verſiculo vigeſimoquinto & ſequenti libri *Ezechielis*, eoque clare deſignantur Baptiſmus, quem Chriſtus in Novæ Lege inſtituere debebat, & ſpiritus adoptionis filiorum Dei, quem dat Lex Evangelica: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris, & dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Poſtremum Vaticinium extat capite trigeſimoſeptimo verſ. 26. lib. *Ezechielis*, ubi hic Propheta prædicit

Deum daturum tempore Meſſiæ novum fœdus pacis, & pactum ſempiternum: *Et percutiam cum illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit*. Hoc autem fœdus pacis, & pactum ſempiternum, nihil aliud eſt, quam Lex Evangelica, a Chriſto Hieroſolymis data, & deinde a Spiritu Sancto in Monte Sion ſuper Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti in die Pentecoſtes effuſo, confirmata, atque potenti miraculorum virtute illuſtrata, juxta illud Prophetæ *Iſaiæ* cap. 2. v. 3. dicentis: *Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus, quia de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Hieruſalem*. Hoc Vaticinium fuiſſe in Jeſu Chriſto vere adimpletum jampridem perfidi Judæi propria experientia intelligere debuerunt, quippequi ſicut ipſemet prædixit Chriſtus Dominus, poſt ſufficientem Legis Evangelicæ promulgationem, in pœnam ſuæ incredulitatis, miſeri, & omnibus Nationibus exoſi facti ſunt, per univerſum Orbem hac illac diſperſi vagantur, miſeriis & calamitatibus oppreſſi, laribus, & avito ſolo profligati, abſque Templo, abſque Rege, vel Duce, ſine Sacrificio, ſine Sacerdote, Republica, & propria civitate privati, atque duriſſimam ſervitutem ubique terrarum ſervire coguntur.

D. Cum *Danielis*, qui locum inter Majores Prophetas tenet, quique, durante captivitate Babylonica, vaticinari duntaxat cœpit, Geſtorum & Oraculorum narrationem ad ea, quæ in ſextam Mundi Ætatem habituri ſumus, Colloquia opportunius remittendam eſſe duxeris, nihil in præſentia de Propheta *Daniele* a te percontabor. Sed, ut plenam & abſolutam habere poſſim notitiam Prophetarum, qui in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam Vaticinia ſua literis mandarunt, quique *Prophetæ Minores* appellantur, rogo te, ut illorum tam illuſtriora Geſta, quam Oracula, quæ de Chriſto Domino, vero Meſſia, fuderunt, breviter hic deſcribas.

M. Inter Prophetas Minores, qui ante captivitatem Babylonicam in Regno Juda vaticinati ſunt, primum locum ſibi vindicat *Oſee*; immo, ſi habeatur ratio temporis, quo ille Propheta ſua cœpit auſpicari Vaticinia, primus omnium non ſolum Prophetarum Minorum, ſed & quatuor Majorum, jure optimo cenſendus eſt, quippe qui ætate illos omnes anteceſſit, primuſque omnium futura prædicere aggreſſus eſt regnante in Juda *Ozia*, eodemque munere præclare functus eſt ſub Regibus Juda *Joathano*, *Achazo*, & *Ezechia*. Fuit autem Propheta *Oſee*, filius *Beeri*, ex Tribu *Iſſachar*, natus non in oppido *Belemoth*, ſicut mendoſe legitur apud Pſeudo-Epiphanium, & Pſeudo Dorotheum in lib. *De Vitis Prophetarum*; ſed in oppido *Bethſames*, quod inter urbes Tribus *Iſſachar* recenſetur capite 19. lib. *Joſue*, idque diſerte teſtatur *S. Hieronymus* Commentar. in capite 1. *Oſee*. Fœminam fornicariam ſibi, Dei juſſu, matrimonio copulavit Propheta *Oſee*, & ex ea filios procreavit, quorum primum appellavit *Semen Dei*; alteri nomen dedit, *abſque miſericordia*; tertium nuncupavit: *Non populus meus*. Quibus *Oſee* filiis, eiſque impoſitis nominibus, continuo, quaſi vivis imaginibus, hic propheta oculis Judæorum, qui in Idololatriam erant prolapſi, præſentiſſimum exhibebat eorum excidium, triſteque repudium, quo erant a Deo rejecti. Per illam quippe fœminam fornicariam, cum qua matrimonium iniit Propheta *Oſee*, adumbratur Synagoga, quam Deus, tanquam ſponſam ſuam, in adulterio, ideſt, in Idololatria, deprehenſam, abjicere, repudiare, pœniſque addicere decrevit. Sub hoc portento & ſenſibili ſigno prædixit *Oſee* futuram Iſraelitarum excæcationem, ipſoſque a Deo repudiatos, multo tempore fore ſine Deo, ſine Templo, Altari, & Sacrificio, abſque Sacerdote, Regno, & Rege. Inſuper memorat Propheta *Oſee* ſumma illa beneficia, quibus Judæos Deus cumulaverat, nimirum poſſeſſionem fertiliſſimæ Terræ Chanaan, eductionem & liberationem ab Ægyptiaca ſervitute, protectionem *Jacob* in ſua peregrinatione, miraculoſam totius populi in Deſerto conſervationem, indeque occaſionem ſumit eorum, poſt tot ac tanta a Deo ſuſcepta beneficia, maximam & a ſæculis inauditam ingratitudinem exprobrandi. Ad ſummam ſenectutem vixit Propheta *Oſee*, eumque per nonaginta annos munere Prophetæ functum eſſe affirmant Hebræi.

D. Cedo, ſi placet, præcipua, quæ *Oſee* Propheta, de Jeſu Chriſto, vero Meſſia, protulit Vaticinia?

M. Multa de Jeſu Chriſto, & Eccleſia, *Oſee* Propheta fudit, ſcriptiſque commendavit Vaticinia, quorum illuſtriora hic attexam. In primis, Propheta *Oſee* cap. 2. v. 17. & ſeq. perſpicue prædixit Idololatriæ per Jeſum Chriſtum abolitionem, novi fœderis inſtitutionem, vocationem Gentium, utriuſque Populi, Judaici & Gentilis, in unam Eccleſiam coalitionem & cohabitationem pacificam, Eccleſiæ denique in gratia & Fide Evangelica deſponſationem cum Deo æternum duraturam. Sic enim vaticinatur laudatus Propheta: *Et auferam nomina Baalim de ore ejus..... & percutiam cum eis fœdus in die illa..... & arcum & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter, & ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in juſtitia, & in judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus; & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies, quia ego Dominus*. Hoc propheticum *Oſee* teſtimonium ad vocationem Populi Gentium, qui antehac ad Deum non pertinebat, eſſe referendum, non ſolum docet *S. Hieronymus* in commentario hujus loci, ſed & Apoſtolus *Paulus* capit. 9. Epiſt. ad Romanos, dicens: *Quos & vocavit nos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam; & erit: in loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi*. Alterum eſt Prophetæ *Oſee*

de

de fuga Jeſu Chriſti in Ægyptum, ejuſque reditu. Vaticinium cap. 11. verſ. 1. his verbis conceptum: *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Quod ad Jeſum Chriſtum pertinere, & in eo fuiſſe revera adimpletum, diſerte teſtatur *S. Matthæus* capit. 2. Evangelii ſui dicens: *Qui* (ſive *Joſephus*, ſponſus Dei-Paræ Virginis, Chriſtique Nutritius) *conſurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum, & erat ibi uſque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam, dicentem*: *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Idem *Oſee* Vaticinium in Jeſu Chriſto vere fuiſſe adimpletum, evincit *S. Hieronymus* Comentar. in cap. 11. Prophetæ *Oſee*. Tertio, Propheta *Oſee* Reſurrectionem Jeſu Chriſti tertia die futuram clare cap. 6. verſ. 3. exprimit his verbis: *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus. Sciemus, ſequemurque, ut cognoſcamus, Dominum*: *Quaſi diluculum paratus eſt egreſſus ejus, & veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ*. Quarto, Propheta *Oſee* de Jeſu Chriſti deſcenſu ad inferos inſigne iſtud (capite 13. verſ. 14.) edidit Vaticinium: *Ero mors tua, o mors; morſus tuus ero, inferne*. Quod vaticinium in Jeſu Chriſto fuit impletum, quia ſicut ille, qui aliquid mordet, partem aſſumit, partem relinquit; ita Chriſtus Dominus, poſt mortem ſuam ad Inferos deſcendens, momordit Infernum, quia Patriarchas, Prophetas, alioſque Veteris Teſtamenti Juſtos ex Inferno, ſeu ex Lymbo Patrum, eduxit, reprobos vero in Inferno æternum puniendos reliquit, ſicut fuſe commonſtravi in Paragrapho 2. Diſſertationis 21. *De Sepultura Chriſti, ejuſque deſcenſu ad Inferos*, in Tractatu, quem edidi, *De Myſteriis & Annis Jeſu Chriſti*. Denique, *Oſee*, Propheta, cap. 3. graphice deſcribit miſerum ſtatum, in quo nunc Judæi, propter crucifixionem Chriſti Domini, reperiuntur: *Dies multos*, inquit, *ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim*. Certe hujus Vaticinii eventum nunc Judæi, velint nolint, experiuntur, quippe qui vident, ſe varias in regiones diſperſos cunctis ludibrio eſſe, probra, & dedecora, innumeraſque calamitates pati; nec amplius habere Reges, Duces, Pontifices, & Sacrificia, quæ tantum ipſis offerre licebat in Templo Hieroſolymitano, quod jampridem dirutum eſt, & cujus ruinas ut videre ac flere poſſint, lacrymas ſuas pretio redimere coguntur, *ut qui quondam emerunt Sanguinem Chriſti, emant lacrymas ſuas, & ne fletus quidem eis gratuitus ſit*, ſicut eleganter ait *S. Hieronymus* in capit. 2. *Sophoniæ*, Prophetæ.

D. Sub quo Rege Juda vaticinari cœpit *Joel*, qui inter Prophetas Minores ſecundo loco cenſetur? & quænam ſunt celebriores ejus prædictiones?

M. Sub quo Rege Juda vaticinari cœperit *Joel*, filius *Phatuel*, vel e qua Tribu oriundus ſit, incertum plane eſt. *S. Hieronymus* Præfatione in *Joelem*, & *Theodoretus* Præfatione itidem in *Joelem* exiſtimant, hunc Prophetam ſupparem & coævum fuiſſe Prophetæ *Oſee*, eumque ſub Regibus Juda, *Ozia*, *Joathan*, *Achaz*, & *Ezechia* fuiſſe vaticinatum. Hoc unum certum eſt, *Joelem*, poſt decem Tribuum Iſraeliticarum captivitatem Prophetæ munus in Regno Juda obiiſſe, tum quia de Tribu tantum Juda, & non de aliis Tribubus verba facere videtur: tum quia capite tertio ſuæ Prophetiæ captivitatem decem Tribuum jam factam aperte innuit his verbis: *Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in Vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ſuper populo meo, & hæreditate mea Iſrael, quos diſperſerunt in Nationibus*. Cum igitur in Prophetia *Joelis* altum ſit de Regno Iſraelitico ſilentium, ſignum eſt, *Joelem* poſt Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis deportationem, & ante captivitatem Babylonicam in Regno Juda vaticinatum eſſe. Sub Symbolis autem Erucæ, Locuſtæ, Bruchi, & Rubiginis, prædicit *Joel* quatuor potentiſſimorum hoſtium, totidemque Regnorum in Palæſtinam irruptiones atque incurſiones, quibus tota Judæa eſſet atterenda, vaſtanda, exhaurienda, exſcindenda, ſegetes, vineæ, omneſque fructiferæ arbores penitus exterminandæ. Quapropter Judæos etiam atque etiam adhortatur ad pœnitentiam, ut hæc impendentia mala declinare, & a ſe amoliri poſſent. Illos præterea conſolatur, promittendo, Deum ad eos miſſurum Liberatorem, ſeu Jeſum Chriſtum, cujus duplicem prænuntiat adventum. Primum quidem Chriſti Domini adventum his verbis deſignat *Joel*, Propheta, capit. 2. verſ. 23. & ſequent. dicens:
„ Et filii Sion exultate, & lætamini in Domi-
„ no Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem
„ juſtitiæ . . . . . . & reddam vobis annos, quos
„ comedit locuſta, bruchus, & ærugo, & e-
„ ruca: Fortitudo mea magna, quam miſi in
„ vos. Laudabitis nomen Domini Dei veſtri,
„ qui fecit mirabilia vobiſcum, & non confun
„ detur populus meus in ſempiternum. Et ſcie-
„ tis quia in medio Iſrael ego ſum, ego Do-
„ minus Deus veſter, & non eſt amplius, &
„ non confundetur populus meus in æternum.
Quis autem, quæſo, eſt ille *Doctor Juſtitiæ*, quem Propheta *Joel* a Deo datum iri pollicetur, niſi Jeſus Chriſtus Dominus? quem Pater Aeternus nobis Doctorem juſtitiæ dedit, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite*. Et qui a *Joanne* baptizandus, cum ille modeſtiæ ergo moras necteret, dixit: *Sine modo, ſic decet nos implere omnem juſtitiam*. Alterum Jeſu Chriſti adventum, in quo univerſos homines judicaturus eſt, idem Propheta cap. 3. verſ. 12. & ſeq. deſignat his verbis: *Conſurgant, & aſcendant gentes in Vallem Joſaphat, quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu . . . . . populi, populi in Valle conciſionis, quia juxta eſt dies Domini in Valle conciſionis. Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*. Denique, Propheta *Joel* naſcentis Eccleſiæ Chriſti primordia accurate deſcribit, quando videlicet

Chri-

Chriſtus Dominus, poſt devictam mortem, & hominum redemptionem conſummatam in Cælum aſcendit, & Spiritum Sanctum cum variorum chariſmatum donis in Apoſtolos ac Diſcipulos effudit. Hoc, inquam, inſigne, naſcente Eccleſia Chriſti, futurum prodigium Propheta *Joel* cap. 2. verſ. 28. & 29. prædixit his verbis: *Et erit poſt hæc, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſervos meos, & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.* Iſtud autem *Joelis* Vaticinium de Jeſu Chriſto, & de Spiritus Sancti ab ipſo Miſſione intelligendum eſſe docent S. *Petrus* cap. 2. Act. Apoſt. omnes ſancti Patres, univerſa Eccleſia Catholica, illudque temporibus Meſſiæ impletum iri, multi ex Judæis periti Rabbini ultro profitentur.

D. *Joelem* in ſerie Prophetarum Minorum excipit Propheta *Amos*, cujus Geſta & Prophetiæ ſummam referendi nunc tibi onus incumbit.

M. Ex Tribu Juda, ſicut docent *Euſebius*, *Sanctus Hieronymus*, & *Sanctus Cyrillus Alexandrinus*, originem traxit Propheta *Amos*, qui in exordio Prophetiæ ſuæ ſe Paſtorem Thecuitam fuiſſe, atque temporibus *Oziæ*, Regis Juda, & *Jeroboami*, Regis Iſrael, biennio ante terræ motum, qui, ſicut ex veteribus Hebræis tradit *Sanctus Hieronymus*, contigit anno vigeſimo tertio Regni *Oziæ*, vaticinari cœpiſſe narrat. Thecue autem, ubi *Amos* paſtoris & armentarii officium agebat, pagus erat in Tribu Juda, ſex tantum milliarium ſpatio a Bethleem diſſitus, ibique *Amos* ad vaticinandum vocatus eſt a Deo, ſicut ipſemet teſtatur cap. 7. verſ. 14. ſuæ Prophetiæ: *Non ſum*, inquit, *Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros, & tulit me Dominus, cum ſequerer gregem, & dixit Dominus ad me: Vade Propheta ad populum meum Iſrael.* Crebras Prophetæ *Amoſo*, quod ſumma libertate Idolorum cultum carperet, ab impio Bethelis Sacerdote, dicto *Amaſia*, inflictas pœnas, ac tandem mortem ipſi ab ejuſdem *Amaſiæ* filio, eliſis clava temporibus, fuiſſe illatam, narrant Pſeudo-Epiphanius, & Pſeudo-Dorothæus in lib. *De Vitis Prophetarum*, necnon Martyrologium Romanum ad diem 31. menſis Martii. Summa Prophetiæ *Amos* hæc eſt. Primo, ultionem divinam in Syros, Damaſci nomine, quæ Syriæ Metropolis erat, deſignatos, in Philiſtæos, Tyrios, Idumæos, Ammonitas, ac Moabitas vaticinatur. Secundo, tam Judæis, quam Iſraelitis, quos de avaritia, de Idololatria, & de laſcivia acriter redarguit, prædicit idem Propheta futuras calamitates, clades, everſionem, & excidium; videlicet irruptionem *Sennacherib*, Regis Aſſyriorum in Iſraelitas cum validiſſimo exercitu, eorumque Aſſyriacam captivitatem: Similiter denuntiat Judæis incurſiones *Nabuchodonoſoris*, qui totam Judæam ferro & igne depopulari, urbem Jeroſolymorum penitus exſcindere, auguſtiſſimum Templum ſuccendere, eoſque tandem vinculis conſtrictos in captivitatem Babylonicam abducere debebat. Denique, Propheta *Amos* conſolatur Judæos, hiſque impendentibus malis lætum adjungit nuncium de venturo Meſſia, qui in libertatem, pacem, omnemque proſperitatem, & quaſi aureum ſæculum eſſet in Orbem invecturus, & omnibus Nationibus veram ſalutem allaturus. Sic enim capite nono ſuæ Prophetiæ ait: *In die illa ſuſcitabo Tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerunt, inſtaurabo, & reædificabo illud ſicut in diebus antiquis, ut poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quod invocatum ſit Nomen meum ſuper eos, dicit Dominus faciens hæc.* Quod quidem Vaticinium fuiſſe vere adimpletum in Jeſu Chriſto, qui domum David inſtauravit, dum in corpus Eccleſiæ, quam ſuo ſanguine acquiſivit, omnes Nationes induxit, diſerte docet Apoſtolus *Sanctus Jacobus* cap. 15. verſ. 14. libri Actuum Apoſtolorum, ejuſdemque Apoſtoli genuinam prædicti Vaticinii interpretationem omnes, ut par eſt, amplectuntur ſancti Patres, ac tota, qua late patet, Eccleſia Catholica. Hinc jure ac merito vapulat *Hugo Grotius*, qui, ſicut memini, me ſuperius obſervaſſe, in Sacrarum Scripturarum interpretatione ingenio ſuo plus æquo indulgens, hoc Vaticinium Prophetæ *Amoſi* fuiſſe in *Zorobabele* adimpletum, una cum Judæis aſſerere non erubuit. Sed hanc falſam Judæorum interpretationem, quam temere ſecutus eſt *Grotius*, egregie admodum refellit *Theodoretus* Comment. in caput nonum Prophetiæ *Amoſi*, ubi invicte demonſtrat, laudatum Oraculum, non in *Zorobabele*, qui Judæos e captivitate Babylonica in patrium ſolum reduxit, ſed in ſolo Jeſu Chriſto, ad quem omnes promiſſiones *Davidi*, Regi, a Deo factæ, pertinebant, ſuum exitum habuiſſe.

D. Indica nunc, quæſo, Patriam, Tribum, & Vaticinia, quæ fudit *Abdias*, qui in ſerie Prophetarum Minorum quartus collocatur?

M. Incerta eſt Patria ac Tribus, e qua genus ſuum duxit Propheta *Abdias*; nec etiam inter omnes convenit de ætate, qua floruit ſacer ille Vates. Alii quippe *Abdiam* ætate *Achabi*, Regis Iſraelis, floruiſſe tradunt. Alii illum Prophetæ *Eliæ* coævum faciunt. Alii ad *Jeremiæ*, & *Ezechielis* ætatem detrudunt. Alii tandem probabilius cum *SS. Hieronymo*, *Cyrillo*, *Alexandrino*, & *Theodoreto* cenſent, *Abdiam* Prophetis *Oſee*, *Joeli*, & *Amoſo*, necnon *Iſaiæ* æqualem, ſeu coævum fuiſſe, & ſub iiſdem Regibus Juda Prophetiam ſuam edidiſſe. Breviſſima eſt *Abdiæ* Prophetia, utpote quæ uno dumtaxat capite continetur, & in ea vaticinatur *Abdias* ultimam per Chaldæos devaſtationem Idumæorum, propter culpam ſuperbiæ, ſuperſtitioſæ ſcientiæ, & inimicitiæ, qua Judæos, fratres ſuos, opprimere moliebantur. Promittit etiam idem Propheta filiis *Jacob*, ſed præſertim Tribui Juda gratiam perpetuam, terminorum dilatationem, & imperium tum in Idumæos, tum in omnes Mundi Nationes. Quod certe contigit tempo-

temporibus Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, qui Gentiles, tenebris Idololatriæ immerſos, & per Idumæos deſignatos, eruit e poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Dei, ſibique ita univerſa ſubjecit, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Id autem *Abdias* dilucide verſ. 17. ſuæ Prophetiæ expreſſit his verbis: *Et in monte Sion erit ſalvatio, & erit ſanctus: & poſſidebit domus Jacob eos, qui ſe poſſederant; & erit domus Jacob ignis, & domus Joſeph flamma, & domus Eſau ſtipula, & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau*, id eſt, Idumæorum, quibus *Eſau*, frater *Jacobi*, originem dedit. In hoc *Abdiæ* Vaticinio, tria notantur, quæ in Jeſum Chriſtum & in ejus Eccleſiam optime quadrant. Primo, *ſalvationis* & *ſancti* nomine deſignatur Jeſus Chriſtus: *Vocabis Nomen ejus Jeſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*, inquit Angelus *Joſepho* capite 1. *Matth.* Secundo, Mons Sion, unde Lex Evangelica proficiſci debebat, ſignificat Chriſti Eccleſiam, quæ in Monte Sion fundata eſt. Poſtremo, per deſtructionem domus *Eſau* indigitat Propheta *Abdias* Gentiles, qui, depulſis Idololatriæ tenebris, Jeſum Chriſtum, verum Regem, agnituri erant, juxta illud Evangeliſtæ *Lucæ* capite 1. v. 33. *Et regnabit*, (id eſt, Chriſtus) *in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis*. Hoc *Abdiæ* Vaticinium Meſſiæ adſcribit ex Judæis *Maimonides*, Rabbinus doctiſſimus, illudque in Jeſu Chriſto fuiſſe revera adimpletum, docent ſancti Patres, *Hieronymus* Comment. in hunc locum *Abdiæ*, *S. Auguſtinus* c. 31. lib. 18. *De Civitate Dei*, & *Theodoretus* Comment. in Prophetiam *Abdiæ*.

D. *Jonam*, cui in ſerie Prophetarum Minorum quintus aſſignatur locus, ad prædicandam Ninivitis pœnitentiam, fuiſſe a Deo miſſum, jam probe novi. Sed quænam eſſet ipſius patria? & an de Jeſu Chriſto ſpeciatim aliquid prædixerit? adhuc ignoro.

M. Comminiſcuntur Hebræi, Prophetam *Jonam* eſſe natione Sareptanum, & Viduæ Sareptanæ filium. Sed hoc eſt vanum commentum, contrarium Scripturæ, quæ conceptis verbis cap. 14. v. 25. lib. 4. Regum tradit Prophetam *Jonam* fuiſſe filium *Amathi*, natione Getheum, ſeu oriundum ex oppido *Get-Opher*, non longe diſtanti a Sephori, quæ *Diocæſarea* appellatur, verſus Tiberiadem in Tribu Zabulonis, ubi & *Jonæ* ſepulchrum ſua ætate oſtenſum *S. Hieronymus* teſtatur. Coævus fuit *Jonas* Prophetis *Oſee*, *Joeli*, *Amaſo*, *Abdiæ*, & *Iſaiæ*, & ſub iiſdem Regibus Juda vaticinatus eſt. *Jonas*, in ea, quam edidit, Prophetia, narrat quæ ipſi contigerunt. Et primo ait, ſe ad urbis Ninives ſubverſionem nunciandam, & intra quadraginta dies eventuram, a Deo miſſum fuiſſe, ſed imperio Domini reluctantem navigio fugiſſe in Tharſis a facie Domini, ortaque tempeſtate, jactis ſortibus deprehenſum miſſum eſſe in mare, abſorptum a piſce, in cujus ventre tribus diebus totidemque noctibus fuit, ac tandem inde ſtupendo miraculo prodeuntem, Divino Mandato obtemperaſſe, & rurſus ad Ninivitas miſſum, everſionem ampliſſimæ Civitatis prædixiſſe. Secundo, deſcribit *Jonas*, Ninivitarum Regem, & Ninives populum, ipſo prædicante, pœnitentiam agentem, & ad meliorem frugem converſum, atque veniam a Deo impetrantem. Quod ægre ferens *Jonas*, quia Vaticinium ſuum adverſus Niniven non impletum iri intelligebat, mortem optavit, ſed actutum a Domino correptus eſt, qui injuſtam eſſe ipſius indignationem convicit exemplo hederæ, quam arefactam eſſe dolebat ipſe *Jonas*, tametſi eam nec ſeviſſet, nec coluiſſet; indeque edoctus eſt, quam immerito mæſtus eſſet, quod Deus, pœnitentia Ninivitarum placatus, civitati maximæ pepercifſet, in qua erant pluſquam centum millia hominum, qui non peccaverant. Qua in re ſicut appoſite obſervat *Theodoretus* in Prologo Commentarii in *Jonam*, voluit Deus ſuam erga Gentes bonitatem & miſericordiam demonſtrare, ſeque non modo Judæorum, ſed & Gentium ſalutem curare: *Ut omnes edoceat* (ſunt verba Theodoreti) *non ſe Judæorum Deum ſolum eſſe, ſed etiam Gentium, atque ut Veteris & Novi Teſtamenti cognationem oſtendat. Etenim ſi ante Incarnationem nullam de Gentibus curam ſuſcepiſſet, alium Deum illum ſuſpicari Judæi potuiſſent, ut qui contraria illi faceret, qui Legem dediſſet, cum Judæos hic tantum curaret, ille vero omnes homines*. Nullum in Libro Prophetico *Jonæ* extat de Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, Vaticinium. Sed hic Propheta fuit inſignis typus Chriſti, ſicut aſſerit ipſemet Chriſtus capit. 11. *Matthæi*, dicens: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Hinc Sanctus *Hieronymus* in Epiſtola ad *Paulinum* ait: *Jonas, columba pulcherrima, naufragio ſuo Paſſionem Domini præfigurans, Mundum ad pœnitentiam revocat & ſub nomine Ninive, Gentibus ſalutem nunciat*. Legeſis etiam ſuper hac re eumdem ſanctum Doctorem Præfatione in *Jonam*, ſanctum *Auguſtinum* capit. 30. libr. 18. *De Civitate Dei*, & *Sanctum Cyrillum Alexandrinum* Præfatione Commentarii in *Jonam*, qui omnes conſtanter docent, *Jonam* fuiſſe ſperantem quamdam Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri, Prophetiam, eumque ventre piſcis exceptum, & die tertio redditum eſſe, ut ſignificaret Chriſtum de profundo Inferni die tertio rediturum.

D. *Michææ*, qui in ſerie Prophetarum Minorum ſextus eſt, ſcire nunc geſtio patriam, genus, ætatem, ac Prophetiæ ſummam.

M. In viculo *Moraſthi*, juxta Eleutheropolim, Palæſtinæ urbem, natus eſt Propheta *Michæas*, qui plane diverſus eſt ab altero *Michæa*, filio *Jemlæ*, qui temporibus *Achab*, & *Joſaphat*, Regum, vaticinatus eſt, & ab *Achabo* in carcerem conjectus fuit, ſicut legitur lib. 3. Regum c. 22. Floruit *Michæas*, Moraſthites temporibus Prophetarum *Oſee*, *Joelis*, *Amoſi*, *Iſaiæ*, & ſub Regibus Juda, *Joatham*, *Achaz*, & *Ezechia* ter-

terruit ſuis Vaticiniis Samariam & Hieruſalem, hoc eſt, in ſcelera, tam Judæorum, qui erant in Regno Juda, quam Iſraelitarum, qui erant in Regno Samariæ, dicto Iſraelitico, vehementer invectus eſt, utriuſque excidium, & captivitatem denunciando, Iſraelitis quidem per Aſſyrios, Judæis vero per Chaldæos. Principum, qui plebem iniquis Tributis, exactionibus, vectigalibus, fraudibus, & uſuris opprimebant; Judicum, qui acceptis muneribus, juſtitiæ Leges violabant; Sacerdotum, qui ſui officii immemores, lucro inhiabant, ſuiſque commodis præpoſtere ſerviebant; Prophetarum, qui ſub cubitis peccatorum, a quibus aliquid emolumenti ſperabant, pulvillos conſuebant, nefanda crimina redarguit Propheta *Michæas*, & propter hæc, delendam a Chaldæis Hieroſolymam prædixit. Verum, tot inter impendentia mala, quæ Judæis eventura auguratur Propheta *Michæas*, lætum eis promittit e captivitate Babylonica per *Cyrum*, Perſarum Regem, reditum, & lætiorem ex ſervitute peccati, mortis, & Diaboli liberationem per Chriſtum, cujus adventus circumſtantias cap. 4. ſuæ Prophetiæ deſcribit his verbis: *In noviſſimo die erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles, & fluent ad eum populi, & prophetabunt gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob .... quia de Sion egredietur Lex, & Verbum Domini de Hieruſalem. Et judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes uſque in longinquum, & concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones, non ſumet gens adverſus gentem gladium, & non diſcent ultra belligerare &c.* Hoc Prophetæ *Michææ* Vaticinium in Chriſto Domino fuiſſe adimpletum, multis argumentis evici in Paragrapho ſecundo Diſſertationis, quæ eſt ordine ſeptima in Tractatu, quem edidi, *De Myſteriis Jeſu Chriſti*, ubi etiam oſtendi contra *Joannem Maſſonum*, Presbyterum Anglicanum, pacem, quam Prophetæ, adveniente Meſſia, futuram vaticinantur, non ſolum fore ſpiritualem, per quam Meſſias homines a ſervitute Diaboli afferet in libertatem filiorum Dei, ſed fore etiam pacem terrenam, & temporalem, quæ ubique terrarum, ſedatis omnibus bellis, vigere debebat. Quod, naſcente Chriſto Domino anno quadrageſimo Imperii *Auguſti*, revera contigiſſe, probant Hiſtoriæ Prophanæ Monumenta, ſanctorum Patrum authoritate confirmata. Alterum de Jeſu Chriſto Vaticinium *Michæas* cap. 5. ſuæ Prophetiæ fudit, quo locum, in quo Chriſtus, verus Meſſias, naſciturus erat, clariſſime prædixit, & his verbis conceptum eſt: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Hoc *Michææ* Vaticinium fuit vere in Jeſu Chriſto, qui natus eſt Bethleemi, adimpletum; nec ullo pacto detorqueri poteſt ad *Zorobabelem*, tum quia *Zorobabel* neque Bethleemi, neque in Judæa natus eſt, ſed in captivitate Babylonica: Tum etiam, quia *Zorobabeli* hæc Vaticinii *Michææ* pars: *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis* convenire haud poteſt. Denique, hoc *Michææ* Vaticinium non de *Zorobabele*, ſed de Meſſia eſſe intelligendum ultro fatentur Paraphraſtes Chaldæus *Jonathan*, Auctores Talmudis in Tractatu *Sanhedrin* cap. ultimo, & in Tractatu *De Paſchate*, Rabbi quoque *Salomo*, & Rabbi *David Kimki*.

D. *Michæam* in ſerie Prophetarum Minorum ſequitur *Nahum*, qui ſeptimus eſt, & de cujus patria, ætate, & Prophetia pauca modo dicere juvat.

M. Elceſi, Galilææ viculo, in Tribu *Simeonis*, natus eſt Propheta *Nahum*, floruitque non *Joathami*, Regis Judæ, temporibus, ſicut viſum eſt *Joſepho*, Hebræo, lib. 9. *Antiq. Jud.* cap. 11. neque temporibus *Manaſſis*, impiiſſimi Regis Juda, ſed ſub *Ezechia*, Rege Juda, claruit, atque, poſt abductas jam decem Tribus Iſraelis in captivitatem Aſſyriacam, vaticinari cœpit contra Niniven, & Ninivitas, quibus toties relapſis, totique Aſſyriorum Imperio, cujus caput erat Ninives urbs, extremum denuntiavit excidium, quod Ninivitæ, ſuis rapinis, maleficiis, aliiſque propudioſis flagitiis iram Dei provocantes, ſibi accerſiverant. Hinc prædixit, *Nabuchodonoſorem* Regiam Ninivem urbem obſeſſurum, obſeſſam capturum, captam deprædaturum, denique totum Aſſyriacum Imperium a Chaldæis, & Medis devaſtatum atque exciſum iri. Legitur cap. 1. v. 15. Prophetiæ *Nahum* prædictio, quæ, teſte *S. Auguſtino* c. 31. lib. 18. *De Civitate Dei* ad Legem Evangelicam refertur. Sic autem habet: *De domo Dei tui interficiam ſculptile & conflatile: ponam ſepulchrum tuum. Ecce ſuper montes pedes Evangelizantis & annunciantis pacem*. Quam prophetiam *S. Auguſtinus* loco mox a me laudato ſic interpretatur: *Per Evangelium exterminata ſculptilia, & conflatilia, id eſt, Idola Deorum falſorum, & oblivioni tanquam ſepulturæ tradita jam videmus, & hanc etiam in hac re Propheti.m completam eſſe cognoſcimus*.

D. Sub quo Rege Juda vaticinatus eſt *Habacuc*, qui in ordine Prophetarum Minorum octavus eſt? & quidnam potiſſimum in ejus Prohpetia continetur?

M. Vaticinatus eſt *Habacuc* ſub *Manaſſe*, impio Rege Juda, cujus flagitia non obſcure perſtringit cap. 1. v. 4. ſuæ Prophetiæ, dicens: *Propter hoc lacerata eſt Lex, & non pervenit uſque ad finem judicium, quia impius prævalet adverſus juſtum, propterea egreditur judicium perverſum.* Sed cum illuſtriſſimo Abrincenſi Epiſcopo *Daniele Huetio* advertere debes, duos fuiſſe prophetas *Habacuc*, priorem, cujus prophetia adhuc ſupereſt, ortum e Tribu *Simeonis*, coætaneum fuiſſe *Manaſſi*, Regi Juda, & ante captivitatem Babylonicam in Regno Juda prophetaſſe: alterum vero Vatem, eodem nomine *Habacuc* inſignitum, ex Tribu Levi originem duxiſſe, ut videre eſt in lemmate Hiſtoriæ *Belis*, & *Draconis* præfixo in libro *Danielis*, quod exhibet *S. Hieronymus* præfatione in *Danielem*, huncque poſteriorem prophetam *Habacuc* illum eſſe, qui, tempore captivitatis Babylonicæ juſſus a Deo, &

ab

ab Angelo raptus detulit ad prophetam *Danielem*, in lacum Leonum miſſum, prandium, quod ſuis meſſoribus paraverat. De priori dumtaxat *Habacuc* hic nobis ſermo erit, cujus prophetiæ hæc ſumma eſt: Conquerenti huic prophetæ, quod Deus ſineret pios ab impiis opprimi, Regnumque *Nabuchodonoſoris*, peſſimi Idololatræ, viribus & poteſtate in dies creſcere, ac longe lateque propagari; reſpondit Deus, ſe poſtquam per Chaldæos punierit Judæos, illico Chaldæos perditurum, tum propter irreverentiam, qua *Baltaſſar*, eorum Rex, Vaſa, divino cultui conſecrata, prophanis uſibus deſtinaverat; tum propter Chaldæorum, eorumque Regum ebrietatem, crapulam, violentiam, cædes homicidia, Idololatriam. Hinc propheta *Habacuc* multiplex *Væ* intentat *Nabuchodonoſori*, Chaldæorum Regi, fruſtraque illum in *Belo*, aut in virtute cujuſcumque Idoli ſuam ſpem ac fiduciam collocaturum prænunciat. Denique, prophetiam ſuam concludit propheta *Habacuc* Carmine Euchariſtico, ſeu Cantico gratiarum actionis, quo ſummam Dei miſericordiam in adventu Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ ac Redemptoris, commendat capite 3. verſ. 2. dicens: *Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies, cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*. Et verſu 13. ejuſdem capitis, *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*. Et verſu 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo*. Nec minus clare idem propheta cap. 2. verſu 3. Meſſiam propediem venturum prædicit his verbis: *Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, ſi moram fecerit, expecto illum, quia veniens veniet, & non tardabit*.

D. Bene habet: præcipuas jam compertas habeo prædictiones, quas fuderunt octo Prophetæ Minores, qui in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam vaticinati ſunt. Unus tamen adhuc ſupereſt *Sophonias*, qui in ſerie Prophetarum Minorum nonus eſt, quique itidem in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam, res futuras prædixit, de cujus ſubinde genere, ætate, & prophetia aliquid ſcire aveo. De tribus vero aliis Prophetis Minoribus, videlicet de *Aggæo*, *Zacharia*, & *Malachia* nihil in præſentia a te percontabor, quia de tribus illis Prophetis Minoribus, qui, ſicut jam me præmonuiſti, poſt captivitatem tantum Babylonicam vaticinandi munus obierunt, opportunius ſuo loco, id eſt, in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis tractaturum te ſpopondiſti.

M. Ex ſtirpe Regia, ſeu ex familia *Ezechiæ* Regis Juda, ſuum genus duxiſſe *Sophoniam* nonnulli aſſerunt Scripturæ Sacræ Interpretes, ſed id, cum incertum ſit, in medio relinquo. Hoc unum certum eſt, Prophetam *Sophoniam*, ſicut ipſemet teſtatur initio Prophetiæ ſuæ, fuiſſe filium *Chuſi*, & vaticinatum eſſe temporibus *Joſiæ*, Regis Juda, hoc eſt, ſub exordium Regni ejuſdem *Joſiæ*, antequam pius ille Rex ſuſtuliſſet prophanos & ſacrilegos cultus, quos nequiſſimus *Manaſſes*, Rex Juda, induxerat, & propter quos Propheta *Sophonias* vehementer Judæos objurgat, eoſque ſimul adhortatur, ut, extirpata penitus Idololatria, aliiſque relictis ſceleribus, quibus dediti erant, tandem aliquando reſipiſcant, & ad ſinceram pœnitentiam, verumque Dei cultum redeant. Quod ſi, obſtinatis animis, facere detrectent, eis inevitabile prædicit per *Nabuchodonoſorem*, Regem, excidium, non ſecus, ac Philiſtæis, Moabitis, Ammonitis, Æthyopibus, & Aſſyriis. Redarguit acerrime rapinas Principum Regni Juda, injuſtitiam Judicum, mendacia Pſeudo-Prophetarum, impietatem Sacerdotum, & ſummam ſocordiam Judæorum, qui tam Ninivitarum, quam aliarum Gentium, quæ ob ſua flagitia fuerant a Deo exterminatæ, funeſto, quod præ oculis habebant, exemplo nec ſapientiores, nec meliores evaſerant. Demum propheta *Sophonias*, poſtquam multas imminentes calamitates Judæis ominatus eſt, eos conſolatur, promittens, ipſis amæniores ſub finem Mundi exorituros ſoles, futuram illorum converſionem, & in adventu Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, multorum e populo Judaico ad veram Fidem vocationem: „ Lauda filia Sion (inquit *Sophonias* capit. 3. ſuæ „ Prophetiæ) jubila Iſrael, lætare, & exulta in omni corde filia Hieruſalem. Abſtulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: Rex Iſrael Dominus in medio „ tui, non timebis malum ultra. In die illa „ dicitur Hieruſalem: Noli timere Sion, non „ diſſolvantur manus tuæ, Dominus Deus in medio tui fortis ipſe ſalvabit. Gaudebit ſuper te „ in lætitia, ſilebit in dilectione ſua, exultabit „ ſuper te in laude &c. Sed ſatis hactenus diximus de Prophetis Minoribus, qui in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam res futuras, afflante Spiritu Sancto, prędixerunt, quique vocantur *Prophetæ Minores*, non quod minori, aut inferiori polleant auctoritate, quam Prophetę, dicti *Majores*, ſed quod eorum prophetię contractiores ac breviores ſint illis, quas ediderunt prophetę Majores.

D. Pręter illos prophetas, tum Majores, tum Minores, quos huc uſque percenſuiſti, quique in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam prędictiones ſuas literis conſignarunt, alii fuerunt ſacri Vates, pręſertim *Elias*, & *Eliſeus*, qui in quinta Mundi Ætate, in Regno Iſraelitico, ante Aſſyriacam decem Tribuum captivitatem floruerunt; & de quorum geſtis, miraculis, & vaticiniis te aliquid in pręſenti noſtro Colloquio dicturum fidem tuam oppignoraſti. Verum priuſquam de illis prophetis ſermonem inſtituamus, optarem, ut veram aſſignares cauſam, cur Judęi tot Vaticiniis, quibus prophetę, tum Majores, tum Minores, Jeſu Chriſti, veri Meſſię, adventum, ejus vitę œconomiam, Miracula, Doctrinam, Mortem, Paſſionem, Reſurrectionem &c. perſpicue pręnunciarunt, faſces ſubmittere, & confeſſas nolint prębere manus? tam adamantinę Judęorum pervicacię cauſam aperias, ſi placet.

M. Cau-

M. Cauſa, propter quam Judæi tot Prophetarum Vaticinia in Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, fuiſſe adimpleta, tam obſtinatis animis confiteri renuunt, ſuam originem habet ex anticipatis, vetuſtiſque opinionibus, quas de promiſſi ſibi Meſſiæ dotibus, & officiis alte mentibus ſuis infixerunt, quaſque evellere adeo difficile, & arduum eſt, ut, proh dolor! pauci ſint inter illos, qui ad Chriſtianam Fidem traducantur, jamque ceſſerit in vulgare proverbium: *Facilius eſſe Æthyopem dealbare, quam Judæum ab errore divellere.* In primis, ſi quis quærat a Judæis, qualem a Prophetis ſibi prænuntiatum Meſſiam exiſtiment, & qualem etiamnum præſtolentur? actutum reſpondebunt, Meſſiam fore virum bellatorem, Gentium domitorem, Levitici Sacerdotis inſtauratorem, qui etiam *Salomonis* Templum, ac Hieroſolymam a fundamentis erigat, atque univerſam Gentem Judaicam, toto orbe diſperſam, armata manu, ſtrictoque gladio vindicet, & in unum cogat; Gentes vero in ſuis Idololatriæ tenebris immerſas omnino relinquat. Hæc eſt prima opinio, quam de promiſſi Meſſiæ dotibus Judæi animo imbiberunt. Sed, quam falſa ſit hæc præjudicata opinio, quam inanes ac crudæ illæ ſpes, quibus Judæi mentes ſuas hodie alunt, aperte oſtendunt vaticinia, quæ laudavimus, Prophetarum, qui in Regno Juda, ante captivitatem Babylonicam, id eſt, in quinta Mundi Ætate, venturi Meſſiæ dotes & officia prænunciarunt. Hi quippe ſacri Vates prædixerunt, venturum Meſſiam non fore virum bellatorem, &, inſtar *Cæſaris*, & *Alexandri Magni*, copiarum, exercituſque ductorem: ſed virum humilem, modeſtum, pacificum, arma myſtica dumtaxat tractaturum, & ſacra vitiis, non hominibus bella indicturum. Secundo, prædicunt iidem Prophetæ, Meſſiam venturum vocaturum ad ſe non ~~tantum~~ Judæos, ſed etiam Gentes, & Idololatriam, tot ſæculorum diuturnitate roboratam, & toto Orbe diffuſam, deleturum; illum Legem Novam, ſeu Evangelicam, conſummata Veteri, ſeu Moſaica, conditurum, Novum Fœdus, impleto Veteri, ſanciturum, Ritus Moſaicos, inductis aliis, ablegaturum, deſtructum Templum Salomonicum, id eſt, Hieroſolymitanum, nunquam inſtauratum iri, ſed Meſſiam excitaturum novum Templum ſpirituale, hoc eſt, Eccleſiam, ex Judæis & Gentibus ex æquo conflatam, & per totum Orbem dilatatam, in qua coletur Deus in ſpiritu & veritate. Quæ Prophetarum vaticinia falſi convincunt hanc opinionem, quam de promiſſo Meſſia ſibi fingunt Judæi, & veras ſtabiliunt Notas, ad quarum normam veri Meſſiæ agnitionem exigere debemus, quæque non ſolum recta collineant in Chriſtum, Servatorem noſtrum, ſed etiam quantum ad omnes circumſtantias fuerunt accuratiſſime in ipſo adimpletæ.

Altera opinio perinde falſa, quæ de promiſſi Meſſiæ dotibus inſidet Judæorum animis, ea eſt, qua ſibi perſuadent, Meſſiam, quem venturum nunciant Prophetæ, terreno & æterno potiturum Regno, eumque non moriturum. At, hæc opinio, quam ex funeſtis, infauſtiſque præjudiciis hauſerunt Judæi, recta fronte pugnat cum Vaticiniis Prophetarum, qui Meſſiæ non adjudicant Regnum terrenum & temporale, quod exercere debeat Leges politicas condendo, hoſtes corporalibus pœnis, & vi armorum ſubigendo, ſicut de Meſſia jactare ſolent Hebræi, ſed Prophetæ tribuunt Meſſiæ Regnum ſpirituale, ac cæleſte; in eo præſertim ſitum, ut a peccati, & Diaboli ſervitute populum ſuum redimat, tenebrarum poteſtates debellet, Idololatriam exterminet, verum Dei cultum ſtabiliat, æternas fidelibus divitias conferat, animæ ſanctitatem, & corpori perennem vitam impertiatur. In hoc ſenſu Meſſias appellatur a Propheta *Iſaia* cap. 9. Princeps pacis, a *Hieremia* cap. 23. *Rex*, qui *faciet judicium & juſtitiam in terra*, & ab aliis Prophetis *Rex Pacificus & manſuetus*. Meſſiam autem moriturum concors eſt omnium Prophetarnm vox. Sepoſita quidem omni obſcuritate declarant, Meſſiam, impiorum circumventione ac malis artibus occiſum iri, mortem turpiſſimam ſubiturum, attritum iri propter ſcelera noſtra, eademque opera deſcribunt (potiſſimum Propheta *Iſaias* cap. 53.) omnes circumſtantias diræ ac probroſæ mortis, qua Meſſias in Cruce afficiendus erat. Quæ omnia ſi attentis, ut par eſſet, animis perpenderent Judæi, omni procul dubio falſa illa, quibus de promiſſo Meſſia deluduntur, præjudicia abdicarent, appenſum cæcis mentibus velum amoverent, & longe alium liberatorem Mundo a Prophetis prædictum viderent, quam ſibi ex præconceptis falſis opinionibus fingunt, atque tandem aliquando, in uno, quem agnoſcere nolunt, Jeſu Nazareno, omnia Prophetarum Vaticinia fuiſſe ad amuſſim impleta faterentur.

Denique, ideo Judæi Jeſum Chriſtum, tanquam verum Meſſiam, a Prophetis prædictum, agnoſcere nolunt, quia deploranda cæcitate, non pauca de promiſſo Meſſia Prophetarum Vaticinia, quæ in ſenſu proprio, & literali ſumi debent, ad ſenſum myſticum, & allegoricum de induſtria detorquere ſolent, alia vero Prophetarum Oracula, quæ myſticum in ſenſum intelligenda veniunt, mortiferam ſecuti literam, ad ſenſum literalem trahunt, ac præpoſtere accipiunt, ut inde obtendant ac cauſentur, Prophetarum Vaticinia necdum eſſe impleta. Hæc eſt cauſa, cur Judæi, ſaxa in corde geſtantes, in tanta Vaticiniorum, quæ de Jeſu Chriſto, vero Meſſia, fuderunt Prophetæ, claritate, quæ ſeſe omnium ingerit oculis, adhuc cæcutiant. Sed eorum cæcitas, ut obiter dicam, tantum abeſt, ut aliquod negotium Chriſtianis faceſſere debeat, ut potius peremptorium illis ſuppeditet argumentum ad probandum adverſus perfidos Judæos, Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, Prophetarum Oraculis prædictum. Hanc etenim futuram Judæorum cæcam in Jeſu Chriſto negando pertinaciam, & obſtinationem, ob quam a Deo repudiari, & reprobari meruerunt, prædixerunt ſacri Vates, *Iſaias* cap. 1. verſ.

verſ. 2. de Judæis ait: „ Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi vero ſpreverunt me: cognovit bos „ poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini „ ſui: Iſrael autem me non cognovit, & populus „ meus non intellexit. Væ Genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis „ ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemarunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. „ Et cap. 8. verſ. 14. loquens idem Propheta de adventu Meſſiæ, ait Judæis: „ Erit „ vobis in ſanctificationem: in lapidem autem „ offenſionis, & petram ſcandali duabus domibus Iſrael, & in laqueum, & in ruinam habitantibus Hieruſalem, & offendent ex eis plurimi, & conterentur, & irretientur, & capientur. „ Et cap. 6. verſ. 9. Judæorum cæcitatem luculenter idem Propheta exprimit his verbis: *Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere: videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat: & convertatur, & ſanem eum*. Propheta *Oſee* cap. 9. verſ. 17. futuram Judæorum reprobationem, & incredulitatem clare prædixit his verbis: *Abjiciet eos Deus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in Nationibus*. Propheta *Jeremias* cap. 8. verſ. 9. ſic invehitur in Judæos: *Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus, & Lex Domini nobiſcum eſt? Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum. Confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt: Verbum enim Domini projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis*. Denique, ut alia id genus pene ſexcenta Prophetarum Vaticinia prætermittam, Propheta *Ezechiel* cap. 12. verſ. 2. cæcitatem, pertinaciam, & obſtinationem Judæorum ſic deſcribit: *Fili hominis, in medio domus exaſperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident, & aures ad audiendum, & non audiunt, quia domus exaſperans eſt*. Cum igitur Prophetæ prænunciaverint, futurum ut venienti Chriſto pertinaciter repugnarent Judæi, in eum, tanquam in offenſionis petram, impingerent, & in Sacrarum Scripturarum intelligentia, velut cæci in meridie, palparent, fatendum eſt, Chriſtum Dominum eſſe illum Liberatorem a Deo miſſum, quia Judæi illum agnoſcere nolunt, ſuaque pertinacia, & cæcitate Prophetarum Oracula implent, dum impleta inficiantur. Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, Chriſtum Dominum, poſtquam ad Judæorum obſtinationem ſuperandam nihil intentatum reliquiſſet, terribilem hanc in ipſos protuliſſe Sententiam: *Relinquetur domus veſtra deſerta*, eiſque ſæpius prædixiſſe illorum reprobationem, ejectionem, diſperſionem, ruinam, & auguſtiſſimi Templi Hieroſolymitani excidium, longe antequam hæc omnia acciderent, ſicut referunt ſacri Evangeliſtæ, *Matthæus* cap. 14. verſ. 1. *Marcus* cap. 13. verſ. 1. & *Lucas* cap. 19. Quorum eventum jampridem, velint nolint, experiuntur Judæi, qui, ob incredulitatem, & diffidentiam ſuam, ubique diſperſi vagantur, duriſſimæ ſervituti mancipati. Sed mittamus obſtinatos Judæos, eiſque meliorem mentem precemur, quo, depoſita illa adamantina, quæ illos obcæcat, pervicacia, agnoſcant tandem aliquando Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, Prophetarum Oraculis prædictum. Præſtat nunc, ut ſub finem noſtri Colloquii, quidquid ſupereſt temporis inſumamus, in referendis Geſtis, Vaticiniis, & Miraculis Prophetarum *Eliæ*, & *Eliſei*, qui in quinta Mundi Ætate, in Regno Iſraelitico, id eſt, ſub Regibus Iſrael floruerunt.

D. Sub quo Rege Iſraelis claruit Propheta *Elias*?

M. Sub *Achabo*, Rege decem Tribuum Iſraelis, ultra omnes Reges in Dominum impio, & ſub *Jezabele*, ejus ſceleſtiſſima conjuge, quæ Prophetas miſſos a Deo interemit, apparuit *Elias*, dictus *Thesbithes* ex civitate Galaad oriundus, vir Propheta, potens opere, & ſermone, inter ſacros hujus ævi Vates longe clariſſimus, dignuſque, quem Deus impii hujus Regis, & Reginæ ſceleratioris, conatibus objiceret, ac eximia vitæ ſanctitate, & ſingulari miraculorum patrandi virtute præditum, toto orbe illuſtrem redderet. Hic Propheta in veri Dei cultu a puero religioſe inſtitutus, ſecretam a vulgi conſuetudine vitam agens, & in primis divino zelo fervens, adiit intrepide Regem *Achabum*, & Reginam *Jezabelem*, impietatem utriuſque, & Idololatriam vehementer redarguit, miraculis terruit, ſed ad meliorem frugem non reduxit, immo, illorum iram ita in ſe provocavit, ut, ad declinandam impendentem ſibi mortem, ſæpius coactus fuerit fugere in ſolitudinem, ubi Deus eum mirabiliter nutrivit miniſterio corvorum, ei quotidie cibum afferentium. Sed, poſtquam audiſſet Propheta *Elias*, quod *Achabus*, Rex Iſrael, inſtigante Regina *Jezabele*, fœmina poſt hominum memoriam crudeliſſima, vineam *Nabothi* per viam extorſiſſet, & injuſte Regio fiſco addixiſſet, eumque falſis adhibitis teſtibus damnatum, lapidibus obrui juſſiſſet, incunctanter, jubente Deo, acceſſit ad Regem, & Reginam, & utrique, eorumque liberis, atrocem mortem denunciavit eodem in loco, quem ſuo ſanguine *Nabothus* innocens tinxerat, Regis *Achabi* ſanguinem canibus prædam fore ubi *Nabothi* lapidati cruorem linxiſſent canes; Reginæ vero *Jezabelis* cadaver, ac filiorum ejus eodem itidem loco fruſtatim a canibus diſcerpendum atque vorandum. Cujus Vaticinii veritatem non multo poſt eventus comprobavit, & integro familiæ *Achabi*, Regis Iſrael, & Reginæ *Jezabelis*, nec non liberorum exterminio, atque ſparſo ſanguine, manibus miſeri *Nabothi*, per ſummam injuſtitiam trucidati, litatum eſt. Tandem *Elias*, propheta, poſtquam multis virtutibus claruiſſet, & ſtupenda edidiſſet prodigia, raptus eſt in curru igneo, & translatus in quemdam amœnum locum, ubi cum Patriarcha *Enocho* ſuaviſſime vivit, opperiens Mundi finem, venturus cum *Enocho* tempore perſecutionis Antichriſti, in qua ambo morientur, & conſtanter pro Fidei Chriſti Domini defenſione ſanguinem profundentes,

tes, glorioſi Martirii palmam conſequentur, ſicut docet perpetua, ſibique ſemper conſtans ſanctorum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum, ac ſubinde Eccleſiæ Catholicæ, traditio.

D. Profer in medium, quæſo, præcipua miracula, quæ *Eliam*, Prophetam, regnante impio *Achabo*, edidiſſe narrat Scriptura Sacra.

M. Miracula, quæ, regnante impio *Achabo*, patravit *Elias* Propheta, hæc præcipua in ſacris Literis recenſentur. Primum fuit, quod oratione ſua cælum concluſit, ne rorem aut pluviam terræ daret. Quo factum eſt, ut, toto triennio & ſemeſtri ſuſpenſis cælo aquis, omnibuſque locis ſolis ardoribus aduſtis, nec victum habuerunt homines, nec pabula jumenta, ſed ingens per triennium itidem & ſemeſtre graſſata ſit in Samaria fames, juxta *Eliæ* Vaticinium, quod legitur cap. 17. lib. 3. Regum. Alterum Prophetæ *Eliæ* miraculum fuit, quod pluviam & fertilitatem poſt illud temporis intervallum precibus a Deo impetraverit, ac prædixerit *Elias*, quando nullum in cælo futuræ pluviæ appareret indicium, ſicut refertur cap. 18. verſ. 41. lib. 3. Regum. Tertium miraculum fuit panis & carnium a corvis, Deo præcipiente, ſubminiſtratio ſingulis diebus, mane & veſpere, quamdiu Propheta *Elias* delituit, & ſedit ad torrentem *Carith*, ex quo potum ſumpſit, donec aruerit, ſicut memorat ſacer Auctor lib. 3. Regum capit. 17. verſ. 3. 4. 5. 6. & 7. Quartum miraculum, quod eodem in capite recenſetur, fuit farinæ & olei mirabilis multiplicatio in vaſculis Viduæ Sareptanæ, ad quam Deus Prophetam *Eliam* paſcendum miſerat, toto eo tempore quo duravit ſterilitas. Hæc eſt illa Vidua Sareptana, quam commendat Chriſtus Dominus capit. 4. verſ. 25. Evangelii *S. Lucæ*, dicens: *In veritate dico vobis, multæ Viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cælum annis tribus, & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra; & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam*. Quintum Prophetæ *Eliæ* miraculum, quod deſcribitur cap. 17. lib. 3. Regum, eſt filii ejuſdem Viduæ Sareptanæ, ad quam diverterat *Elias*, a morte ad vitam revocatio. Sextum *Eliæ* miraculum, quod c. 18. lib. 3. Regum narratur in eo præſertim ſitum eſt, quod Propheta *Elias*, juſſu Domini, venit ad *Achabum*, Regem Iſrael, exprobratoque ei ſacrilegio propoſuit ut populus Iſraeliticus in Monte Carmeli congregaretur. Accivit etiam *Elias* quadringentos, & quinquaginta Idoli *Baalis* Sacerdotes, qui oblatam ab eodem Prophetam conditionem acceperunt, ut ille Deus eſſet, qui cæſam hoſtiam ignee cælo miſſo abſumeret. Suum itaque auſpicati Sacrificium Sacerdotes *Baalis* falſum iſtud Numen invocarunt, & magna vociferatione inclamarunt, ut ignem de cælo mitteret; ſed fruſtra, ſurdoque canebant. Tum propheta *Elias*, irridens eos, ait: *Clamate voce majore. Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur*. Confuſis autem *Baalis* Sacerdotibus, *Elias* cæſum vitulum novo Altari in monte Carmeli impoſuit, & invocato Domino, cunctis adſpectantibus ignis cælo delapſus holocauſtum abſumpſit. Hoc miraculo attoniti Iſraelitæ, ſolo ſtrati, Deum verum agnoſcentes, hunc unicum ac verum eſſe Deum conclamant, moxque, jubente *Elia*, prophani Sacerdotes *Baalis* comprehenſi, deductique ad Torrentem *Ciſon*, omnes ad unum necati ſunt. Septimum *Eliæ* miraculum eſt jejunium quadraginta dierum, quod ſupra naturæ vires toleravit hic Propheta, poſtquam ſubcinericio pane ab Angelo allato recreatus fuiſſet, cum crudelem *Jezabelem*, quæ eum ad mortem quærebat, fugiens, terroreque correptus, in Deſerto obdormiviſſet in umbra juniperi; cujus in cibi fortitudine grandem viam confecit, ambulans quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad Montem Dei Horeb, ſicut legitur capit. 19. lib. 3. Regum. Hoc miraculo *Elias* effugit perſecutionem truculentæ Reginæ *Jezabelis*, quæ tanto æſtu in Prophetas ſæviebat, ut illos omnes de medio ſubſtuliſſet, niſi vir quidam in Aula Regis *Achabi*, quamvis corruptiſſima, extitiſſet, nomine *Abdias*, Religione ac Dei timore inſignis, qui centum Prophetas, de vita periclitantes, furori impiæ *Jezabelis* ſubduxit, & in ſpeluncis abſconditos pavit, ſicut teſtatur ſacer Auctor lib. 3. Regum cap. 18. Octavum *Eliæ* miraculum fuit apparitio Dei, qui hunc Prophetam, e ſpelunca egreſſum, & in monte ſtantem, allocutus eſt, eique ſignificavit, ſibi ſervaſſe *ſeptem millia virorum in Iſraele, quorum genua non ſunt curvata ante Baal* (cap. 19. verſ. 18. lib. 3. Regum) Quod mirum accidit Prophetæ *Eliæ*, qui ſe ſolum a ſacrilegio immunem eſſe crediderat. Hæc ſunt præcipua miracula, quæ a Propheta *Elia* fuiſſe patrata narrat Scriptura Sacra.

D. Circa raptum Prophetæ *Eliæ* occurrunt duæ difficultates, quas mihi breviter ſolvas velim. Prima eſt, an *Elias*, qui etiamnum vivit, ſit ſimul viator, & comprehenſor? id eſt, utrum ſit beatus, & clara Dei viſione donetur? Altera difficultas eſt, quomodo, & per quem *Elias* poſt raptum ſuum miſerit illas litteras, quas ſcripſit ad *Joramum*, Regem Juda, & quibus ei gravem morbum, mortem, cladem que toti Regno denunciat, ut conſtat ex lib. 2. Paralip. cap. 25. v. 12. ubi expreſſe dicitur: *Allatæ ſunt ei* (id eſt *Joramo*, Regi Juda) *literæ ab Elia Propheta*.

M. Cum ex pervulgata Theologorum ſententia ſolus Chriſtus Dominus fuerit ſimul viator, & comprehenſor, exiſtimo, Prophetam *Eliam*, qui etiamnum vivit, non eſſe viatorem ſimul & comprehenſorem, id eſt, illum necdum eſſe beatum, & clara atque intuitiva Dei viſione donatum. Eccleſia quidem celebrat Feſtum *Eliæ* Prophetæ die xx. menſis Julii, ſicut patet ex Martyrologio Romano, Græci etiam Templa *Eliæ* erexerunt, inde tamen non evincitur, *Eliam* nunc frui Beatifica Dei viſione, tum quia Eccleſia non celebrat Feſtum *Eliæ*, ut beati, ſed ut rapti; ita ut ſllatà

illa die, huic Prophetæ ſacra, recolat dumtaxat Eccleſia memoriam *Eliæ* raptus, utpote mirabilis, ſicut ait *Cornelius a Lapide*. Tum quia etiam Græci eodem ducti motivo Templa Prophetæ *Eliæ* erexerunt, quo ei feſtum diem conſecrarunt, ſicut igitur Feſtum ei inſtituerunt Græci, ut memoriam tantum mirabilis illius raptus recolerent, ita & illi erexerunt Templa, aut potius non illi, ſed Deo, quia, ut alibi, poſt *Sanctum Auguſtinum*, me obſervaſſe memini, Templa non Sanctis, ſed ſoli Deo, in honorem Sanctorum eriguntur. Quo fit, ut hæc Templa non *Eliæ*, ſed Deo ſint erecta in honorem raptus *Eliæ*, qui nunc in loco amæno, nobis plane ignoto, cæleſtem vitam agit, quique licet nondum ſit beatus, id eſt, beatifica Dei viſione non adhuc potiatur, ea tamen certiſſime fruetur, poſtquam in fine Mundi, graſſante atrociſſima Antichriſti perſecutione, Martyrii laurea fuerit coronatus. Et hæc primæ propoſitæ difficultati dilucidandæ ſufficiant. Altera, quam propoſuiſti, difficultas, paulo intricatior eſt, & in ea diluenda doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes variant linguis, & ſententiis. *Cajetanus* cenſet, hunc *Eliam*, qui ſcripſit literas ad *Joramum*, Regem Juda, diverſum eſſe ab *Elia* Propheta, dicto *Thesbite*, ſed hæc non placet ſententia. *Vatablus*, Regius Linguæ Hebraicæ Profeſſor, autumat, per *Eliam* deſignari *Eliſeum*, eo quod *Eliſeus* ſpiritum haberet *Eliæ*; ſed hæc opinio nihilo præcedenti plauſibilior eſt. Alii haud improbabiliter putant, *Eliam* ſuum ante raptum, has ad *Joramum*, Regem Juda, ſcripſiſſe literas, eaſque dediſſe *Eliſeo*, vel alteri, ut eas, poſt ipſius raptum, redderet Regi *Joram*. Alii denique, quorum ſententiæ lubens ipſe ſubſcribo, dicunt Prophetam *Eliam* e loco, ubi, poſt ſuum raptum, una cum Patriarcha *Enocho* degit, eas ad *Joramum*, Regem miſiſſe literas, vel per Angelum forma humana indutum, vel per diſcipulum ſuum *Eliſeum*, vel per fidelem alium virum, adduntque, quod ſicut *Elias* in transfiguratione Chriſti Domini apparuit, ita potuit, poſt ſuum raptum apparere *Eliſeo*, vel alicui alteri, cui ejuſmodi literas, a ſe ſcriptas, & ad *Joramum*, Regem Juda, directas, eidemque Regi tradendas, crediderit.

D. Acta & præcipua Prophetæ *Eliæ* miracula jam memoria teneo. Veniamus nunc ad *Eliſeum* Prophetam, *Eliæ* diſcipulum, qui in quinta pariter Mundi Ætate, & in Regno Iſraelitico, id eſt, ſub Regibus Iſraelis, dono Prophetiæ claruit, multiſque ſignis potens extitit, cujus res præclare geſtas audire mihi volupe erit.

M. Sub exordium Regni *Jorami*, Regis Iſrael, curru igneo vectus *Elias*, & in Cælum ſublatus, *Eliſeum*, diſcipulum ſuum, duplicis ſpiritus ſui, Prophetiæ videlicet ac miraculorum, necnon pallii reliquit hæredem, ſicut legitur c. 2. lib. 4. Regum. Sub eodem *Joramo*, Rege Iſraelis, Prophetiis, & miraculis claruit *Eliſeus*, illumque Regem ſuis precibus multum juvit, atque e præſentiſſimo diſcrimine eripuit. At enim, cum Rex *Joramus* Moabitas, violati fœderis reos, bello eſſet aggreſſurus, & in ſocietatem militiæ *Joſaphatum*, Regem Juda, & Idumæorum Regem adſciviſſet, contigit ut fœderatorum Exercitus præ aquarum penuria in deſerto Idumææ pene deficerent. Periculum advertens Propheta *Eliſeus*, opportunam aquam a Deo impetravit, & victoriam prædixit. Moabitarum Rex, Exercitu ſuo fuſo ac profligato, civitatibus dirutis, vaſtatis agris, fructiferis arboribus ſucciſis, fontibus obturatis, ipſa Regni Metropoli obſeſſa, & pene expugnata, cum irrito conatu impetum in hoſtes feciſſet, tandem per ſummam barbariem ad placandos Deos ſuos, filium ſuum primogenitum, hoſtili aſpectante exercitu, in mænibus mactavit, obtulitque holocauſtum. Qua atrocitate perculſi Iſraelitæ, tamque impium facinus execrati, ſoluta obſidione, diſceſſerunt, ſicut legitur cap. 3. lib. 4. Regum. Plurima ab *Eliſeo* edita miracula deſcribuntur in eodem quarto libro Regum, quæ ſi in præſentia ſingillatim referenda ſuſciperem, vereor, ne tibi tædio, & oneri eſſem, & longius, quam vellem, noſtrum protraheretur Colloquium. Hæc itaque inſignia Prophetæ *Eliſei* miracula in eo, quem mox laudavi libro quarto Regum, lectitare, tuamque ſitim ad ſatietatem uſque extinguere poteris.

D. Cum necdum effluxerit hora, quam Colloquiis noſtris præfigere ſolemus, te etiam atque etiam obſecro, & obteſtor, ut non te pigeat indigitare ſaltem præcipua, quæ *Eliſeus* edidit, miracula, & eadem opera breviter indicare loca libri quarti Regum, in quibus ejuſdem Prophetæ narrantur prodigia, quo facilius ad fontem, unde plenius bibam, recurrere poſſim.

M. Votis tuis ut faciam ſatis, præcipua *Eliſei* miracula compendioſa narratione hic perſtringam, & loca libri quarti Regum, ubi accurate referuntur, quaſi digito monſtrabo, ut ea, ſi tibi per otium liceat, conſulere valeas. Primum miraculum, quod, poſt raptum *Eliæ* patravit *Eliſeus*, illud eſt, quo hic Propheta aquas Jordanis pallio *Eliæ* diviſit, ſiccisque veſtigiis Jordanem tranſivit. Alterum *Eliſeus* edidit miraculum, dum Jericunthinis aquis ſalubritatem, terræ fertilitatem, ſale in fontem injecto, conciliavit. Hæc duo Prophetæ *Eliſei* miracula memorat Scriptura Sacra cap. 2. lib. 4. Regum, ibidemque fit mentio de tertio *Eliſei* miraculo, quo pueri Bethelitæ illudentes *Eliſeo*, calvitiemque ipſi objicientes; *Aſcende*, *calve*, *aſcende*, *calve*, confeſtim a duobus urſis, ex proximo erumpentibus memore, diſcerpti ſunt. Quartum *Eliſei* miraculum eſt illud, quod jam inſinuavi, quodque cap. 3. l. 4. Regum narratur, nimirum aquæ fœderatis Exercitibus, & Regibus Judæ, Iſraelis, & Idumæorum, in Deſerto Idumææ, cum adverſus Moabitas progrederentur, impetratio. Quintum *Eliſei* miraculum, eſt olei in Vaſis Viduæ pauperculæ, & ære alieno oppreſſæ, multiplicatio, ut, oleo vendito, contracta debita ſolvere, & liberos alere poſſet. (cap. 4. lib. 4. Regum.)

Sex-

Sextum *Eliſei* miraculum, quod eodem in cap. 4. lib. 4. Regum legitur, eſt filii Sunamitidis, hoſpitæ ſuæ, quem ipſius Prophetæ *Eliſei* precibus impetraverat, e morte ad vitam reditus. Quæ miraculoſa reſurrectio adumbrat vocationem Gentium ad Eccleſiam Chriſti: *Filius mulieris illius, dum Eliſeus abſens eſſet, mortuus eſt: ſic & filius Eccleſiæ, hoc eſt, populus Gentium, antequam Chriſtus veniret, peccatis mortuus erat. Deſcendente de monte Eliſeo, filius Viduæ huic vitæ redditur: Deſcendente de Cælo Chriſto, filius Eccleſiæ, id eſt, populus Gentium, ſuſcitatur*, inquit *S. Cæſarius*, Arelatenſis Epiſcopus, Sermone, qui olim inter Sermones Auguſtinianos erat CCVI. *De tempore*, & nunc in noviſſima, & caſtigatiſſima Operum *Sancti Auguſtini* Editione, quam Pariſiis adornarunt doctiſſimi Patres Benedictini Congregationis *Sancti Mauri*, extat in Appendice, & eſt ordine quadrageſimus ſecundus. Septimum *Eliſei* miraculum, eſt expulſio veneni, & amaritudinis a pulmento per modicæ farinæ injectionem (lib. 4. Regum cap. 4.). Octavum miraculum, eſt ingentis hominum multitudinis ex paucis panibus ordeaceis exſaturatio, (lib. 4. Regum cap. 4.). Nonum *Eliſei* miraculum, quod capite quinto lib. 4. Regum narratur, eſt *Naamanis* a lepra curatio. Erat autem ille *Naaman* Princeps Militiæ Syriæ, vir magnus, fortis, & dives, qui per *Eliſeum*, Prophetam, cum fuiſſet a lepra ſanatus, ita ex hoc ſuæ curationis miraculo ad Deum verum converſus eſt, & a cultu Idolorum deſcivit, ut *Eliſeo* promiſerit, ſe nullum poſthac facturum holocauſtum, aut victimas Diis alienis oblaturum, ſed ſoli Deo vero, & hoc unum dumtaxat ab hoc Propheta petierit, ut Regem Syriæ, Dominum ſuum, in Templo *Remmon* adorantem, ipſe pro more ſuſtentare, eoque adorante, corpus itidem inclinare ſibi liceret; quod Propheta *Eliſeus* conceſſit, dicens: *Vade in pace:* Larga munera *Eliſeo* obtulit *Naaman*, Syrus, quæ ille Propheta conſtanti animo recuſavit, & famulo ſuo *Gieſi*, qui ab eodem *Naaman* munus acceperat, atque mendacio extorſerat, lepram, in nepotes etiam transfundendam, inflixit, indeque *Gieſi* Simoniacorum typum, & lepram, ei adhærentem, ſimoniæ labis figuram eſſe, docent Scripturæ Sacræ Interpretes. Decimum *Eliſei* miraculum, quod eodem in capite quinto lib. 4. Regum percenſetur, eſt ſecuris in Jordanem delapſæ, injecto poſt eam ligno, ad aſcendendum ex aqua, & ſupernatandum impulſio. Quo in miraculo adumbrata fuiſſe Chriſti Domini, & ſalvificæ ejus Crucis Myſteria obſervant *Tertullianus* cap. 13. libri adverſus Judæos, *Sanctus Auguſtinus* lib. 12. contra *Fauſtum*, Hæreticum Manichæum, & *Theodoretus* quæſt. 19. in librum quartum Regum. Undecimum *Eliſei* miraculum, eſt omnium Regis Syriæ Conſiliorum *Joramo*, Regi Iſraelis, facta ab illo Propheta revelatio (lib. 4. Regum cap. 6.). Duodecimum *Eliſei* miraculum, quod eodem in capite ſexto lib. 4. Regum memoratur, eſt Militum Regis Syriæ, qui ad Prophetam capiendum miſſi erant, excæcatio, ſimul & illuminatio, cum in Samariam ducti eſſent, eorumque vitæ conſervatio, cum ab Iſraelitarum copiis circumcluſi, facile omnes internecione deleri potuiſſent. Decimum tertium miraculum, eſt prædictio abundantiæ frumenti in Samaria, die craſtino futuræ, cum ad ſummam rerum inopiam redacta eſſet, ſicut legitur lib. 4. Regum capite ſexto. Decimum quartum *Eliſei* miraculum, eſt liberatio urbis Samariæ, a validiſſimo Syriorum Exercitu obſeſſæ, & in extremis poſitæ anguſtiis, (lib. 4. Regum cap. 7.). Decimum quintum miraculum, eſt ſeptennis fames, quam in Terra Iſraelis futuram prædixit *Eliſeus*, (lib. 4. Regum cap. 8.). Ultimum *Eliſei* miraculum, eſt prædictio ab eo facta de ſanitate ſimul, & morte *Benadab*, Regis Syriæ, de cujus infirmitate ab *Hazaele*, illius Regis Miniſtro, fuerat conſultus, (lib. 4. Regum cap. 8.).

Habes nunc, quaſi in compendio, Hiſtoriam, ſeu præcipua geſta Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam, tam in Regno Judæ, quam in Regno Iſraelis, futura prædixerunt, quique vitæ ſanctimonia, certiſſimo vaticiniorum eventu, & multorum evidentia miraculorum aperte probarunt, ſe revera a Deo miſſos eſſe, ſibique populorum fidem conciliarunt. At nunc, ut obiter dicam, vide, ſi placet, quantum cæcutiant Hæretici noſtris temporis, a quibus, ſi petas, undenam *Lutherus*, *Calvinus*, aliique Hæreſiarchæ ſuam Miſſionem acceperint, cum certum ſit, eos non ab Eccleſia Romana, a qua, facto ſchiſmate, ſeſe ſepararunt, illam accepiſſe? confeſtim reſpondebunt, *Lutherum*, *Calvinum*, alioſque ejuſdem furfuris ſuos Anteſignanos fuiſſe a Deo extraordinarie miſſos, non ſecus ac in Veteri Lege Prophetæ ad reparandum divinum cultum, ad corrigendos pravos mores, & tollendos ſerpentes abuſus, extraordinariam a Deo Miſſionem acceperunt. Sed quantum hac in re fallantur, & cæcutiant Hæretici, tribus momentis breviter oſtendo. Primo, Prophetæ Veteris Legis ſe a Deo miſſos eſſe, probitate morum, ac vitæ innocentia comprobarunt; *Lutherus* autem, *Calvinus*, cæterique variarum Sectarum conditores, ventri, gulæ, & libidini dediti fuerunt, neceſſitatem bonorum operum, Sacramenti Pœnitentiæ, & Eccleſiæ diſciplinæ rigorem ſuſtulerunt, ſolemnia Religionis Vota, Deo nuncupata, diſſolverunt, Monachis, & Sacerdotibus connubia indulſerunt, novam, & antiquis Eccleſiæ ritibus contrariam Sacerdotum originem inſtituerunt, Templa ſuccenderunt, altaria ſuffoderunt, & excuſſo Romani Pontificis, & Epiſcoporum, obedientiæ jugo, ſectarios ſuos, Religionis, Sacræ Scripturæ, doctrinæ, ac fidei ſuæ judices, & arbitros conſtituerunt, eoſque ad arma, ad bella, ad ſus deque omnia in toto Orbe Chriſtiano miſcenda concitarunt. Hic fuit egregius, ſi Superis placet, extraordinariæ illorum Hæreſiarcharum Miſſionis character. Secundo, Prophetæ, Vete-

Veteris Teſtamenti certiſſimo Vaticiniorum, quæ ſuderunt, eventu, omniumque oculis nunc perſpicuo, fidem omnium Gentium ſibi optimo jure conciliarunt, ſuamque extraordinariam Miſſionem extra omnem dubitationis aleam poſuerunt. At, quæ unquam, *Lutherus*, *Calvinus*, & alii nefarii Hæreſiarchæ Vaticinia ad probandam Miſſionem ſuam extraordinariam protulerunt? nulla profecto. Quamvis, etiamſi aliquas edidiſſent prædictiones, quarum veritatem fortuitus eventus (ut fieri aliquando aſſolet) comprobaſſet; nihilo ſecius rejici, ac diris devoveri deberent tanquam Pſeudo-Prophetæ, quia, juxta Regulam, quam in exordio hujuſce noſtri Colloquii, ad diſcernendum verum Prophetam a falſo, conſtituimus, illi, qui in Lege Evangelica aliquas prædictiones in vulgus ſpargunt, quæ Legi Evangelicæ, & avitæ doctrinæ, quam Eccleſia Catholica a Chriſto Domino, ab Apoſtolis, & ſanctis Patribus, perpetua, ſibique ſemper conſtanti traditione accepit, & ad hæc uſque tempora intemeratam jugiter conſervavit, oppoſitæ ſunt, tamquam falſi Prophetæ, & meri impoſtores, ad decipiendos populos comparati, repudiari ac profligari debent. Hinc Eccleſia Catholica, cui ex officio incumbit ſuum de motibus extraordinariis Spiritus Sancti ferre judicium, & definire, an prædicti motus ſint ex Deo, ſeu Spiritu Sancto, vel ex maligno Spiritu, ſeu ex Diabolo, qui ſolet ſe in Angelum lucis transfigurare, damnavit olim Hæreſiarcham *Montanum*, & alios, qui, ut incautis ac ſimplicibus facilius imponerent, ſeſe Prophetas Spiritu Sancto afflatos temere jactitabant, falſiſque Vaticiniis populum deludebant. Damnavit etiam non multis ab hinc annis eadem Eccleſia Catholica quoſdam fanaticos Hæreticos, qui multum manſuetudinis, & externæ, ſed fucatæ, pietatis præ ſe ferentes, orationis, & magis excoctæ vitæ aſceticæ perfectionis ſtudium plenis buccis crepantes, & incredibili fiducia dona Sancti Spiritus ſibi arrogantes, bene multos vana ſpe majoris in vita ſpirituali conſequendæ perfectionis lactarunt, in fœdiſſimas prolapſiones præcipitarunt, & ſecum in æternam damnationem pertraxerunt. Denique miracula, quæ patrarunt Prophetæ Veteris Legis, evidens eorum extraordinariæ Miſſioni teſtimonium perhibuerunt. Sed *Lutherus*, *Calvinus*, aliique novarum Sectarum Coryphæi tantum abeſt, ut ſuam prætenſam extraordinariam Miſſionem aliquo vero miraculo approbarint, ut nequidem claudum equum ſanare uſquam potuerint: ſed hæc obiter annotaſſe ſufficiat adverſus noſtri temporis Hæreticos, qui *Lutherum*, *Calvinum*, alioſque falſos Duces, & Pſeudo-Prophetas ſecuti, a recta via aberrarunt, & nunquam in doctrina ſibi conſtantes, ſæpius variant linguis, & ſententiis, carentque omnino Sacrificio, & Sacerdotio Novæ Legis, ſine quibus vera Religio ſtare minime poteſt. Qua de re plura legeſis apud illuſtriſſimum *Benignum Boſſuet*, Epiſcopum Meldenſem, in aureo, quod gallice edidit, Opere, inſcripto, *De Variationibus Hæreticorum*; & apud Doctiſſimum noſtrum *Michaelem le Quien*, in egregio Opere, quod gallice itidem nuperrime lucubravit *contra Ordinationes Hæreticorum Epiſcoporum, & Presbyterorum Anglorum*, ubi invictis momentis probat, nullas & invalidas prorſus eſſe Ordinationes, cum Epiſcoporum, tum Presbyterorum Anglorum, ac ſubinde apud illos Hæreticos non extare amplius verum novæ Legis Sacrificium, & Sacerdotium, quibus tamen vera Chriſti Religio neceſſario conſtare debet.

D. Mittamus *Lutherum*, *Calvinum*, alioſque virulentos Hæreſiarchas, quos deceptores, & falſos Prophetas fuiſſe nunquam dubitavi, & quorum mores graphice depingit Chriſtus Dominus cap. 7. *Matthæi*, dicens: *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos*; mittamus itaque iſtos Pſeudo-Prophetas, & expone, quæſo, uberius quod, mox recenſendo nonum *Eliſei* miraculum, obiter inſinuaſti, dicens, Prophetam *Eliſeum* permiſiſſe *Naamani*, a lepra ſanato, & ab Idolorum cultu ad verum Deum converſo, ut comitaretur Regem ſuum, dum Idolum *Remmon* iret adoraturus, eique adoranti manum daret, cui inniteretur. Id profecto, ut candide fatear, necdum capio. Nam, cum nemini quocumque prætextu liceat Idoli cultum externo ritu ſimulare, credibile non videtur, Prophetam *Eliſeum* permiſiſſe *Naamani*, qui Deum Iſraelis aperte profitebatur, ut eſſet miniſter, cooperator, aut particeps Idololatriæ Regis, eum videlicet ſuſtentando, & ſimul cum ipſo coram Idolo in Templo Remmon procumbente, ſive corpus incurvante, aut genua flectente, pariter procumbendo, ſe incurvando, aut genua flectendo. Hanc ſacrilegam, & abominabilem in Dei cultu ſimulationem *Naamani* permiſiſſe *Eliſeum* nulla ratione ſit mihi veroſimile.

M. Cum Deus non ſolum in ſpiritu & veritate ſit adorandus, ſed etiam externo cultu proſequendus, eique ſoli divini honores, nempe adoratio, ſacrificium &c. ſint exhibendi, ſuſpicari minime debes, *Naamanem*, Syrum, voluiſſe in Templo Remmon cultum Idoli externo ritu ſimulare, idque a Propheta *Eliſeo* fuiſſe ei conceſſum. Hanc certe ſiniſtram ſuſpicionem a *Naamane*, Syro, longe amolitur Scriptura Sacra, quæ capite 5. lib. 4. Regum ait, *Naamanem*, poſtquam a lepra fuiſſet a Propheta *Eliſeo* ſanatus, firmum habuiſſe propoſitum colendi unum dumtaxat verum Deum Iſraelis, & eam ob rem ex ſingulari pietatis affectu ab *Eliſeo* poſtulaſſe, ut ſibi liceret onus duorum mulorum de Terra Judææ, quaſi ſanctificata, in Syriam ſecum deferre, ut ſuper eam Altare vero Deo erigeret: *Obſecro te*, inquit, *Naaman* Syrus, *Eliſeo*, Prophetæ, *concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra; non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam Diis alienis, niſi Domino*. Quæ Scripturæ verba expendens *Theodoretus* quæſtione 19. in 4. lib. Regum, hæc habet: *Vir ille admirabilis*, ſeu *Naaman*, Syrus, *credens vel ipſam Terram Iſraelis eſſe ſanctificatam, rogavit ut duo onera mulorum ex ea acciperet, ut ſuper eam Domino Deo ſoli offerret, Lege conſtitu-*

ta,

*ta*, *Sacrificia*. Non rogavit igitur *Naaman* Prophetam *Eliſeum*, ut Idoli cultum ſimulare ſibi liceret, quod execrandum ſcelus eſſe probe noverat, ſed id unum petiit ab hoc Propheta, ut videlicet permitteret ei poteſtatem ſuo fungendi munere, ſeu Miniſterio in Aula Regis Syriæ, eumque coram Idolo procumbentem in Templo Remmon ſuſtentandi, ſicut eum alibi, ex officii ſui neceſſitate, ſuſtentare ſolebat. Quod ei conceſſit Propheta *Eliſeus*, quia inde nullum vel Idololatriæ, vel ſcandali periculum emergere poterat. Nam primo *Naamanem* non cultus Idoli conjungebat Regi ſacrificanti, & adoranti in Templo Remmon, ſed officium dumtaxat Regi exhibendum, quod nullam ex ſe relationem ad ſuperſtitioſos Ethniciſmi ritus habebat, quodque ſubinde *Naamanem* reddebat quidem ſpectatorem impiarum cæremoniarnm, ſed non miniſtrum, non cooperatorem, aut participem Idololatriæ, ſicut *Tertullianus* libro *de Idololatria* capit. 16. & 17. egregie explicat his verbis: *Plane ad Sacerdotium & Sacrificium vocatus, non ibo, proprium enim Idoli officium eſt, ſed neque conſilio, neque ſumptu, aliave opera in ejuſmodi fungar. Si propter Sacrificium vocatus adſiſtam, ero particeps Idololatriæ, ſi me alia cauſa conjungit ſacrificanti, ero tantum ſpectator Sacrificii &c.* Præterea, actio illa, qua *Naaman* ſuſtentabat Regem Syriæ, coram Idolo in Templo Remmon procumbentem, non erat religioſa, ſed mere civilis, & politica, quia non Religionis intuitu, ſed civilis obſequii gratia ſeſe Regi, coram Idolo genuflectenti, exterius accommodabat, nec ullo pacto ad Regis intentionem, Religionem, & Idololatriam attendebat, aut animum applicabat. Poſtremo, hæc *Naamani* actio nemini ſcandalum creare poterat, quia omnibus compertum atque exploratum erat, *Naaman* ſuo ex officio teneri Regem ubique comitari, ipſumque vel manu, vel humeris ſuſtinere, ſatiſque noverant, *Naamanem*, dum Regem, coram Idolo ſe in Templo Remmon incurvantem, ſuſtentabat, nihil aliud hac actione intendere, quam ſuo civili, ac politico erga Regem fungi officio. Jam enim *Naaman* publice Idolorum cultum abdicaverat, & verum Iſraelis Deum colebat, cui altare erexerat, & ſacellum, in quo eum cum tota ſua familia adorabat. Ex his, quæ hactenus de *Naamane*, Syro, diximus, facili negotio intelligi poteſt, quam perperam eo *Naamanis* exemplo abuterentur nonnulli, ad probandum licitum eſſe Chriſtianis intereſſe Sacrificiis Sinarum, eorumque ritus obſervare ac cæremonias, quas tamen ceu ſuperſtitioſas, & Idololatricas declaravit ac proſcripſit ſancta Mater Eccleſia.

De *Elia*, ejuſque diſcipulo *Eliſeo*, qui ante captivitatem Babylonicam in Regno Iſraelis munus Prophetarum obierunt, non plura ſcire aveo, ſed, antequam huicce noſtro finem imponamus Colloquio, hoc unum de Prophetis in genere ſcire vellem, an verum ſit id quod paucis abhinc diebus audivi in cœtu virorum eruditorum, videlicet Prophetas non tantum verbis, ſed etiam factis, res futuras prædixiſſe? Oſtende, quæſo, quo in ſenſu id intelligendum veniat.

M. Si ſemel eas, quas nunc habemus, legas ſacrorum Vatum Prophetias, facile percipies, illos non tantum verbis, verum etiam factis, interdum ænigmatibus, ſignis, figuris, & ſimbolis res futuras, quas, jubente Domino, debebant annunciare populo, prædixiſſe, ſicut ex his conſtabit exemplis, quæ ad illuſtrandum illum ſingularem, & ſolis Prophetis eximium vaticinandi modum, in præſentia adducam, tuiſque oculis ſubjiciam. In primis, Propheta *Iſaias* nudus & diſcalceatus inceſſit, & hoc celebri ac inſolenti facto futuram Ægypti & Æthyopiæ ſpoliationem & nuditatem prædixit, juſſu Dei capit. 20. verſ. 2. & 3. ei dicentis: *Vade & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis, & fecit ſic vadens nudus & diſcalceatus. Et dixit Dominus: ſicut ambulavit ſervus meus Iſaias nudus, & diſcalceatus, trium annorum, & portentum erit ſuper Ægyptum, & ſuper Æthyopiam*. Præterea, Propheta *Jeremias* alio non minus ſingulari facto Babylonicam captivitatem prædixit. Vincula enim & compedes collo geſtavit, ſive catenis onuſtus inceſſit, juſſus a Deo, ei capit. 27. verſ. 2. dicente: *Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas in collo tuo*. Tertio, Propheta *Ezechiel*, juſſu Dei capit. 3. verſ. 24. incluſus eſt in medio domus ſuæ, & factus mutus, ſiluit ad tempus. Et cap. 4. verſ. 1. & 3. deſcribit in latere Hieroſolymorum urbem, & circa eam aggeres, & caſtra Chaldæorum, eam obſidentium. Et verſ. quarto, cubavit ſupra latus ſiniſtrum trecentis nonaginta diebus pro totidem annis iniquitatis Iſrael, & quadraginta diebus ſupra latus dextrum pro totidem annis iniquitatis Juda. Et verſ. 12. ejuſdem capitis juſſus eſt coquere panem ſuum ſtercore hominum, ſed obſecrans impetravit, ut pro ſtercore hominum ſubſtitueret ſtercus boum. Quibus inſolitis factis, ſibique divinitus imperatis, *Ezechiel* inſtantem Hieroſolymorum urbis obſidionem prædixit, & famem, ſordes, anguſtias, aliaſque id genus ſummas miſerias, quas Judæi a Chaldæis, Hieroſolymorum urbem obſeſſuris, ſuamque in poſſeſſionem redacturis, propediem paſſuri erant. Quarto, Propheta *Oſee* juſſu Dei uxorem fornicariam duxit, ut hoc portentoſo & ſenſibili ſigno oſtenderet, Synagogam Judæorum, quam Deus, tanquam ſponſam ſuam, in adulterio, ſeu in idololatria, deprehenderat, fuiſſe ab ipſo rejectam atque repudiatam. Denique, Propheta *Abias Silonites* ſingulari facto, ſeu ſciſſione pallii ſui, ſicut narratur capit. 11. verſ. 30. & 31. libr. 3. Regum, prædixit diviſionem decem Tribuum Iſraelis, quarum Rex conſtitutus eſt Jeroboamus: *Apprehendenſque Abias pallium ſuum novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus*. Ex his ergo, quæ adduxi, exemplis liquido conſtat, Prophetas non tantum verbis, ſed etiam factis,

jubente Domino, res futuras prædixiſſe. Adhibent etiam nonnunquam ſacri Vates in ſuis Prophetiis Ænigmata, ſicut, aliis omiſſis, videre eſt apud Prophetam *Ezechielem*, capit. primo, ubi per quatuor animalia, currum Cherubinorum (quæ omnia non vere, ſed ænigmatice & ſymbolice tantum per ideas & figuras imaginarias objecta ſunt imaginationi, aut oculis Prophetæ) depingit ſacer ille Vates Dei potentiam, magnificentiam, impetum, ac vindictam in Judæos, alioſque hoſtes, in quos, ut corrigantur, animadvertit, eoſque, in malo obduratos, & reſipiſcere nolentes, cædit, proterit, atque penitus exterminat. Figuris tandem, tropis, & metaphoris ſæpius in ſuis Prophetiis utuntur ſacri Vates. Unicum dumtaxat exemplum, brevitatis cauſa, adducam, petitum ex *Iſaia* Propheta, qui capit. 11. verſ. ſexto, prædicens pacem, quæ futura erat adoriente Meſſia, hæc habet: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & parvulus minabit eos*. Quibus metaphoris, tropis, & figuris prædicit Propheta *Iſaias*, futurum ut Gentes, quæ feritate & barbarie, ante adventum Meſſiæ, beſtiis ſimiles erant, adveniente Meſſia, feritate depoſita, manſueſcant, & cum hædis & agnis, ſeu cum manſuetis Chriſti, veri Meſſiæ, Diſcipulis, in unam Eccleſiam ſub uno & eodem Paſtore ſanctiſſime conſpirent, atque pacifice vivant. Sed tempus eſt, ut vaſa colligamus & Colloquio noſtro, atque Hiſtoriæ in quintam Mundi Ætatem finem imponamus, die proximo lunæ Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis, quæ a captivitate Babylonica ſumit exordium, & producitur uſque ad Natale Chriſti, Servatoris noſtri, auxiliante Deo, auſpicaturi. Interim, auctor tibi ſum, ut libros utriuſque Teſtamenti diligenter evolvas, & attente conſideres mirabilem illum conſenſum totius œconomiæ vitæ Chriſti, quam noſtra cauſa peregit, factus homo. Sic enim futurum eſt, ut non ſolum rectius intelligas quod lecturus es, verum etiam ut uberiori fructu, & majori cum fide ſis lecturus, cum videris omnia in utroque Teſtamento ſibi perfectiſſime conſtare. Ex Veteris inſtrumenti Voluminibus confer typos & Prophetarum Oracula, quorum iſti Chriſtum delineant atque adumbrant, hæc eumdem adventantem velut oculis fidei demonſtrant, & invenies, nihil a Chriſto, vero Meſſia, geſtum eſſe, quod non depinxerint Vates illi divini, nihil eſſe in Chriſti doctrina, cui non reſpondeat aliquis Veteris Teſtamenti locus, quemadmodum eleganter docet *Tertullianus* in libro adverſus *Marcionem* quarto. Hinc *Lactantius Firmianus* lib. 4. *Inſtitutionum Divinarum* cap. 5. de Prophetis loquens, hæc habet, quæ ad legendos Prophetarum libros te maxime excitare debent: *Ante omnia* (inquit Cicero ille Chriſtianus) *qui veritatem ſtudet comprehendere, non modo intelligendis Prophetarum vocibus animum debet intendere, ſed etiam tempora, per quæ quiſque illorum fuerit, diligentiſſime inquirere, ut ſciat & quæ futura prædixerit, & poſt quot annos prædicta completa ſint. Nec difficultas in his colligendis ineſt ulla. Teſtati ſunt enim, ſub quo quiſque Rege Divini Spiritus fuerit paſſus inſtinctum ..... Adeo antiquiores etiam Græcis Scriptoribus Prophetæ reperiuntur. Quæ omnia profero, ut errorem ſuum ſentiant, qui Scripturam Sacram coarguere nituntur tanquam novam, & recens fictam, ignorantes ex quo fonte ſancta Religionis origo manaverit. Quod ſi quis collectis perſpectiſque temporibus fundamentum doctrinæ ſalubriter jecerit, & veritatem penitus comprehendet, & errorem, cognita veritate, deponet*. Ex hac frequenti Prophetarum, & utriuſque Teſtamenti Sacrorum Librorum lectione ſalutaria hauries documenta ad inſtitutionem ſimplicium, ad correctionem improborum; invicta ſumes argumenta ad redarguendos Judæos, qui etiamnum Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, Prophetarum oraculis prædictum, obſtinatis animis inficiantur: Verbo dicam, invenies in ſacris literis ubi veſtigium certo facias, ubi tuto figas pedem, ubi citra faſtidium acquieſcas, ubi, Sacram perluſtrando Hiſtoriam, poſſis ſitim tuam ad ſatietatem uſque explere, & animum tuum caſtis ac cæleſtibus oblectare deliciis.

D. Sapientiſſimis monitis tuis lubentiſſime parebo, nec deinceps quoſdam juvenes imitabor, qui vel ludicra Poetarum figmenta amplectuntur, & Sacras Literas faſtidiunt, vel fabulas & hiſtorias prophanas nocturna verſant manu, verſantque diurna; ſed potius omnes ſtudiorum meorum conatus ad Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum, dirigam, ut ejus doctrinam, unde vera proficiſcitur ſapientia, perfecte calleam, atque memoria teneam Sacram Hiſtoriam, expreſſam in libris utriuſque Teſtamenti, quos cæleſte Numen inſpiravit, ſancti Prophetæ prodiderunt, & quorum indubitatam veritatem miracula teſtantur, ſanguis Martyrum illuſtravit, & piorum hominum conſenſus tot jam ſæculis comprobavit. Hos, inquam, Sacros Libros in ſinu meo jugiter circumferam, & in deliciis ſemper habebo, ſingula in his pia curioſitate cognoſcere, inveſtigare, diſquirere, & excutere ſtudioſe ſatagam, donec tandem me in illis libris ſedulo meditantem placida mors occupet. Vale, colendiſſime Magiſter. Domum nunc me recipio, & poſtquam vires meas, immenſis hujus æſtatis caloribus haud parum fractas ac debilitatas, refocillaverim, ſtudio graviter incumbam, ut ad primum Colloquium, quod die proximo Lunæ de Hiſtoria ſextæ Mundi Ætatis habituri ſumus, imparatus non accedam.

HI-

# HISTORIA
## ECCLESIASTICA
## VETERIS TESTAMENTI,
### SEU
### SEXTÆ MUNDI ÆTATIS,

*Quæ a Captivitate Babylonica ſumit initium, & finem habet in Natali Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri.*

JUDÆI anno Regni *Joakimi* undecimo, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, in captivitatem Babylonicam abducti, per ſeptuaginta annos captivi fuerunt, hoc eſt, ad annum uſque primum, quo *Cyrus*, devicto *Dario Medo*, ultimo Babyloniorum Rege, Monarchiam Babylonicam evertit, & Monarchiam Perſicam inſtituit, ſeu tanquam ſupremus Monarcha Babylone imperare cœpit. Hoc inquam, primo anno Monarchiæ Perſicæ *Cyrus* laxavit captivitatem Babylonicam, Judæiſque reditum in patriam conceſſit. Monarchia autem Perſica a *Cyro* uſque ad *Darium*, dictum *Codomanum*, duravit annis ducentis duobus. Sed, mortuo *Dario Codomano*, qui fuit ultimus Imperii Perſarum ſupremus Monarcha, cœpit Monarchia Græcorum, inſti-

inſtituta ab *Alexandro Magno*, Macedonum Rege, qui poſtquam *Darium Codomanum*, ultimum Perſarum Monarcham, in prælio viciſſet & occidiſſet, toto Imperio Babylonico potitus eſt, Monarchiam Perſicam extinxit, & tanquam ſupremus Monarcha Babylone imperavit. Verum brevis admodum fuit Monarchia Græcorum. Quamvis enim *Alexander Magnus* regnaverit duodecim annos, ut in libro primo Machabæorum cap. 1. proditum eſt, hoc tamen ita intelligendum eſt, ut *Alexander Magnus* per ſex annos regnaverit in Macedonia, & per alios ſex annos in Babylone, tanquam ſupremus Monarcha, imperaverit. Monarchia itaque Græcorum duravit dumtaxat ſex annis, quia poſt exceſſum *Alexandri Magni*, hujus Monarchiæ conditoris, Duces illius Exercitus Regna ab ipſo ſubacta inter ſeſe partiti ſunt. *Aridæus*, frater *Alexandri Magni*, quem *Philippus*, Rex Macedonum, & ejuſdem *Alexandri Magni* pater, ex ſcorto ſuſceperat, declaratus eſt Rex, dictuſque *Philippus*. Sed quia mentis ſatis compos non erat, *Perdiccas*, gente Macedo, cui *Alexander Magnus* moriens annulum ſuum tradiderat, Regni procurator, re ipſa Rex, deſignatus eſt. Eodem mortis *Alexandri Magni* anno tota Ægyptus, & quidquid Lybiæ ac Cyrenaicæ idem *Alexander Magnus* obtinuerat, cum omni illa Arabiæ parte, quæ Aegypto adjacet, *Ptolomæo*, *Lagi* filio obtigit. Hic *Ptolomæus* plures in Regno Ægypti habuit ſucceſſores uſque ad famoſam, omniumque ſermone celebratam, *Cleopatram* Reginam Ægypti, quæ ab *Octaviano Auguſto*, primo Romanorum Imperatore, devicta in pugna Actiaca, ſibi necem conſcivit, eodemque momento vitam perdidit & Aegypti Regnum, quod venit in poteſtatem Romanorum. *Seleucus Nicanor*, unus ex præcipuis *Alexandri Magni* Ducibus, duodecim annis pox ejuſdem *Alexandri Magni* obitum in Babylonia, Media, cæteriſque Orientis partibus regnare cœpit, & inſtituit in Syria Regnum *Seleucidarum*, qui ideo dicti ſunt Reges Syriæ, a quibus, ſicut & a Regibus Aegypti, *Ptolomæi Lagi* filii ſucceſſoribus, dictis *Lagidis*, Judæi multa incommoda pertulerunt. His tamen, ſeu Aegypti, ſeu Syriæ Regibus, ſtrenue obſtiterunt Judæi, ſive per *Mathathiam*, eorum ducem, ſive per ejus filios *Judam*, cognomento Machabæum, *Jonathan*, & *Simonem*, qui ſigillatim populo Judaico præfuerunt. Tunc enim in Republica Judæorum ſumma regiminis poteſtas fuit penes Aſſamonæos, ſeu Machabæos, uſque ad *Antigonum*, Ariſtobuli filium, qui fuit apud Judæos ultimus ex gente Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum Rex, quem devicit, ac ſolio deturbavit *Herodes*, alienigena, jam a Senatu Romano declaratus

Rex

Rex Judæorum. Sub hoc *Herode*, alienigena, Judæorum Rege, natus eſt JESUS CHRISTUS, Salvator Mundi, hoc eſt, anno trigeſimo ſexto Regni *Herodis*, poſtquam a Senatu Romano creatus fuiſſet Rex Judæorum, & anno trigeſimo tertio poſtquam idem *Herodes* deviciſſet *Antigonum*, ultimum ex Machabæorum genere Regem Judæorum, ſicut fuſe oſtendi in Diſſertatione ſexta *Tractatus*, quem edidi, *De Myſteriis, & annis Jeſu Chriſti*, ubi pluribus momentis probavi, proprium Natale Chriſti Domini illigandum eſſe anno quadrageſimo Imperii *Octaviani Auguſti*, qui annus Imperii *Auguſti* concurrit cum anno Regni *Herodis* trigeſimo ſexto, poſtquam a Senatu Romano fuiſſet conſtitutus Rex Judæorum, & cum anno ejuſdem Regni *Herodis* trigeſimo tertio poſtquam deviciſſet *Antigonum*, e gente Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, ultimum in Republica Judæorum Regem. Porro Hiſtoria ſextæ Mundi Ætatis, quam hic deſcribendam ſuſcipio ', quæque a Judæorum captivitate Babylonica ſumit initium, & in Natali Chriſti Domini finem habet, complectitur omnia, quæ acciderunt Judæis, ſive ſub Monarchia Regum Babyloniorum, durante captivitate Babylonica; ſive ſub Monarchia Perſarum, quam inſtituit *Cyrus*, qui laxavit captivitatem Babylonicam; ſive ſub Monarchia Græcorum, cujus conditor fuit *Alexander Magnus*, &, poſt illius mortem, ſub Regibus Ægypti, & Syriæ. Denique, Hiſtoria ſextæ Mundi Ætatis prodit res præclare geſtas a Machabæis, qui ſumma in Judæorum Republica potiti ſunt poteſtate uſque ad Herodem, alienigenam, quo in Judæa regnante, JESUS CHRISTUS, ut mox diximus, prodiit in lucem, totius Mundi Salvator, & verus Meſſias, Prophetarum Oraculis longe antehac prædictus. Ut autem omnia, quæ Hiſtoria ſextæ Mundi Ætatis exhibet monumenta, ad Gentem Judaicam attinentia, nullam confuſionem, obſcuritatemve pariant, ſed ad tuum captum acommodata atque diſpoſita in præclaro ordine, & in optima luce collocentur: tria inſtituam Colloquia, in quorum primo deſcribam res, quæ Judæis, durante captivitate Babylonica, acciderunt ſub Monarchia Regum Babyloniorum. Dein, oſtendam, quinam, poſt ſolutam *a Cyro* captivitatem Babylonicam, fuerit Judæorum Status ſub Monarchia Perſarum. Poſtremo, agam de conditione, ſeu ſorte, quam ſub Monarchia Græcorum, regnante *Alexandro Magno*, & poſt ipſius obitum, ſub Regibus Ægypti, & Syriæ, nacti ſunt Judæi. In altero Colloquio dirimam aliquot Dubia, quæ circa Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis proponere ſolent Scripturæ Sacræ Interpretes, ibidemque diſſeram de auctoritate & Hiſtoria librorum *Eſdræ*, Prophetæ *Danielis*, &

Re-

Reginæ *Eſtheris*, necnon de Prophetis Minoribus *Aggæo*, *Zacharia*, & *Malachia*, qui poſt captivitatem Babylonicam vaticinati ſunt. In tertio Colloquio proferam in medium res præclare geſtas a Machabæis, qui ſummam apud Judæos obtinuerunt poteſtatem uſque ad *Herodem*, alienigenam, quo in Judæa regnante, natus eſt Chriſtus Dominus, ibidemque attexam varias Judæorum Sectas, & aliquot Hiſtoriæ Romanæ monumenta, quæ ad pleniorem habendam Hiſtoriæ Judæorum notitiam ſunt apprime neceſſaria. Canonem etiam exhibebo Chronologicum annorum, qui a captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti Domini interfluxerunt.

COL-

# COLLOQUIUM PRIMUM,

*In quo deſcribuntur res præcipuæ, quæ Judæis, durante captivitate Babylonica, acciderunt ſub Monarchia Regum Babyloniorum, eorumque exhibetur ſtatus, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, ſub Monarchia Perſarum, ſub Monarchia Græcorum, regnante Alexandro Magno, & , poſt illius obitum, ſub Regibus Ægypti, & Syriæ.*

DISCIP. Incipe, quæſo, narrare res, quæ Judæis contigerunt tempore captivitatis Babylonicæ?

M. Captivitas Babylonica, quæ, ut oſtendimus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis, cœpit anno undecimo Regni *Joakimi*, Regis Juda, & anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, duravit ſeptuaginta annis. Regnante *Nabuchodonoſore*, res præclare geſſit Propheta *Daniel*, quas commodius in ſequenti Colloquio expendemus, ubi data opera de auctoritate libri *Danielis*, & de Hiſtoria, quæ in eo deſcripta eſt, differemus. Sufficiet hic breviter indicare aliquot cæleſtis ſapientiæ ſpecimina, quæ *Daniel* in captivitate Babylonica, regnante *Nabuchodonoſore*, edidit. In primis, *Daniel* caſtiſſimam *Suſannam*, a duobus ſenibus impudicis falſo adulterii accuſatam, temere a Judicibus damnatam, & lapidibus actutum obruendam, inſontem declaravit, & ſenes, non minus calumnia, quam effræni libidine infames, interimi juſſit. Secundo. *Daniel* interpretatus eſt ſomnium, quod habuit *Nabuchodonoſor* de ſtatua, cujus caput ex auro, brachia & pectus ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedes ex luto ferroque male coagmentati, in quos incidens lapis totam ſtatuam contrivit, & in cinerem vento diſſipandum comminuit. Hoc, inquam, *Nabuchodonoſoris*, Regis Babylonis, ſomnium, dum ad illud explicandum aliis Chaldæis hæreret aqua, interpretatus eſt *Daniel*, dicens, hanc ſtatuam, quam Rex viderat in ſomnio, ſignificare quatuor Monarchias, videlicet Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, uſque ad Chriſti Regnum æternum. Non multo poſt Rex *Nabuchodonoſor*, elatus rebus ſecundis, ſuam ſtatuam auream, cubitorum ſexaginta, eamque ut ſacram effigiem, pœna ignis in rebelles conſtituta, adorari juſſit. Chaldæi, adulatione depravati, Edicto Regis certatim paruerunt, ſed *Ananias*, *Azarias*, & *Miſael*, probe ſcientes, hunc honorem ſoli Deo debitum eſſe, ſtatuam adorare renuerunt, ideoque Regis Edicto in fornacem ardentem vincti pedibus fuerunt conjecti. Sed, o prodigium! tribus illis Hebræis parcit ignis, & infandi operis miniſtros flamma abſorbet. Tam inſigne miraculum Rex admiratione defixus intuitus eſt, ſeque tres viros in medio ignis deambulantes, & quartum cum illis *Similem Filio Dei*, adſpexiſſe non ſolum teſtatus eſt, ſed, miſſis per omne Imperium ſuum Edictis, miraculum promulgavit, Deum Hebræorum laudavit, & ipſi ſoli cultum & honorem deferendum eſſe, ultro confeſſus eſt, ſicut legitur cap. 3. libri *Danielis*. Aſt, ſicut olim *Pharao*, Ægyptiorum Rex, miraculis, coram ipſo a *Moyſe* patratis, terrebatur, ſed non immutabatur; ita ſuperbus *Nabuchodonoſoris* animus eo miraculo mutatus non eſt, indeque Deus ad ſuperbiam ejus edomandam permiſit, ut in dementiam ac furorem incideret, ita ut, poteſtate Regia abjecta, & procul ab omni ſocietate humana remotus, per ſeptem annos una cum belluis ſub dio degens, herbis tantum vitam ſuſtinuerit, ſicut latius expoſui in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis. Servavit tamen Deus Imperium *Nabuchodonoſori*, donec impleto pœnitentiæ tempore, & agnito demum Deo, poſt ſeptem annos, & Imperio, & Statui priſtino reſtitutus eſt. Mortuus eſt *Nabuchodonoſor* anno Imperii ſui quadrageſimo tertio, ante Natale Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſexto, ab incepta captivitate Babylonica trigeſimo ſexto. *Nabuchodonoſori*, Babyloniorum Regi, ſucceſſit ejus filius, dictus *Evilmerodach*, qui ſeſe erga Judæos propenſum exhibuit, dum *Jechoniam*, Regem Juda, quem *Nabuchodonoſorus* captivum Babylonem abduxerat, vinculis exemit, eum inter Reges clientelares præcipuo honore dignatus eſt, eique annonam, & apparatum regium ſuppeditavit. Quot annos regnaverit *Evilmerodachus*, non ſatis liquet. Canon Mathematicus Regum Babyloniorum ei tres annos Regni tribuit. *Severus Sulpicius* lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ*, ait, *Evilmerodachum* anno duodecimo imperii ſui diem functum eſſe. At, mihi longe magis probatur calculus *Beroſi*, inſignis Rerum Babylonicarum Scriptoris, qui in libro tertio Hiſtoriæ Chaldæorum Imperium *Evilmerodachi* duobus annis circumſcribit. Poſtquam igitur *Evilmerodachus*, Babyloniorum Rex, annis duobus imperaſſet, obiit anno ab incepta captivitate Babylonica trigeſimo octavo, ante Natale vulgare Chriſti, ſeu ante Æram Chriſtianam, anno quingenteſimo ſexageſimo quarto. *Evilmerodacho* ſucceſſit in Regno Babylonico *Baltaſsar* una cum patre ſuo *Neriglisſare*, genero *Nabuchodonoſoris*, & marito ſororis *Evilmerodachi*, ſicut *Beroſus* apud *Joſephum*, Hebræum, teſtatur.

D. Eſtne ille Rex *Baltaſsar*, qui, ſicut ſæpius audivi, dum Principibus ac Præfectis, uxoribus, ac concubinis ſuis publicum ac regale daret epulum, ſacra Deo vaſa,

quæ

quæ Rex *Nabuchodonoſor* e Templo Hieroſolymitano ablata, Babylonem attulerat, quæque in regiis theſauris aſſervabantur, proferri imperavit, dumque ipſe ex eis temulentus hauriret, hiſque per luxum & licentiam convivii promiſcue omnis virilis ac muliebris ſexus, uxores ejus & concubinæ uterentur, illaque prophanis uſibus polluerent; ecce ſubito *Baltaſsar*, Rex, vidit ex cœnaculi parte manum promicantem, & digitis Sententiam mortis a Deo, ob tantum ſacrilegium, prolatam, ſcribentem?

M. Hic *Baltaſsar*, Babyloniorum Rex, ipſiſſimus eſt, qui ſacra vaſa in publico, quod inſtruxit, convivio prophanis uſibus polluendo, in pariete conſpexit digitos, hæc verba ſcribentes: MANE. THECEL. PHARES. Hoc ſpectaculo perterritus ſacrilegus Rex, juſſit quamprimum vocari Magos, Chaldæos, & Aruſpices, quibus, ob ignotam ſibi ſcripturam, muſſitantibus, nec quidquam reſpondentibus, Rex, ſuggerente Regina, accerſiri juſſit *Danielem*, qui olim *Nabuchodonoſoris* occulti myſterii ſomnium revelaverat, & tunc, ob illuſtrem, qua donatus erat, ſapientiam, ſummis honoribus præfulgebat. Accitus itaque *Daniel* Scripturam perlegit, & e veſtigio interpretatus eſt, dicens, Regi *Baltaſsari*, ob ſacrilegium, quod patrarat, ſacra Deo vaſa temerando, ultimum imminere exitium, totumque Imperium ejus Medis ac Perſis datum iri. *Hæc eſt* ( inquit Daniel ) *interpretatio ſermonis*, MANE: *Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud*. THECEL: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens*. PHARES: *Diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis*, ita legitur cap. 5. libri *Danielis*. Hæc interpretatio *Danielis*, ſuum mox conſecuta eſt exitum. Nam eadem nocte Rex *Baltaſsar* interfectus eſt, & Imperium ejus Babylonicum, *Darius*, natione Medus, occupavit, quod ei communi ſuffragio eorum, qui Regem *Baltaſsarem* occiderant, delatum, atque traditum eſt, ſicut *Beroſus* apud *Joſephum*, Hebræum, affirmat. Non plures quam quatuor annos *Balthaſar*, dictus etiam *Laboroſardochus*, una cum patre ſuo *Nerigliſſare*, tenuit Imperium Babylonicum, ſicut idem *Beroſus* apud jam citatum *Joſephum*, Hebræum, auctor eſt. Quapropter, *Baltaſsar* Rex interiit anno ab incepta captivitate Babylonica quadrageſimo ſecundo, ante Natale Chriſti, ſeu ante Æram Chriſtianam, anno quingenteſimo ſexageſimo. Corrigendus itaque eſt error *Severi Sulpicii*, qui l. 2. *Hiſtoriæ Sacræ*, ſcribit, *Baltaſsarem* regnaſſe annis quatuordecim.

D. Quis eſt iſte *Darius Medus*, qui, poſt Regem *Baltaſsarem*, conſpiratione Principum trucidatum, ad ſolium Imperii Babylonici fuit ſublimatus?

M. *Darius* iſte, qui etiam *Nabonidus*, vel *Labynitus*, appellatur, fuit de ſemine, ſeu de genere Medorum, ut legitur c. 9. l. *Danielis*. Scribit tamen *Beroſus*, eum e Babylone fuiſſe oriundum. Babylonico Imperio potitus *Darius Medus*, & ſuperiorum Babyloniæ Regum ſecutus judicium, *Danielem* univerſo præfecit Imperio, non ſecus ac Rex *Nabuchodonoſor* eum toti Imperio Babylonico præpoſuerat, & Rex *Baltaſsar* eumdem *Danielem* veſte purpurea, & torque aureo donatum, tertium Imperii Principem conſtituerat. Hunc honorem delatum *Danieli* ægerrime tulerunt Satrapæ Imperii, & in perniciem *Danielis*, qui charus, acceptuſque erat Regi *Dario Medo*, conjurantes, perſuaſerunt huic Regi, ut ſibi diebus proximis triginta divini honores darentur, & promulgato Edicto, nemini per id temporis fas eſſet alium Dominum, quam Regem, deprecari. Annuit Rex, ſed *Daniel*, veri Dei cultor, Regis Edicto obtemperare detrectans, ab æmulis accuſatus, in foveam præceps, ægre tamen conſentiente Rege *Dario Medo*, a leonibus devorandus conjicitur. Quem ſequenti die ille Rex, cum divinitus incolumem illæſumque ſervatum comperiſſet, inde educi juſſit, ejuſque accuſatores in hunc lacum detrudi imperavit, ubi a leonibus confeſtim diſcerpti, lacerati, ac devorati, ferarum famem expleverunt. Imperavit *Darius Medus*, Babyloniorum Rex, annis viginti ſeptem, & tandem anno ultimo Regni ſui victus a *Cyro*, Perſarum Rege, Borſippen ſeſe recepit, ubi a *Cyro* captus, ſeſeque ejus arbitrio permittens, Præfectura Caromaniæ ab eodem *Cyro* victore, donatus eſt. Non me latet, *Joſephum*, Hebræum, poſt *Beroſum* ſcribere, *Cyrum*, Perſarum Regem anno decimo ſeptimo Regni *Darii Medi*, Babyloniorum Regis, e Perſide fuiſſe egreſſum, & univerſa ſubacta Aſia, in Babyloniam impetum feciſſe, devictoque *Dario Medo*, Imperio Babylonico potitum eſſe, eodemque anno Monarchiam Perſicam Babylone inſtituiſſe. Quæ res multos movit Chronologiæ peritos, ut ſibi perſuaſerint, *Darium Medum* Babylone tantum imperaſſe annos ſeptemdecim. Sed ipſe ( ut memini, me alibi obſervaſſe ) cum *Ludovico Capello* in ſua *Chronologia Sacra*, multo probabilius eſſe cenſeo, hunc *Joſephi*, Hebræi, locum ſub mendo cubare, & loco decemſeptem annorum, Legi debere vigintiſeptem annos, per quos Babylone *Darius Medus* imperavit; ſi quis autem pertendat, nullum in *Joſephi* numero circa annos Regni *Darii Medi* eſſe errorem, non admodum repugnabo ipſe, ſed dicam, *Cyrum*, Perſarum Regem, anno decimoſeptimo Regni *Darii Medi*, Babyloniorum Regis, egreſſum quidem fuiſſe e Perſide, ſicut ex *Beroſo* ſcribit *Joſephus*, Hebræus, illum tamen in ſubigenda Aſia, priuſquam Babyloniam oppugnaret, decennium impendiſſe, adeo ut exeunte dumtaxat anno vigeſimo ſeptimo Regni *Darii Medi* Babylonia potitus ſit *Cyrus*, novumque Imperium, debellato ac fugato *Dario Medo*, in Babylonia acceperit, ſeu Perſicam Monarchiam inſtituerit, cœperitque tanquam ſupremus Monarcha Babylone imperare. Poſtquam autem *Cyrus*, Perſarum Rex, Babylonios ſub jugum miſiſſet, imperavit Babylone, tanquam ſupremus totius Orientis Monarcha, tribus annis, & anno primo Monarchiæ Perſicæ, quam Babylone inſtituit, laxavit captivitatem Babylonicam, quæ duravit ſeptuaginta annis.

Id

Id autem jam clariſſime prædictum fuerat nominatim de *Cyro* a Propheta *Iſaia* cap. 44. & 45. ſic vaticinante: *Qui dico de Cyro: Paſtor meus, es & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Hieruſalem: Ædificaberis, & Templo fundaberis. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur.* Hanc Dei voluntatem *Cyrus*, Perſarum Rex, ſtatim ac Babylonico Imperio potitus eſt, & ſupremus totius Orientis Monarcha evaſit, perfecte adimplevit, & ſingulari erga Judæos captivos benevolentia affectus non tantum pro ipſorum libertate & in patrium ſolum reditu, Templique Hieroſolymitani inſtauratione Edictum promulgavit, verum etiam ſacra vaſa cum aurea, tum argentea, quinque millia quadringenta, quæ *Nabuchodonoſor*, Babyloniorum Rex, capta Hieroſolymorum urbe abſtulerat, & in Templo Idoli *Beli* poſuerat, reſtituit. Hæc omnia geſta ſunt anno primo, quo *Cyrus*, Perſarum Rex, Babylone, tanquam ſupremus Orientis Monarcha, imperare cœpit, ſeu anno primo Monarchiæ Perſicæ. Qua de re legeſis cap. 1. lib. *Eſdræ*, & *Joſephum*, Hebræum, l. 11. *Antiquitatum Judaicarum* cap. 1. Captivitas itaque Babylonica, quæ ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Juda, & ab anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, initium habuit, duravitque ſeptuaginta annis, fuit tandem ſoluta a *Cyro* anno primo, quo, debellato *Dario Medo*, Babyloniorum Rege, *Cyrus*, Perſarum Rex, Monarchiam Perſicam inſtituit. Id autem clariſſime prædixit Propheta *Jeremias* cap. 25. v. 12. dicens: *Cumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis &c.* Et rurſus cap. 20. v. 10. Hæc dicit Dominus: *Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum.* Quam Prophetæ vaticinationem fuiſſe anno primo *Cyri* expletam legitur cap. 36. lib. 2. Paralipomenon, & cap. 1. lib. 1. *Eſdræ*. Cave autem ne putes cum quibuſdam antiquis Scriptoribus (quorum ſententiam noſter *Melchior Canus*, vir cæteroquin doctiſſimus, cap. 5. lib. 11. *De Locis Theologicis* amplexus eſt) videlicet ab anno itidem primo Regni *Cyri* petendum eſſe finem annorum ſeptuaginta deſolationis, ſeu vaſtationis Hieruſalem, & Templi Hieroſolymitani, quæ contigit anno undecimo *Sedekiæ*, ultimi Regis Juda, & anno undevigeſimo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, quæque undecim annis poſterior eſt captivitate Babylonica. Cave, inquam, ne hanc quorumdam antiquorum Scriptorum ſequaris ſententiam, quæ Chronologiæ Sacræ in præfigendis initio & fine tam ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, quam ſeptuaginta annorum deſolationis, ſeu vaſtitatis urbis Hieruſalem, & Templi Hieroſolymitani, denſiſſimas tenebras offundit, eamque inexplicabili confuſione perturbat. At enim, initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ ducendum eſt ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Juda, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, finis vero ſeptuaginta illorum captivitatis Babylonicæ annorum ſtatuendus eſt anno primo, quo *Cyrus*, Perſarum Rex, tanquam ſupremus Monarcha in Babylonia imperare cœpit, ſicut in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis contra *Melchiorem Canum* oſtendi. At, exordium ſeptuaginta annorum deſolationis urbis Hieruſalem, & excidii Templi Hieroſolymitani peti debet ab anno *Sedekiæ*, Regis Juda, undecimo, qui concurrit cum anno undevigeſimo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis. Finis vero ſeptuaginta illorum annorum deſolationis urbis Hieruſalem & Templi, præfigendus eſt anno ſecundo *Darii Hiſtaſpis*, qui poſt *Cyrum*, *Cambyſem*, & *Smerdem Magum*, Monarchiam Perſicam Babylone tenuit, ſicut in laudato Colloquio commonſtravi, idque nunc luculentiſſimo Prophetæ *Zachariæ* vaticinio confirmare non abs re erit. Angelus enim, qui cap. 1. v. 2. in ipſo *Zacharia*, Propheta, loquebatur, ait: *Domine Exercituum, uſquequo tu non miſereberis Hieruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.* Porro, tunc temporis ſecundus Regis *Darii Hyſtaſpis* decurrebat annus, ut conſtat ex verſu primo ejuſdem capitis Prophetiæ *Zachariæ*. Exitus igitur, ſeu finis ſeptuaginta annorum deſolationis urbis & Templi Hieruſalem conſtituendus eſt in anno ſecundo Regis *Darii Hyſtaſpis*. Hoſtes enim Judæorum, occupato Regis *Cambyſis*, qui *Cyro* in Monarchia Perſica ſucceſſit, animo, ædificationem Templi inhibuerunt, ſicque Templi Hieroſolymitani deſolatio & vaſtitas ad annum uſque ſecundum Regis *Darii Hyſtaſpis* perſeveravit, uti narrat ſacer Scriptor lib. 1. *Eſdræ* cap. 4. verſ. 24. ubi hæc habet: *Tunc intermiſſum eſt opus domus Domini in Hieruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii, Regis Perſarum.*

D. *Cyrum*, Perſarum Regem, regnaſſe annos triginta, nobiliſſimus quiſque, ut audivi, aſſerit Hiſtoricus. Quorſum ergo dicis, *Cyrum* anno primo Regni ſui laxaſſe captivitatem Babylonicam, eumque annis dumtaxat tribus Babylone imperaſſe?

M. Hanc difficultatem memini me præoccupaſſe in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis. Ibi quippe duplicem diſtinxi Regni *Cyri* Epocham. At enim, *Cyrus* regnare cœpit in Perſide anno primo exeunte Olympiadis lv. eodem ſcilicet anno, quo *Darius Medus*, dictus *Nabonidus* & *Labynitus*, occiſo *Baltaſsare*, Rex a Babyloniis fuit electus. Hæc eſt prima Regni *Cyri* in Perſide initi Epocha, de qua legendus eſt *Diodorus Siculus* in Bibliotheca, *Thallus*, *Caſtor*, *Polybius*, in Hiſtoriis, *Phlegon* & *Julius Africanus*, apud *Euſebium* lib. 10. *Præparationis Evangelicæ*. Altera Epocha Regni *Cyri* in Babylonia ſuſcepti exordium habuit anno xxviii. Regni *Cyri* in Perſide initi. Eo ſiquidem anno *Cyrus*, Perſarum Rex, poſtquam debellaſſet *Darium Medum*, ſeu *Nabonidum*, qui per viginti ſeptem an-

annos Babylonicum tenuit Imperium, poſt captam Babylonem, inſtituit Monarchiam Perſicam, & tanquam ſupremus Monarcha in Babylonia imperare cœpit anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ. Regnavit autem *Cyrus* annos triginta, ſicut ei Hiſtorici omnes conſtanter tribuunt, ſed viginti ſeptem annos regnavit in Perſide, alios vero tres ultimos annos regnavit in Babylonia tanquam ſupremus Monarcha, poſtquam devicto *Dario Medo*, Babyloniorum Rege, Imperio Babylonico potitus fuiſſet. Errant igitur primo nonnulli, qui exiſtimant, *Cyrum* laxaſſe captivitatem Babylonicam anno primo Regni, quod inivit in Perſide, cum tamen eam tantummodo laxarit anno primo Monarchiæ Perſicæ, quam, profligato *Dario Medo*, Babyloniorum Rege, inſtituit in Babylonia. Secundo, errant alii Scriptores, qui putant, *Cyrum* triginta annos regnaſſe in Perſide, cum tamen viginti ſeptem tantum annos *Cyrus* regnarit in Perſide, & per tres alios ultimos annos imperaverit, tanquam ſupremus Monarcha, in Babylonia. Hanc duplicem Regni *Cyri* epocham niſi accurate diſtinguas, Sacræ Hiſtoriæ Chronologiam inexplicabili confuſione perturbabis, ſicut opportunius oſtendam in ſequenti Colloquio, ubi de libro *Eſtheris*, & de ætate *Mardochæi* ſermonem ſumus habituri.

D. Vide, ſi placet, an recte, juxta tuum calculum, ſubducam initium & finem ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ. Anno *Joakimi* Regis Juda, undecimo, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, cœpit captivitas Babylonica. *Nabuchodonoſor*, poſtquam Judæos in captivitatem Babylonicam abduxiſſet, regnavit annis triginta ſex, ac ſubinde obiit anno trigeſimo ſexto captivitatis Babylonicæ. *Evilmerodachus*, filius *Nabuchodonoſoris*, regnavit duobus annis, & mortuus eſt anno captivitatis Babylonicæ trigeſimo octavo. *Baltaſsar* una cum patre *Neriglіſſare*, marito ſororis *Evilmerodachi*, imperavit Babylone annis quatuor, & occiſus eſt anno quadrageſimo ſecundo captivitatis Babylonicæ. *Darius Medus*, poſt occiſum *Baltaſsarem*, fuit a Babyloniis Rex electus, & anno exeunte Regni ſui vigeſimo ſeptimo, qui concurrit cum anno captivitatis Babylonicæ ſexageſimo nono, & cum anno vigeſimo ſeptimo Regni, quod *Cyrus* in Perſide inivit, fuit a *Cyro*, Perſarum Rege, debellatus, & ex Babylonio Imperio dejectus. Denique, *Cyrus*, poſt devictum *Darium Medum* Babyloniorum Regem, poſt captam Babylonem toto Imperio Babylonico potitus, Monarchiam Perſicam, Babylone inſtituit anno Regni ſui in Perſide initi vigeſimo octavo, qui fuit annus primus Monarchiæ Perſicæ, & annus ſeptuageſimus captivitatis Babylonicæ, quam eodem anno primo Monarchiæ Perſicæ *Cyrus* laxavit, & Judæis in patrium ſolum redeundi facultatem conceſſit. Hæc omnia, ni mea me fallat opinio, recte quadrant & cohærent cum eo, quem poſuiſti, calculo de initio & fine ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ.

M. Exordii & finis ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, accuratum ſubduxiſti calculum, jamque perſpectas habes res præcipuas quæ Judæis a tempore captivitatis Babylonicæ ſub *Nabuchodonoſore*, ejuſque in Imperio Babylonico ſucceſſoribus, acciderunt uſque ad annum primum Monarchiæ Perſicæ, quo *Cyrus* Perſarum Rex, poſt devictum *Darium Nabonidum*, Babyloniorum Regem, toto Imperio Babylonico potitus, cœpit, ut ſupremus Monarcha, in Babylonia imperare, eodemque anno primo Monarchiæ Perſicæ, quam Babylone inſtituit, captivitatem Judæorum Babylonicam laxavit. Nunc continenti ordine ea breviter referre operæ pretium eſt quæ Judæis, poſt ſolutam a *Cyro* captivitatem Babylonicam, durante Monarchia Perſica, contigerunt. In primis, Judæi, poſtquam a *Cyro* impetraſſent redeundi in patriam, Templique ædificandi facultatem, ſeſe, Ducibus *Zorobabele*, & *Joſue*, ſeu *Jeſu* filio *Joſedech*, Summo Pontifice, ad iter accinxerunt. Ad patriam appulſi Judæi, primam de rebus ſacris curam habuerunt, in quibus primas tenuerunt, ſupremamque poteſtatem habuerunt Summi illorum Pontifices uſque ad Machabæos, qui (teſte *Joſepho*, Hebræo, lib. 11. *Antiq. Judac.* cap. 4.) Sacram deinde adminiſtrationem cum prophana, ſeu regali auctoritate conjunxerunt. Secundi Templi fundamenta quidem Hieroſolymis jecerunt Judæi, ſed, quamvis, *Cyrus*, Imperator, ad illam ſecundi Templi ſtructuram aggrediendam ſumptus abunde ſuppeditaſſet, non potuerunt tamen Judæi inceptæ Templi ædificationi ultimam admovere manum, quia *Cuthæi*, ſeu Samaritani, eorum opera, vi, minis, armis milleque nocendi artibus impediebant, & quibus repellendis impares omnino erant Judæi, tum quia *Cyrus*, eorum liberator, in Bello Maſſagetico in longinquis Regionibus implicitus erat; tum quia idem *Cyrus* in hoc Bello Maſſagetico una com ducentis millibus Perſarum trucidatus eſt, ejuſque caput amputatum in utrem, humano ſanguine repletum, conjici juſſit *Tomyris*, Maſſagetarum Regina, cum hac crudelitatis exprobratione: *Satia te ſanguine, quem ſitiſti, cujuſque inſatiabilis ſemper fuiſti*. Hoc pacto Imperator *Cyrus*, de Judæis optime meritus, interiit, poſtquam regnaſſet triginta annos, ſicut teſtantur *Herodotus*, *Cteſias*, & *Dionyſius* Rerum Perſicarum Scriptores, quibus addi debent *Cicero* lib. 1. De Divinatione, *Trogus Pompejus*, *Juſtinus*, eius breviator, *Euſebius*, *Clemens Alexandrinus*, *S. Hieronymus* & *Oroſius*. Quod tamen, ſicut jam oſtendimus, juxta duplicem Regni *Cyri* Epocham, intelligi debet, ita ut *Cyrus* viginti ſeptem annis regnarit in Perſide & per tres annos, tanquam ſupremus Monarcha Babylone imperarit.

D. Quiſnam in Monarchia Perſica ſucceſſit *Cyro*, & quænam ſub illo *Cyri* ſucceſſore extitit Judæorum Reipublicæ forma?

M. In Monarchia Perſica *Cyro* ſucceſſit *Cambi-*

*biſes*, ejus filius, qui ſororem ſuam non ſolum contra Legem, verum etiam contra mores Perſarum, uxorem accepit, eamque poſtea calcibus in utero percuſſam occidit. Aegyptiis bellum intulit, totamque Aegyptum in ſuam poteſtatem redegit, ſed, contra Aethyopes ſuſcepta expeditione, maximam ſui Exercitus partem amiſit. Apud *Cambyſem*, Regem, quem Scriptura Sacra capit. 4. libr. 1. Eſdræ *Aſſuerum*, & *Artaxerxem* vocat, Samaritani, invidia perciti, Judæos accuſarunt, quod urbem Hieruſalem inſtaurarent, quorum expoſtulationem gratam habens *Cambyſes*, eis juſſit, ut urbis Hieruſalem, & Templi ædificationem prohiberent, ut ibidem ait Scriptura Sacra. *Cambyſem* caſu ſe ipſum vulneraſſe, ex eoque ictu periiſſe ſcribit *Sulpitius Severus* libr. 2. *Hiſtoriæ Sacræ*. Sed *Juſtinus* lib. 1. aſſerit, *Cambyſem*, dum in equum inſiliret, gladio ſua ſponte evaginato in femore graviter vulneratum occubuiſſe. Regnavit autem *Cambyſes* ſeptem circiter annis, nullamque prolem reliquit. Ut autem ſcias, qualis ſub *Cambyſe*, Rege, extiterit Judæorum Reipublicæ forma, breviter advertere debes, Judæos, e captivitate Babylonica reverſos, ſuam utcumque Rempublicam inſtauraſſe, nunquam tamen illos deinceps omnimoda libertate potitos eſſe, ſed primum Perſis, tum Græcis, poſtremo Romanis ſerviiſſe, Tributiſque pendendis obnoxios fuiſſe. Hinc Judæorum hoſtes, ſeu Samaritani, volentes illos ab ædificatione Urbis & Templi Hieroſolymitani arcere, literas (quæ extant capit. 4. libr. primo, *Eſdræ*) ſcripſerunt ad *Cambyſem*, Perſarum Regem, in quibus hæc habent: *Nunc notum ſit Regi, quia ſi Civitas illa* (ſeu Hieruſalem) *ædificata fuerit, & muri ejus inſtaurati, tributum & vectigal, & annuos reditus non dabunt*. Pendebant ergo Judæi ſingulis annis tributum & vectigal *Cambyſi*, Perſarum Regi, quod ſane evidens eſt eorum, poſt reditum e captivitate Babylonica, ſervitutis argumentum. Poſt obitum *Cambyſis*, Perſarum Regis, quidam *Smerdis*, Magus, (non ille *Smerdis*, quem *Cambyſes*, Perſarum Rex, ejuſque frater, ex invidia interfici juſſit) ſed alter *Smerdis*, dictus *Magus*, & ſimillimus *Smerdi*, fratri Regis *Cambyſis*, Monarchiam Perſicam invaſit, eamque per annum ferme integrum, ſeſe *Smerdim*, filium *Cyri*, & fratrem *Cambyſis* mentiendo, pacifice tenuit. Sed cognita fraude, & comperta hujus *Smerdis Magi* intruſione, ſeptem Principes facta conſpiratione, ipſum e medio ſuſtulerunt, quorum unus erat *Darius Hyſtaſpis* filius. Inter autem ſeptem illos Principes convenit, ut ſub ortum Solis conſcenſis equis, ille, cujus equus hinnitum primus ediidiſſet, Perſicum obtineret Imperium. Quod auſpicium cum *Dario Hyſtaſpis* filio, arte ſui equiſonis, feliciter ceſſiſſet, cæteri ex equis protinus deſilientes, ei Imperium Perſicum ſumma conſenſione detulerunt.

D. Eſtne ille *Darius Hyſtaſpis*, in cujus Regni anno ſecundo, ut antea dicebas, ceſſavit deſolatio ſeptuaginta annorum vaſtitatis ac excidii Templi Hieroſolymitani, eoque regnante, tandem aliquando Templum Hieroſolimitanum fuit a Judæis reædificatum?

M. Vere in anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, finem habuerunt ſeptuaginta anni deſolationis, ſeu vaſtitatis ac excidii Templi Hieroſolymitani, ut ſæpius dixi. Quod quidem ut magis exploratum habeas, accuratum annorum ſeptuaginta, qui ab excidio Templi Hieroſolymitani uſque ad ſecundum *Dariis Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, annum effluxerunt, hic calculum ponam. Vaſtitatem urbis Hieruſalem, & excidium Templi Hieroſolymitani jam oſtendimus contigiſſe anno *Sedekiæ*, ultimi Regis Juda, undecimo, qui concurrit cum anno undevigeſimo Regni *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis. Porro, *Nabuchodonoſor*, in integrum regnavit annis 43. Cum igitur excidium Templi Hieroſolymitani acciderit anno decimo nono Regni *Nabuchodonoſoris*, palam ſequitur, *Nabuchodonoſorem*, poſt vaſtitatem & deſtructionem Templi Hieroſolymitani, regnaſſe annis viginti quatuor, quibus ſi addas annos ſucceſſorum *Nabuchodonoſoris* in Imperio Babylonico, videlicet *Evilmerodachi* annos duos *Baltaſaris* una cum patre *Neriglisſare*, annos quatuor, & annos viginti ſeptem *Darii Medi*, comperies, ab initio excidii Templi Hieroſolymitani, uſque ad finem *Darii Medi* effluxiſſe annos quinquaginta ſeptem. Jam vero his quinquaginta ſeptem annis, qui ab initio excidii Hieroſolymitani Templi uſque ad finem Regni *Darii Medi* effluxerunt, adde annos tres per quos *Cyrus*, Perſarum Rex, poſt devictum *Darium Medum*, Babyloniorum Regem tanquam ſupremus Monarcha in Babylonia regnavit; adde inſuper annos ſucceſſorum *Cyri* in Monarchia Perſica, nimirum ſeptem annos *Cambyſis*, unum annum *Smerdis Magi*, & duos annos *Darii Hyſtaſpis* filii: Ex his, inquam, annis ſimul computatis, ſummam colliges ſeptuaginta annorum Urbis & Templi deſolationis, quæ cœpit anno Regni *Sedekiæ* undecimo, qui concurrit cum anno decimo nono *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, & finem habuit in anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis. Hoc igitur anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis novam Judæi Templi Hieroſolymitani aggreſſi ſunt ſtructuram. Quæ abſoluta eſt anno ejuſdem *Darii Hyſtaſpis* ſexto, ſicut legitur cap. 6. libro primo *Eſdræ*. Hallucinantur ergo *Joſephus Scaligerus*, *Calviſius*, *Druſius*, & alii, qui pertendunt, *Darium* illum, Perſarum Regem, ſub quo ſecundi Templi Hieroſolymitani fabrica abſoluta eſt, non fuiſſe *Darium Hyſtaſpis* filium, ſed *Darium Nothum*, qui in Monarchia Perſica fuit ſucceſſor *Artaxerxis Longimani*. Quamvis autem ſecundum iſtud Hieroſolymitanum Templum a Judæis in anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, extructum, non æquaverit prius Templum Salomonicum, quantum ad ſplendorem, ornatum & magnificentiam; attamen ſecundum iſtud Templum, propter præſentiam

qua Jeſus Chriſtus, *deſideratus cunctis Gentibus*, illud dignatus eſt, majorem gloriam habuit quam primum, ſeu Templum Salomonicum, ſicut in proximo Colloquio commonſtrabo ex Oraculo Prophetæ *Aggæi* capite ſecundo, verſiculo decimo.

D. Acciditne, eodem regnante *Dario Hyſtaſpis* filio, aliquid aliud in Republica Judæorum, quod ſit memoria & obſervatione dignum?

M. Sub *Dario Hyſtaſpis* filio, Perſarum Rege, contigiſſe celebrem *Eſtheris* Hiſtoriam, quæ ad Nationem Judaicam attinet, opportunius oſtendemus in proximo noſtro Colloquio, ibidemque contra Hæreticos ſacram huic Hiſtoriæ auctoritatem vindicabimus. Hic breviter obſervare ſufficiat, *Darium Hyſtaſpis* filium imperaſſe annis triginta ſex, eumque anno quarto vel quinto ante ſuum obitum in Græciam potentiſſimum miſiſſe Exercitum, quem Græci, in Campis Marathoniis cum perexigua manu aggreſſi, ita profligarunt, ut Perſarum ſex millia & quadringenti in prælio ceciderint. De hac inſigni Marathonia pugna, quæ Græcis magnum conciliavit decus, & Perſis maximam intulit infamiam, legeſis *Herodotum* lib. 6. *Juſtinum* lib. 2. *Pauſaniam* lib. 4. *Cornelium Nepotem* in vita *Miltiadis*, cujus auſpiciis Græci in hoc prælio Perſas vicerunt; *Valerium Maximum* libro quinto capite tertio, *Æmilium Probum* in Miltiade, & *Plutarchum* in vita *Ariſtidis*. Perſarum Regni ſucceſſorem *Darius Hyſtaſpis* declaravit, antequam moreretur, filium ſuum *Xerxem*, quem genuerat ex *Atoſſa*, Regis *Cyri* filia, cum qua, ut regalibus nuptiis Regnum ſuum firmaret, matrimonium inierat.

D. Fuitne *Xerxes*, Perſarum Rex, felicior patre ſuo *Dario Hyſtaſpis* filio?

M. Quin immo, *Xerſes*, Perſarum Rex, longe fuit infelicior patre ſuo *Dario Hyſtaſpis* filio. Nam, cum *Xerxes* in Græciam Expeditionem ſuſcepiſſet, & claſſem inſtruxiſſet, in qua, ut *Plutarchus*, aliique Hiſtorici prophani memoriæ prodiderunt, erant Naves mille & ducentæ, armatorum ſeptingenta millia de Imperio Perſarum, & trecenta millia ex copiis auxiliaribus, non ſolum a Græcis in anguſtis Theſſaliæ faucibus, quæ ab aquis calidis *Thermopylæ* ſunt dictæ, profligatus eſt, ſed etiam in navali prælio, ad *Salaminem* commiſſo, maximam cladem accepit. Victus in hac Salaminia pugna *Xerxes*, Perſarum Rex, ex Græcia trepidus fugit, copiarum parte *Mardonio*, duci, relicta. Sed *Mardonius*, pugna ad Platæas, urbem Bæotiæ, commiſſa victus a Græcis occubuit, & totus Perſarum Exercitus diſſipatus eſt. Eodem tempore navalem de Perſis victoriam Græci ad *Mycalem* reportarunt, Duce, *Leotychida*, Lacedæmonio. Nec multo poſt *Cimon*, filius *Miltiadis*, duas inſignes de Perſis obtinuit victorias, navalem unam juxta Cyprum, terreſtrem alteram ad Eurymedontem, ſicut teſtantur Hiſtorici prophani, *Herodotus* lib. 9. *Diodorus Siculus* lib. 11. *Pauſanias* in Laconicis, & Bæoticis, *Thucydides* lib. 1. *Juſtinus* lib. 2. *Plutarchus* in vita *Ariſtidis*, in vita *Themiſtoclis*, in libello *de gloria Athenienſium* & *Cornelius Nepos* in vita *Cimonis*. Sic *Xerxes Perſarum Rex*, *terror antea Gentium*, *bello in Græciam infeliciter geſto*, *etiam ſuis contemptui eſſe cœpit*, inquit *Juſtinus* cap. 1. lib. 3. ac tandem ab *Artabano* occiſus eſt, poſtquam regnaſſet annos viginti & unum. *Xerxi* in Imperio Perſico ſucceſſit *Artaxerxes Longimanus*, ejus filius, qui annos quadraginta regnavit, quorum initium ſumi debet ab obitu *Xerxis* Perſarum Regis & patris *Artaxerxis Longimani*. Non clam me eſt, *Pererium*, & *Petavium* doctiſſimos Societatis Jeſu Scriptores, Epocham Regni *Artaxerxis Longimani* conjicere in annum duodecimum Regni *Xerxis*, Perſarum Regis, & patris *Artaxerxis Longimani*, quo anno, ajunt laudati illi Scriptores, *Xerxem*, qui ferale bellum adverſus Græcos movit, *Artaxerxem Longimanum*, filium ſuum, in Imperii communionem aſſumpſiſſe, indeque, ſeu ab anno duodecimo Imperii *Xerxis*, putari debere exordium quadraginta annorum, quos regnavit *Artaxerxes Longimanus*. Sed hæc *Pererii*, & *Petavii* non mihi probatur ſententia. Primo, quia ipſe licet non inficias eam, ſolemne fuiſſe olim Perſarum Regibus aliquem Regni ſocium adſciſcere, dum ad bella gerenda, in quibus eorum vita periclitabatur, proficiſcebantur; nullibi tamen legitur Perſarum Reges ſolitos eſſe, dum adhuc in vivis eſſent, aliquem deſignare ſocium, qui ejuſdem Regni particeps eſſet. De ea quippe ad Regni ſocietatem vigente apud Perſas conſuetudine ne minimum quidem verbum fecerunt veteres Hiſtorici, qui de Perſarum Regibus ſcripſerunt. Immo, omnes Hiſtorici initium putandi annos Regni *Artaxerxis Longimani* dumtaxat ducunt ab eo anno, quo *Artaxerxes Longimanus*, poſt defunctum patrem *Xerxem*, imperare cœpit. *Euſebius* quippe, Epiſcopus Cæſarienſis, in *Chronico* aſſerit, *Artaxerxem Longimanum* iniiſſe Regnum anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, ſeu anno Periodi Julianæ 4250. ante Æram vulgarem anno 463. Quam quidem Chronologiæ rationem in præfigenda Epocha Regni *Artaxerxis Longimani* longe ante *Euſebium* tradiderat accuratiſſimus temporum explanator *Julius Africanus* (cujus quinque Chronologiæ libros laudat idem *Euſebius* libr. 6. Hiſtor. Eccleſiaſt. capit. 31. eoſque ferme integros in Chronicon ſuum convaſavit); juxta ſiquidem *Julii Africani* calculum, quando *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex, *vigeſimum Regni ſui habebat annum*, *erat octogeſimæ tertiæ Olympiadis annus quartus*, ut ex *Julii Africani* quinto Volumine refert *Sanctus Hieronymus* in cap. 9. *Danielis*. Hic autem *Julii Africani* calculus aperte ſupponit, annum primum Regni *Artaxerxis Longimani* copulari debere cum anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, ſeu cum anno periodi Julianæ 4250. ante Æram vulgarem anno 463. Nam quinque Olympiades, ut notum eſt omnibus, conficiunt annos viginti. Accedit etiam *Diodorus Siculus*, qui libr. 11. *Biblioth.* refert, *Xerxem*, Perſarum Regem, patrem *Artaxerxis*, *Longimani*, oc-

ciſum

ciſum fuiſſe anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ octavæ, ipſumque *Artaxerxem Longimanum*, ejus filium, *Artabano* Regicida interfecto, Imperii Perſici gubernacula tenere cœpiſſe anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, hoc eſt, poſt obitum patris ſui *Xerxis*, Perſarum Regis. Patet itaque, Hiſtoricos initium annorum Regni *Artaxerxis Longimani* non duxiſſe ab anno duodecimo Regni *Xerxis*, ſicut perperam viſum eſt *Pererio*, *Petavio*, & nonnullis aliis, ſed Epocham Regni *Artaxerſis Longimani* fixiſſe poſt obitum *Xerxis*, ipſius patris.

D. Fuitne hic *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex, in Judæorum Gentem propenſus?

M. In Judæorum Gentem benigniſſimus fuit *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex. Duo quippe Edicta ad inſtauranda mœnia urbis Hieruſalem conceſſit Judæis, unum videlicet anno ſeptimo Imperii ſui, ſicut legitur cap. 7. lib. 1. *Eſdræ*; & alterum anno vigeſimo Imperii ſui, uti ſcriptum legimus cap. 2. lib. 2. *Eſdræ*. Sed, a quonam ex utroque *Artaxerxis Longimani* in gratiam Judæorum conceſſo Edicto auſpicari debeant ſeptuaginta *Danielis* Hebdomadæ, quæ numerum annorum quadringentorum & nonaginta conficiunt? commodius examinabimus in proximo Colloquio, ubi oſtendemus initium lxx. Hebdomadum Prophetæ *Danielis* putari non debere ab eo Edicto, quod *Artaxerxes Longimanus* in gratiam Judæorum conceſſit anno vigeſimo Regni ſui, ſicut opinantur bene multi ſacræ Chronologiæ periti, ſed deſumendum eſſe ab eo Edicto, quod *Artaxerxes Longimanus* in gratiam Judæorum promulgavit anno ſeptimo Regni ſui. Totam Ægyptum ſubegit *Artaxerxes Longimanus*, ſed cum Græcis vario ancipitique marte pugnavit, ac tandem pacem cum illis componere compulſus eſt. Imperavit, ut jam obſervavimus, annis quadraginta, eique in Monarchia Perſica ſucceſſit *Xerxes Secundus*, unicus ejus filius legitimus, quem *Sogdianus*, dictus etiam *Secundianus*, filius ſpurius *Artaxerxis Longimani*, occidit, cum vix quadraginta quinque dies imperaſſet. *Xerxi Secundo*, Perſarum Regi, ſucceſſit ejus parricida *Sogdianus*, ſeu *Secundianus*, qui itidem Imperium Perſicum dum prægustare inciperet, ſublatus fuit ab *Ocho*, altero *Artaxerxis Longimani* filio ſpurio. *Ochus*, ſtatim ac Imperium Perſicum parricidio obtinuiſſet, nomen mutavit, voluitque appellari *Darius*, cui nomini populus addidit cognomen *Nothi*; quod *Artaxerxis Longimani* filius ſpurius eſſet. Babylone mortuus eſt *Ochus*, ſive *Darius Nothus*, Perſarum Rex, cum regnaſſet annos viginti. *Dario Notho* in Monarchia Perſica ſucceſſit filius ejus natu maximus, *Artaxerxes* appellatus, qui a memoriæ felicitate eximia cognomentum *Mnemonis* obtinuit, frequens cum fratre ſuo *Cyro* bellum geſſit, quem tandem in prælio vicit, & in ejus cadaver contumelioſis modis ſæviit. Obiit *Artaxerxes Mnemon*, Perſarum Rex, anno Imperii ſui quadrageſimo tertio, eique filius ſucceſſit dictus *Artaxerxes Ochus*, Princeps crudelis, qui nulla ſanguinis, ſexus, & ætatis miſericordia permotus, promiſcue in omnes cognatos ſuos, & in Principes immanem carnificinam exercuit. Sed *Artaxerxem Ochum*, Perſarum Regem, anno Imperii ſui vigeſimo tertio ægrotantem, *Bagoas*, Eunuchus, militum Tribunus, veneno ſuſtulit, & *Arſen*, filium natu minimum Regis *Artaxerxis Ochi*, occiſis omnibus ejus fratribus, Perſarum Regem conſtituit, quem etiam idem ſceleſtus *Bagoas* interemit, cum imperaſſet annos duos. Occiſo *Arſe*, Perſarum Rege, ad Imperium Perſicum provectus eſt *Darius*, dictus *Codomanus*, in cujus morte finem accepit Monarchia Perſica. Hic autem *Darius Codomanus*, ultimus Perſarum Imperator, continuo bello ab *Alexandro Magno*, Macedonum Rege, appetitus, tribus præliis fuit ſuperatus, quorum primum datum eſt ad Granicum Phrygiæ amnem. Alterum commiſſum eſt ad *Iſſum*, Ciliciæ urbem, ubi *Alexander Magnus* matrem *Darii Codomani*, Perſarum Regis, ejus uxorem, ac filium adhuc puerum, duaſque filias cepit. Tertium denique prælium confertum eſt in Gaugamelis ad flumen Bumadum, ſexcentis circiter ſtadiis ab Arbelis. Hæc pugna, dicta *Arbellana*, decretoria fuit, qua *Darius Codomanus* Perſicum amiſit Imperium, & in Mediam fugere compulſus, a *Beſſo*, Bactrianorum Satrapa, gladio confoſſus eſt anno Imperii ſui ſeptimo. Ejus corpus regio more ſepeliri, & Majorum tumulis inferri juſſit *Alexander Magnus*. Hoc pacto finem habuit Monarchia Perſica, cœpitque ſub *Alexandro Magno* Monarchia Græcorum.

D. Quo facilius percipere poſſim quot annos duraverit Monarchia Perſica, optarem, ut hic Tabulam exhiberes Chronologicam, quæ accurate ab exordio Monarchiæ Perſicæ uſque ad ipſius finem notaret annos, per quos imperarunt Perſarum Reges, & ſimul indicaret annum, quo mortui ſunt.

M. Ducentos & triginta annos Monarchiæ Perſicæ, ſeu Imperio Perſico, tribuit *Q. Curtius*, quia Regno *Cyri*, qui inſtituit Monarchiam Perſicam, dat annos triginta. Verum, quamvis *Cyrus*, ut ſæpius diximus, regnaverit in integrum triginta annos, regnavit tamen in Perſide annos viginti ſeptem, & poſtquam ſub finem anni vigeſimi ſeptimi Regni ſui in Perſide initi viciſſet *Darium Medum* Babyloniorum Regem, & Imperio Babylonico potitus eſſet, regnavit in Babylone tribus annis tanquam ſupremus Perſarum Monarcha. Quapropter, ſi initium Monarchiæ petatur, ſicut peti debet, ab anno primo, quo *Cyrus*, potitus Imperio Babylonico, tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, Babylone imperare cœpit, perſpicuum & exploratum erit, Monarchiam Perſicam duraſſe dumtaxat annos ducentos & duos, non vero ducentos & triginta annos, ſicut te docebit, hæc, quam ſubnecto, Tabula Chronologica.

## TABULA CHRONOLOGICA.

*Exhibens initium & finem Monarchiæ Perſicæ, per continuam ſucceſſionem Regum, qui ei præfuerunt.*

CYrus regnare cœpit in Perſide anno primo exeunte Olympiadis quinquageſimæ quintæ, anno a condita Roma centeſimo nonageſimo quarto, ante Æram Chriſtianam, ſeu ante Natale vulgare Chriſti, anno quingenteſimo ſexageſimo: Regnavit autem *Cyrus* in Perſide annos viginti ſeptem, & anno vigeſimo ſeptimo Regni ſui in Perſide initi devicit *Darium Medum*, Babyloniorum Regem, totoque Imperio Babylonico potitus, Monarchiam Perſicam inſtituit anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, anno a condita Roma ducenteſimo vigeſimo ſecundo ineunte, anno ante Æram Chriſtianam quinquageſimo trigeſimo ſecundo, & poſtquam in Babylonia, tanquam ſupremus Monarcha, regnaſſet tribus annis, obiit anno exeunte tertio Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, anno a condita Roma ducenteſimo vigeſimo quarto, ante Æram Chriſtianam anno quingenteſimo trigeſimo, Monarchiæ Perſicæ anno tertio.

*Cambyſes*, filius *Cyri*, ejuſque in Monarchia Perſica ſucceſſor, imperavit ſeptem annis & mortuus eſt anno ſecundo Olympiadis ſexageſimæ quartæ, anno a condita Roma ducenteſimo trigeſimo primo, ante Æram Chriſtianam anno quingenteſimo vigeſimo tertio, Monarchiæ Perſicæ anno decimo.

*Smerdis Magus*, poſt obitum *Cambyſis*, Monarchiam Perſicam invaſit, & per annum integrum tenuit, fuitque occiſus anno tertio Olympiadis ſexageſimæ quartæ, anno a condita Roma ducenteſimo trigeſimo ſecundo, ante Aeram Chriſtianam anno quingenteſimo ſecundo, Monarchiæ Perſicæ anno undecimo.

*Darius Hyſtaſpis* filius; poſt mortem *Smerdis Magi*, ad ſolium Monarchiæ Perſicæ provectus, imperavit triginta ſex annis, & obiit anno tertio Olympiadis ſeptuageſimæ tertiæ anno a condita Roma ducenteſimo ſexageſimo octavo, ante Aeram Chriſtianam anno quadringenteſimo octuageſimo ſexto, Monarchiæ Perſicæ anno quadraſimo ſeptimo.

*Xerxes* Monarchiam Perſicam rexit annis viginti & uno, & e vivis exceſſit anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ octavæ, a condita Roma anno ducenteſimo octuageſimo nono, ante Aeram Chriſtianam anno quadringenteſimo ſexageſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno ſexageſimo ſeptimo.

*Artaxerxes Longimanus* præfuit Monarchiæ Perſicæ annis quadraginta, & vita functus eſt anno quarto Olympiadis octuageſimæ octavæ, a condita Roma anno trecenteſimo vigeſimo nono, ante Aeram Chriſtianam anno quadringenteſimo vigeſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo ſeptimo.

*Xexes*, hujus nominis ſecundus, & unicus *Artaxerxis Longimani* filius legitimus, ſucceſſit, in Monarchia Perſica patri ſuo, ſed paucos poſt dies a *Sogdiano*, filio ſpurio *Artaxerxis Longimani*, trucidatus eſt eodem anno ante Aeram Chriſtianam quadringenteſimo vigeſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ centeſimo ſeptimo.

*Sogdianus*, parricidio potitus Imperio Perſico, paulo poſt occiſus eſt eodem anno ante Aeram Chriſtianam quadringenteſimo vigeſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ centeſimo ſeptimo.

*Darius*, dictus *Nothus*, quod eſſet *Artaxerxis Longimani* filius ſpurius, proclamatus eſt Perſarum Monarcha eodem anno, quo ipſius pater abiit e vivis, hoc eſt, anno quarto Olympiadis octuageſimæ octavæ, a condita Roma anno trecenteſimo vigeſimo nono, ante Æram Chriſtianam anno quadringenteſimo vigeſimo quinto. Imperavit viginti annis, & e vita migravit anno quarto Olympiadis nonageſimæ tertiæ, a condita Roma anno trecenteſimo quadrageſimo nono, ante Æram Chriſtianam anno quadringenteſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo vigeſimo ſeptimo.

*Artaxerxes*, dictus *Mnemon*, id eſt, memoria præditus, poſt *Darium Nothum*, præfuit Monarchiæ Perſicæ annis quadraginta tribus, & obiit anno tertio Olympiadis centeſimæ quartæ, a condita Roma anno trecenteſimo nonageſimo ſecundo, ante Æram Chriſtianam anno trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo ſeptuageſimo.

*Artaxerxes*, dictus *Ochus*, præfuit Monarchiæ Perſarum annis viginti tribus, fuitque veneno ſublatus anno ſecundo Olympiadis centeſimæ decimæ, a condita Roma quadringenteſimo decimo quinto, ante Æram Chriſtianam centeſimo trigeſimo nono, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo nonageſimo tertio.

*Arſes* filius *Artaxerxis Ochi*, poſt mortem patris, præfuit Monarchiæ Perſicæ duobus annis, fuitque occiſus anno quarto Olympiadis centeſimæ decimæ, a condita Roma anno quadringenteſimo decimo ſeptimo, ante Æram Chriſtianam trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo nonageſimo quinto.

*Darius*, dictus *Codomanus*, ultimus Perſarum Monarcha, imperavit annis ſeptem, & anno ſeptimo Imperii ſui ab *Alexandro Magno*, Macedonum Rege, victus eſt, dumque perſequentem *Alexandrum Magnum* fugeret, interfectus eſt a *Beſſo* anno tertio Olympiadis centeſimæ duodecimæ, a condita Roma anno quadringenteſimo vigeſimo quarto, ante Æram Chriſtianam anno trecenteſimo trigeſimo, Monarchiæ Perſicæ anno ducenteſimo ſecundo, eodemque anno finem habuit Monarchia Perſica, quæ ſubinde duravit per annos ducentos & duos, non vero per annos ducentos & triginta, ſicut per errorem obrepſit *Q. Curtio*.

Ex hac, quam hic attexui, Tabula Chronologica Regum, qui Monarchiæ Perſicæ præfuerunt, facili negotio intelliges, Judæos, circa ſeriem Regum, qui Monarchiam Perſicam rexerunt, in craſſa ignorantia verſari, & *Joſephum*, Hebræum, magni licet apud illos nominis Scriptorem Hiſtoricum, de Perſarum Regum ſerie imperite ſcripſiſſe, ſicut ante me obſervarunt eruditi viri, *Bernar-*

*Bernardus Lamy*, congregationis Oratorii Presbyter, in ſuo Apparatu Chronologico, & *Ferrandus*, in ſupremo Pariſienſi Senatu Cauſidicus, Tom. I. Libri quem gallice edidit, cuique titulus eſt: *Reflexion ſur la Religion Chretienne*. At enim primo, *Joſephus*, Hebræus, in ſerie, quam texit, Regum, qui Monarchiæ Perſicæ præfuerunt, aliquos Perſarum Reges alto ſilentio prætermiſit. Memorat *Cyrum*, qui Judæos e captivitate Babylonica in libertatem aſſeruit; recenſet *Cambyſem*, qui Judæis prohibuit, ne Templum Hieroſolymitanum ædificarent; enumerat *Darium Hyſtaſpis* filium, qui Judæis poteſtatem permiſit extruendi Templum Hieroſolymitanum: percenſet *Xerxem*, faventem Judæis, quem tamen non diſtinguit ab *Artaxerxe Longimano*: meminit *Artaxerxis*, quem itidem non diſtinguit ab *Artaxerxe*, *Mnemone*, ſeu Memorioſo; & omiſſis *Smerde Mago*, *Xerxe Secundo*, *Dario Notho*, & *Artaxerxe Ocho*, Perſarum Regibus, protinus diſſerit de *Alexandro Magno*, quaſi iſti Perſarum Reges nunquam fuiſſent in rerum natura. Secundo, *Joſephus*, Hebræus, ait, *Nehemiam*, qui ad reædificandos Hieroſolymorum muros a Rege Perſarum literas obtinuit, veniſſe Hieroſolymorum urbem, regnante *Xerxe*, cum tamen Scriptura Sacra doceat, *Nehemiam* veniſſe Hieroſolymam, regnante *Artaxerxe Longimano*. Tertio, *Joſephus*, Hebræus, aſſerit *Xerxem*, Perſarum Regem, imperaſſe annos viginti & octo, cum tamen omnes Hiſtorici prophani, qui Hiſtoriam Regum Perſarum literis prodiderunt, Regno *Xerxis* tribuant tantum annos viginti, vel ad ſummum annos viginti & unum. Poſtremo, *Joſephus*, Hebræus, ſcribit, hunc *Jaddum*, Summum Judæorum Pontificem, qui *Alexandro Magno*, dum Hieroſolymorum urbem ingreſſus eſt, occurrit, eumdem eſſe ac Sacerdotem *Jeddoa*, cui coævus fuit *Nehemias*, quemque idem *Nehemias* lib. 2. *Eſdræ* cap. 12. v. 22. recenſet inter Sacerdotes, qui aſcenderunt in Hieruſalem, ut celebrarent dedicationem mœnium ejuſdem urbis. Quin, idem *Joſephus* ibidem, ſeu lib. II. *Antiquit. Judaic.* cap. 7. & 8. affirmat, *Sanaballetem*, Cutæum, ſeu natione Samaritanum, qui *Nehemiam* turbaverat, Hieroſolymorum mœnia reficientem, eumdem plane eſſe ac *Sanaballetem* illum, qui caſtra *Alexandri Magni* ſecutus eſt, ei, urbem *Gazam* oppugnanti, ſuppetias tulit cum auxiliari manu octo millium militum, quique dedit *Manaſſi*, fratri *Jaddi*, Judæorum Summi Pontificis, filiam ſuam, nomine *Nicaſo*, in matrimonium. Ex qua *Joſephi*, Hebræi, narratione palam conſequitur, *Nehemiam*, qui ab *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege, literas impetravit ad inſtaurandos Hieroſolymorum muros, coævum fuiſſe *Jaddo*, qui tempore *Alexandri Magni* fuit Summus Judæorum Pontifex, & *Sanaballeti*, qui ſecutus eſt caſtra *Alexandri Magni*. Id autem oppido falſum eſſe, & ad aniles fabulas ablegandum, tam certum eſt, quam quod maxime. Nam, ſi *Nehemias*, qui a Perſarum Rege *Artaxerxe Longimano* literas ad reficiendos muros urbis Hieruſalem obtinuit, in vivis adhuc fuiſſet tempore *Alexandri Magni*, debuiſſet *Nehemias*, tempore *Alexandri Magni*, habere annos



centum & ſexaginta. Nam, ut videre eſt in Tabula noſtra Chronologica Perſarum Regum, ab exordio Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad *Alexandrum Magnum*, qui Perſarum Monarchiam evertit, & Græcorum Monarchiam inſtituit, interfluxerunt centum triginta quinque anni. Credibile enim eſt, *Nehemiam*, dum literas ab *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege, ad inſtaurandus muros Hieruſalem impetravit, attigiſſe ad minus annum Ætatis ſuæ trigeſimum quintum, ac ſubinde ſi idem *Nehemias* ad tempora *Alexandri Magni* pervenit, ſicut innuit *Joſephus*, Hebræus, neceſſario dicendum eſſet, *Nehemiam*, imperante *Alexandro Magno*, habuiſſe pluſquam centum & ſexaginta annos. Similiter, ſi *Jaddus*, qui tempore *Alexandri Magni* erat ſummus Judæorum Pontifex, idem eſſet ac ille *Jeddoa*, cujus *Nehemias* cap. 12. lib. 2. *Eſdræ* meminit; ſi etiam ille *Sanaballetes*, qui caſtra *Alexandri Magni* ſecutus eſt, idem eſſet ac ille *Sanaballetes*, qui *Nehemiæ*, inſtaurationem mœnium urbis Hieruſalem, ſub *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege, aggredienti obſtitit, ſequeretur, tam *Jaddum*, Pontificem, quam *Sanaballetem* ſub *Alexandro Magno* attigiſſe annum ætatis ſuæ centeſimum & ſeptuageſimum, & tamen utrumque ea ætate fuiſſe vegetum, fortem ac robuſtum, præſertim *Sanaballetem*, quem *Joſephus*, Hebræus, ait, ad ſubeundos omnes militiæ labores, tempore *Alexandri Magni*, ſtrenuum fuiſſe. Quod quidem ab omni veri ſpecie abhorrere videtur, cum id ætatis nulla ſuppetant tantæ longævitatis exempla. Nam, quod nonnulli dicunt, *Mardochæum*, patruum *Eſtheris*, natum fuiſſe, circa hæc tempora, annos pluſquam centum & quinquaginta, pura putaque fabula eſt, ſicut oſtendemus in proximo noſtro Colloquio. Hæc autem circa errores, in quos *Joſephus*, Hebræus, in texenda ſerie Regum, qui Monarchiæ Perſicæ præfuerunt, impegit, obiter obſervaſſe ſufficiat, quo ab illis erroribus ſedulo caveas, & accuratam, quam tibi exhibui, Tabulam Regum Perſarum Chronologicam abſque ulla animi hæſitatione ſequaris. (*a*)

(*a*) „ Joſephum hiſtoricum ſæpe adeo erraſſe in „ narranda Perſarum hiſtoria ægre mihi quidem „ perſuaderetur. Principio quidem ſeriem Regum „ Perſarum minus integre retulit, cum nonnulla in „ ſerie omiſerit. Id vero non ignoratione quadam „ hiſtoriæ gentis adeo celebris, ſed conſilio „ ab eo factum reor; hiſtoriam enim non Perſarum, ſed Judæorum ſcribens, eorum tantummo- „ do Regum Perſarum geſta ſibi propoſuit, quibus res cum Judæis fuit. Cur vero Condomani, „ qui Judæos reliquit in tranquillo, meminerit, ratio eſt in promptu, eo quod ſub illo Judæi in alterius ditionem tranſierint. Profecto Joſephus „ Ephronem Græcum Scriptorem rerum Perſicarum, quas uſque ad Artaxerxem Ochum perſecutus eſt, legerat, cum fragmenta ejus quædam „ afferat; ex quo profecto ſeriem eorum Regum „ noſſe illum ambigi vix poteſt. Hæc habeo ex „ Moyle in Epiſtolis Criticis ad Prideaux legen- „ dis in appendice ad Tom. VI. hiſtoriæ Judaicæ „ a Prideaux Anglice ſcriptæ, dein Gallice verſæ, edition. Amſteledam. an. 1728.



„ Inſu-

„ Inſuper non eſt cur ſtatim incuſetur Joſe-
„ phus, quod Sanaballatem ſocerum Manaſſis eundem ſtatuerit cum Sanaballato, qui Judæis mœnia Jeroſolymorum reficientibus obſtitit. Verum duos hoſce Sanaballates (nam duos extitiſſe Iſ. Voſſius in Chron. Sac. aliique cenſent) a Joſepho confuſos quis dixerit? Unius ille quidem meminit, alterius ſilet; nihil enim dixit, ex quo arguatur, cum de Sanaballato Manaſſis cognato agit, loqui voluiſſe de Sanaballato ex Nehemia cognito.

D. Jam intelligo, Monarchiam Perſicam per ducentos & duos annos duraſſe, & *Alexandrum Magnum*, filium *Philippi*, Macedonum Regis, devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Monarcha, Græcorum Monarchiam inſtituiſſe. At nunc, oſtende, ſi placet, qualis ſunt *Alexandro Magno*, ſupremo Græcorum Monarcha, fuerit Judæorum Status? & quæ ſint præcipuæ victoriæ, quas *Alexander Magnus* reportavit, & quibus ſuum nomen reddidit immortale?

M. Intra paucos annos *Alexander Magnus*, Dux militiæ poſt homines natos maximus, Europæ partem non exiguam, totamque Aſiam in poteſtatem ſuam redegit. Triplici prælio, ut jam obſervavi, *Darium Codomanum*, ultimum Perſarum Imperatorem, devicit, ad *Granicum*, ad *Iſſum*, & in *Gaugamelis*, ſeu ad *Arbella*. Tyrum, Gazamque, munitiſſimas urbes, poſtquam expugnaſſet *Alexander Magnus*, recta venit cum Exercitu Hieroſolymam, eique *Jaddus*, Judæorum Pontifex (alius plane ab illo *Jaddo* Sacerdote, cujus meminit *Nehemias* cap. 12. libr. 2. Eſdræ) obviam ivit, Sacerdotalibus indutus Veſtibus, & ſupplicum cinctus Levitarum turba. Summum Sacerdotem ut vidit *Alexander Magnus*, illum conſalutavit, & Nomen Dei, inſcriptum in lamina aurea, quam in capite geſtabat Summus ille Sacerdos, pronus adoravit & *Parmenioni*, eum interroganti quorſum ipſe, qui ab omnibus adorabatur, Judæorum Pontificem adoraret? reſpondit *Alexander Magnus* (ſicut refert *Joſephus*, Hebræus, lib. 11. Antiq. Judaic. capit. 8.) *Non hunc*, id eſt, Judæorum Pontificem, *ſe adoraſſe*, *ſed Deo*, *cujus Pontifex eſſet*, *honorem eum exhibuiſſe*. *Hunc enim*, *inquit*, *vidi & antea hoc ipſo habitu*, *cum adhuc eſſem in Dio Macedoniæ*, *qui me deliberantem*, *quomodo Aſiam poſſem ſubigere*, *hortatus eſt forti eſſe animo*, *& ſine mora Exercitum trajicere*. *Nam ſuo ductu potiturum me Perſarum Imperio &c.* (a) Hæc ubi *Parmenioni* dixiſſet *Alexander Magnus*, aſcendit in Templum Hieroſolymitanum, Deo, ex Summi Sacerdotis præſcripto, obtulit Sacrificia, Judæis permiſit, ut patriis ſuis Legibus viverent, eiſque ſeptimo quoque anno conceſſit tributorum immunitatem. Sub *Alexandro Magno*, Græcorum Monarcha, contigit Judæos inter & Samaritanos graviſſimum diſſidium, cui anſam & occaſionem præbuit *Manaſſes*, frater *Jaddi*, Summi Judæorum Pontificis. *Manaſſes* ſiquidem contra Legis Moſaicæ præſcriptum, & patrios Judæorum mores, uxorem duxit filiam *Sanaballetis*, Satrapæ Ethnici, qui *Darii*, Perſarum Regis, nomine Samariam regebat. Ob hanc Legis Moſaicæ tranſgreſſionem *Manaſſes* Sacerdotio abdicatus eſt, ſed prædilectam uxorem ſuam dimittere nolens, confugit ad *Sanaballetem*, ſocerum ſuum, a quo præfectus eſt Templo in monte *Garizin* extructo, ibique Pontificem ſe geſſit, & implacabile Judæos inter, & Samaritanos odium concitavit, & dirum ſchiſma quo jam a tempore *Jeroboami*, Regis Iſraelis, erant ſeparati, auxit ac fovit. Infinitus eſſem, ſi omnes Gentes, quas armis ſubegit *Alexander Magnus*, & ſingulas, quas retulit, victorias hic percenſere vellem. Sufficiet, ſi dixerim *Alexandrum Magnum* totam Ægyptum ſuo adjunxiſſe Imperio, ibique urbem condidiſſe, quam de ſuo nomine *Alexandriam* appellavit; eum Babylone, Suſiſque potitum, fuiſſe: uno verbo, cum nullo hoſte congreſſum eſſe, quem non vicerit, nullam urbem obſediſſe, quam non expugnaverit, nullam gentem adiiſſe, quam non domuerit, & a fera belluinaque vitæ ratione ad humaniores mores non traduxerit. Talem fore *Alexandrum Magnum*, Græcorum Monarcham, prædixit Propheta *Daniel* cap. 11. verſ. 3. dicens: *Surget vero Rex fortis*, *& dominabitur poteſtate multa*, *& faciet quod placuerit ei*. Sed, ſi plura de victoriis, quas in Bactriana, Carmania, India, Hircania, Gedroſia, in Gente Brachmanum, & in aliis pluribus locis, retulit *Alexander Magnus*, ſcire aveas, legeſis *Diodorum Siculum* lib. 17. *Q. Curtium*, *Juſtinum*, *Plutarchum* in vita *Alexandri*, & *Arianum*. *Regnavit Alexander annis duodecim*, inquit ſacer Auctor lib. 1. Machabæorum. Sed annis ſex regnavit tanquam Macedonum Rex, ſex vero annis regnavit tanquam ſupremus Græcorum Monarcha, poſtquam videlicet devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Monarcha, Babylone potitus, Monarchiam Græcorum inſtituit, cui per ſex dumtaxat annos præfuit, & Babylone, morbo ex nimia compotatione contracto, annos natus triginta duos, vel, ut alii volunt, triginta tres inchoatos, præmatura morte raptus eſt anno primo Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ, a condita Roma anno quadringenteſimo trigeſimo, ante Aeram Chriſtianam, ſeu ante Natale Chriſti Domini, trecenteſimo vigeſimo quarto. Hic autem velim breviter obſerves, ſacrum Auctorem lib. 1. Machabæorum recte & citra ullum vel minimum errorem cap. 1. verſ. 1. ſcribere, *Alexandrum* primum fuiſſe, qui regnaverit in Græcia. Quamvis enim certiſſime conſtet, plures, ante *Alexandrum Magnum*, ejuſque patrem *Philippum*, regnaſſe in Græcia Reges Macedonum, Lacedæmoniorum, Corinthiorum, Athenienſium, ſicut ex Chronico *Euſebii Cæſarienſis* liquido patet, attamen *Alexander Magnus* primus fuit, qui, poſt devictum *Darium Codomanum*, ultimum Perſarum Monarcham, cœpit cum ſummo Imperio, id eſt, tanquam ſupremus Monarcha, regnare in Græcia. Hinc ab *Alexandro Magno*, ut fatentur omnes Hiſtorici, auſpicatur Græcorum Monarchia, quam ipſemet *Alexander Magnus* inſtituit, & per ſex annos, ut mox diximus, tenuit.

„ (a) Hæc Alexandri magni in *Judæam* expe-
„ ditio

„ ditio, quæque ex ea expeditione conſequuntur, „ adoratio ſcilicet Jaddo ſummo Sacerdoti præſtita, & ſacrificium vero Judæorum Deo ab Alexandro oblatum, a Moyle, Anglo eruditiſſimo, in Epiſtola ad D. Prideaux ſollicitantur, ſicut & de veritate ejus dubitat Fabricius bibliot. præc. tom. 2. pag. 206. Ejus argumenta ſunt, omnium veterum hiſtoricorum ſilentium; teſtimonium Arriani lib. 2. affirmantis Palæſtinam univerſam, excepta Gaza, in poteſtatem Alexandri deveniſſe. Quomodo ergo Alexander poſt captam Gazam in Judæam venerit, ad eam ſcilicet redigendam, uti Joſephus in hac hiſtoria narrat? Inſuper Arrianus teſtatur Alexandrum, capta Gaza, in Ægyptum (non ergo in Judæam) perrexiſſe. Fatetur equidem ſcriptor iſte legi apud Plinium hiſtor. lib. XII. cap. 25. *Alexandro Magno res ibi gerente*, atque illud *ibi* a multis exponi de Jericho urbe balſami ferace (de balſamo enim agit eo loci Plinius). Verum notat nomen urbis a Plinio nequaquam explicari; & facile exponi poteſt de Tyro, vel Gaza. Argumenta cetera trahit ſcriptor iſte ex hiſtorica narratione Joſephi, in qua multa continentur inter ſe, vel cum moribus Alexandri minime conſtantia. Attamen non eſt cur ab antiquo auctore, & tantæ auctoritatis, allerta hiſtoria his conjecturis elevari poſſit; neque illæ tantæ ſunt, ut reſponſione aliqua emolliri non poſſint. Alexander totam Palæſtinam ſibi quidem ſubegerat; potuit enim Jaddus in fide Darii perſiſtere, quamquam univerſa Palæſtina Alexandrum Magnum agnoſceret dominum; vel ſaltem certum eſt Alexandrum ſibi perſuaſiſſe ſubjectos habere ſibi Palæſtinos, ex qua perſuaſione inductus legationem miſit ad Jaddum, ut ſibi ea ſtipendia ſolveret, quæ Dario pendebantur. Jaddo recuſante, Alexander acerbe repulſam pertulit, adeoque & ſtatuit arma in Judæam inferre: hæc autem expeditio adeo brevis fuit, & parvi momenti, ut a Scriptoribus referri nequaquam meruerit. Hinc veterum de illa ſilentium. Reliqua adeo levia ſunt, ut expendi nequaquam debeant.

D. Mortuo *Alexandro Magno*, perſtititne Monarchia Græcorum, quæ ab ipſo fuerat inſtituta?

M. Poſt obitum *Alexandri Magni* deſiit, & cum ipſo conſepulta eſt Græcorum Monarchia, quam inter ſe partiti ſunt Duces Exercitus *Alexandri Magni*, variaque conſtituerunt Regna, inter quæ præcipua fuerunt Regna Macedoniæ, Ægypti, & Syriæ. Seriem itaque, & ordinem ſucceſſorum *Alexandri Magni* in his tribus Regnis exacte hic deſcribam, prætermiſſis tamen, ne longior ſim, eorum geſtis, bellis, ac victoriis, quæ omnia non ad Hiſtoriam Sacram, ſed ad Prophanam ſpectantia, prolixe tractata invenies apud *Uſſerium* libr. 2. *De Annalibus veteris Teſtamenti*. Incipiam porro a ſerie, & ordine ſucceſſorum *Alexandri Magni* in Regno Macedoniæ.

## SERIES REGUM,

*Qui ſucceſſerunt Alexandro Magno in Regno Macedoniæ.*

ARidæus, frater *Alexandri Magni*, ſed ſpurius, quem *Philippus* Macedonum Rex, pater *Alexandri*, *Magni* ex ſcorto ſuſceperat, regnare cœpit in Macedonia anno primo poſt mortem *Alexandri Magni*, ante Æram Chriſtianam anno trecenteſimo vigeſimo tertio. Regnavit autem ſeptem annis, & obiit ante Æram Chriſtianam, ſeu ante Natale vulgare Chriſti, anno trecenteſimo decimo ſeptimo.

*Caſſander* regnare cœpit anno ante Æram Chriſtianam trecenteſimo decimo ſeptimo, regnavit novemdecim annis, & mortuus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo octavo.

*Philippus*, frater *Caſſandri*, regnare cœpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo octavo, regnavit uno dumtaxat anno, & abiit e vivis anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo ſeptimo.

*Antipater*, & *Alexander*, filii *Caſſandri*, regnare cœperunt anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo ſeptimo. Regnarunt tribus annis, & e vivis exceſſerunt anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo quarto.

*Demetrius Poliorcetes* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo quarto. Regnavit ſex annis, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo octavo.

*Pyrrhus* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo octavo. Regnavit ſeptem dumtaxat menſes, & mortuus eſt eodem anno.

*Lyſimachus* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo octavo. Regnavit ſex annis, & obiit ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo ſecundo.

*Arſinoe*, uxor *Lyſimachi*, regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo ſecundo. Regnavit tantum ſeptem menſes, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo primo.

*Ptolomæus Lagi* F. regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo primo. Regnavit duobus annis, & vita functus eſt anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo nono.

*Meleager* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo nono. Regnavit tantum menſes duos, & mortuus eſt eodem anno.

*Antipater* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo nono. Regnavit tantum dies quadraginta quinque, & exceſſit eodem anno.

*Soſthenes* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo nono. Regnavit duobus anni, & obiit ante Aeram Chriſtianam anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

*Antigonus Gonatas* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

Regnavit annis triginta ſex, & vitam cum morte commutavit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo primo.

*Demetrius*, filius *Antigoni Gonatæ*, regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo primo. Regnavit decem annis, & migravit e vita anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo trigeſimo primo.

*Antigonus* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo trigeſimo primo. Regnavit duodecim annis, & mortuus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo decimo nono.

*Philippus*, filius *Demetrii*, regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo decimo nono. Regnavit quadraginta duobus annis, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

*Perſeus* regnare cœpit anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo octavo, & poſtquam decem annos regnaſſet (totidem enim Regni annos ei tribuit Euſebius) a Romanis anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo octavo victus fuit, ut ſcribit ſacer Auctor lib. 1. Machabæorum, cap. 8. verſ. 5. ubi loquendo de Romanis, hæc habet: *Et Philippum, & Perſen, Ceterorum Regem*, id eſt Macedoniæ, *& cæteros, qui adverſus eos*, (id eſt, Romanos) *arma tulerant, contriverunt in bello, & obtinuerunt eos*. In prælio, quod cum *Perſeo*, ultimo Macedonum Rege, conſeruit *Aemilius Paulus*, Romanorum Conſul, cæſa ſunt viginti millia Macedonum, & capta decem millia, ſicut teſtantur *Livius* lib. 44. *Vellejus Patereulus* lib. 1. *Plutarchus* in *Aemilio Paulo*, *Juſtinus* l. 33. *Florus* l. 2. c. 12. & *Eutropius* l. 4. In *Perſeo* itaque ultimo Macedonum Rege, anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo octavo, extinctum eſt a Romanis Regnum Macedonum, cui a tempore *Carani*, conditoris Regni Macedonici, uſque ad *Perſen*, ſeu *Perſeum*, ultimum Macedonum Regem, a Romanis victum, præfuerunt triginta novem Reges. A morte vero *Alexandri Magni* uſque ad eumdem *Perſeum*, ultimum Macedonum Regem, a Romanis devictum, Regni Macedonici clavum gubernarunt ſeptemdecim illi Reges, quorum ſeriem hic deſcripſi.

D. Quinam in Regno Aegypti fuerunt ſucceſſores *Alexandri Magni?* & qualis ſub illis Regibus Aegypti fuit Status Judæorum?

M. Antequam ſeriem hic exhibeam Regum, qui mortuo *Alexandro Magno*, in Regno Aegypti ſucceſſerunt, velim primo obſerves, eodem anno, quo obiit *Alexander Magnus*, Aegyptum, & quidquid Lybiæ, ac Cyrenaicæ *Alexander Magnus* obtinuerat, cum omni illa Arabiæ parte, quæ Aegypto adjacet, obtigiſſe *Ptolomæo Lagi* filio. Porro, hic *Ptolomæus Lagi* filius licet initio non Rex, ſed Satrapa, ſive Præfectus appellaretur, neque diadema, nomenque Regium, niſi poſt annos duodecim ab obitu *Alexandri Magni*, uſurpaverit, nihilominus annos ipſius Regni in Aegypto numerant *Lucianus in Macrobiis*, *Euſebius in Chronico*, *S. Epiphanius* in lib. *De Ponderibus & Menſuris* ab anno, quo *Alexander Magnus* obiit. Præterea, velim obſerves, *Æram Lagidarum*, ſic dictam a *Ptolomæo Lagi* filio, qui primus poſt obitum *Alexandri Magni* regnavit in Aegypto, non auſpicari ab anno, quo mortuus eſt *Alexander Magnus*, ſed ab anno, quo *Alexander Magnus*, poſt celebrem illam ad Arbella victoriam de *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Monarcha, reportatam, cœpit tanquam ſupremus Græcorum Monarcha regnare in Aſia, anno videlicet ante Aeram Chriſtianam trecenteſimo vigeſimo nono. Hac Aera, dicta *Lagidarum*, uſi ſunt Græci in putandis annis Regni Græcorum ſub *Ptolomæis* dictis *Lagidis*, qui poſt obitum *Alexandri Magni* regnarunt in Aegypto, ita ut initium Regni Græcorum in Aegypto non deſumerent ab anno, quo *Ptolomæus Lagi* filius, poſt obitum *Alexandri Magni*, primus cœpit regnare in Aegypto, ſed Regni Græcorum exordium ducerent ab anno, quo *Alexander Magnus*, devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Rege, inſtituit Monarchiam Græcorum ipſeque, tanquam ſupremus Græcorum Monarcha, in Aſia imperare cœpit, & Monarchiam per ſex annos tenuit. His prælibatis, dabo nunc accuratam ſeriem Regum, qui, demortuo *Alexandro Magno* in Regno Aegypti ſucceſſerunt.

## SERIES REGUM,

*Qui, demortuo Alexandro Magno, in Regno Ægypti ſucceſſerunt.*

PTolomæus *Lagi* filius, anno primo poſt obitum *Alexandri Magni*, ſeu anno ante Aeram Chriſtianam trecenteſimo vigeſimo tertio, ſucceſſit *Alexandro Magno* in Regno Aegypti, Hieroſolymorum urbem dolo occupavit, & ad centum hominum millia ex Judæa in Aegyptum traduxit, ſicut teſtantur *Joſephus*, Hebræus, libr. 12. *Antiq. Jud.* c. 1. & 2. & *Euſebius* in Chronico. Princeps fuit literarum amans, & Bibliothecam inſtructiſſimam Alexandriæ inſtituit, eique præfecit *Demetrium Phalereum*, clariſſimum Athenienſem Philoſophum. Duas uxores habuit Rex *Ptolomæus Lagi* filius, videlicet *Euridicem*, & *Berenicem*. Regnavit quadraginta annis, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo tertio, & anno Aeræ Lagidarum quadrageſimo ſexto.

*Ptolomæus Philadelphus*, filius *Ptolomæi Lagi*, & conjugis *Berenices*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Aegypti anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo tertio. Ejus juſſu lxx. Interpretes Libros Sacros ex Hebraica Lingua in Græcam tranſtulerant, ſeu celeberrimam illam Scripturæ Sacræ Verſionem Græcam adornarunt, quæ ſex prioribus circiter Eccleſiæ ſæculis fuit in uſu in Eccleſia Catholica, donec in ejus locum ſuffecta fuerit Editio vulgata, a *Sancto Hieronymo* lucubrata. Regnavit *Ptolomæus Philadelphus*, poſt obitum patris ſui triginta octo annos, & exceſſit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo quinto, & anno Aeræ Lagidarum octuageſimo quarto.

*Ptolomæus Evergetes I.* filius *Ptolomæi Philadelphi*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Ægypti anno ante

ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo quinto. Univerſam Syriam armis occupavit, & in gratiarum actionem venit Hieroſolymam, ibique multa Sacrificia Euchariſtica Deo obtulit, & donaria dicavit tam inſigni victoria digna, teſte *Joſepho*, Hebræo, lib. 2. contra *Apionem*. Patrem ſuum Regem *Philadelphum*, & Literarum & Bibliothecæ Alexandrinæ amplificandæ ſtudio æmulatus eſt. Regnavit viginti ſex annis, & (teſte *Juſtino* lib. 29. cap. 1.) occiſus eſt a filio ſuo *Ptolomæo Philopatore*, anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo decimo nono, & anno Aeræ Lagidarum centeſimo decimo.

*Ptolomæus Philopator*, parricida, ſucceſſit patri ſuo *Ptolomæo Evergeti* anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo decimo nono. Sed ſicut ſceleſtus in occupando Regno fuit, ita ſegniter in eo adminiſtrando ſe geſſit, ut fidem faciunt *Juſtinus* lib. 29. cap. 1. *Polybius* lib. 15. *Plutarchus*, in *Erotico* & *Cleomene*, aliique. Regnavit *Ptolomæus Philopator* annis ſeptemdecim, & obiit ante Aeram Chriſtianam anno ducenteſimo ſecundo, & anno Aeræ Lagidarum centeſimo vigeſimo ſeptimo.

*Ptolomæus Epiphanes*, filius *Ptolomæi Philopatoris*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Aegypti anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo ſecundo. Regnavit annis viginti quatuor, & veneno ſublatus eſt anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo octavo, & anno Regni Lagidarum centeſimo quinquageſimo primo.

*Ptolomæus Philometor*, filius *Ptolomæi Epiphanis*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Aegypti anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo octavo. Regnavit annis triginta quinque, & in prælio adverſus *Alexandrum Balam*, Syriæ Regem, victor licet, vulneratus, obiit poſt quatriduum, anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo tertio, & anno Aeræ Lagidarum centeſimo octuageſimo ſexto.

*Ptolomæus Evergetes II.* ſucceſſit fratri ſuo *Ptolomæo Philometori* anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo tertio. Fuit a corporis ſagina appellatus *Phiſcon*, ſeu *Ventroſus*. Eum crudeliſſimum fuiſſe ſcribit *Juſtinus* libr. 38. cap. 8. Regnavit *Ptolomæus Evergetes II.* annos viginti novem, & abiit e vivis anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo decimo quarto, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo decimo quinto.

*Ptolomæus Laturus*, filius *Ptolomæi Evergetis II.* & *Cleopatræ* conjugis, regnare cepit una cum matre *Cleopatra* anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo decimo quarto; ſed, poſtquam cum matre regnaſſet annos ſeptemdecim, fuit ab eadem matre, ſeu potius noverca, injuſte e Regno expulſus anno ante Æram Chriſtianam nonageſimo ſeptimo, & anno Æræ Lagidarum ducenteſimo trigeſimo ſecundo.

*Ptolomæus Alexander I.* frater junior *Ptolomæi Laturi*, in ejus locum a matre *Cleopatra* ſubſtitutus eſt, cepitque in Aegypto regnare anno ante Aeram Chriſtianam nonageſimo ſeptimo, dum adhuc frater ipſius *Ptolomæus Laturus* ſuperſtes eſſet, ſed exul e Regno. Per decem annos in Aegypto regnavit *Ptolomæus Alexander*, ſed, cum matrem ſuam *Cleopatram*, quæ illi exitium moliebatur, interfeciſſet, concurſu populi in exilium actus, ac Regno privatus eſt anno ante Aeram Chriſtianam octuageſimo ſeptimo, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo quadrageſimo ſecundo.

*Ptolomæus Laturus*, frater *Ptolomæi Alexandri*, ab exilio revocatus, ſecundo regnare cœpit in Aegypto anno ante Aeram Chriſtianam octuageſimo ſeptimo. Regnavit octo annis, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ſeptuageſimo nono, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo quinquageſimo.

*Ptolomæus Alexander II.* nepos *Ptolomæi Laturi*, & filius *Ptolomæi Alexandri I.* Regnum Aegypti obtinuit anno ante Aeram Chriſtianam ſeptuageſimo nono. Sed, cum Alexandrini Regem hunc inſolentius imperantem ferre minime poſſent, eum, poſtquam regnaſſet novemdecim dies, eodem anno interemerunt.

*Ptolomæus Alexander III.* filius *Ptolomæi Alexandri I.* regnare cœpit in Aegypto anno ante Aeram Chriſtianam ſeptuageſimo nono. Regnavit ſeptemdecim annis, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ſexageſimo ſecundo, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

*Ptolomæus Auletes*, *Nothus*, regnare cœpit in Aegypto anno ante Aeram Chriſtianam ſexageſimo ſecundo. Regnavit tredecim annis, & mortuus eſt anno ante Aeram Chriſtianam quadrageſimo nono, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo octuageſimo.

*Ptolomæus*, dictus *Dionyſius*, filius *Ptolomæi Auletis*, cœpit poſt mortem patris ſui regnare in Aegypto, una cum ſua ſorore famoſa *Cleopatra* anno ante Aeram Chriſtianam quadrageſimo nono. Regnavit cum ſua ſorore *Cleopatra* quinque annis, & deinde, expulſa ſorore ſua *Cleopatra*, e Regio Solio dejectus eſt anno ante Aeram Chriſtianam quadrageſimo quarto, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo octuageſimo quinto.

*Cleopatra*, ſoror *Ptolomæi*, dicti *Dionyſii*, ad Regnum Aegypti, e quo a fratre ſuo fuerat extruſa, revocata eſt, & agente *Julio Cæſare*, a Romanis in Aegyptum miſſo, Regina Aegypti conſtituta, præfuit ſola huic Regno per quindecim circiter annos, hoc eſt, uſque ad annum ante Aeram Chriſtianam trigeſimum, qui fuit annus trecenteſimus Aeræ Lagidarum, quo anno *Octavius Auguſtus*, Romanorum Imperator, qui anno præcedenti *Marcum Antonium*, a quo ſtabat *Cleopatra*, Regina Aegypti, in pugna Actiaca omnino profligaverat, Alexandriam urbem expugnavit, & in ſuam redegit poteſtatem. Tunc enim *Cleopatra*, Regina Aegypti, primum, quaſi mortis ſibi conſciſcendæ cauſa, in monumentum inſiluit, quod ubi reſcivit *M. Antonius*, verumque eſſe putans, necem ſibi intulit, & in ſinu *Cleopatræ* mortuus eſt. Mortem *M. Antonii* confeſtim *Auguſto*, Imperatori, nuntiavit *Cleopatra*, eique Regnum Aegypti dedidit. Sed, cum pertimeſceret, ne ab *Auguſto* in triumphum ſervaretur, Romamque duceretur, regio cultu exornata, in aureo lectulo recubuit, ibique, morſu aſpidis, ſiniſtro brachio admotæ

ista,

iſta, exanimis inventa eſt, ut tradunt *Florus* lib. 4. cap. 2. *Vellejus Paterculus* lib. 2. cap. 87. *Plutarchus* in *Antonio*, *Dio* lib. 51. *Eutropius* lib. 7. & *Oroſius* lib. 6. cap. 19. Sic periit *Cleopatra*, Ægypti Regina, multorum Scriptorum ſermone celebrata, de cujus impotenti ambitione, qua Imperium etiam in Romanos ſperare auſa eſt, & de fœdis illius amoribus, præſertim cum *Julio Cæſare*, cui *Cæſarionem* filium peperit, & cum *M. Antonio*, ex quo liberos ſuſcepit, eoſdem Auctores, quos mox laudavi, lectitare poteris. Mortua *Cleopatra*, Regnum Ægypti in poteſtatem Populi Romani redactum eſt, & deinceps Imperii Romani Provincia fuit. Ab exordio autem Regni *Ptolomæi Lagi* filii in Ægypto, poſt obitum *Alexandri Magni*, uſque ad *M. Antonii* & *Cleopatræ* mortem, cum quibus Regnum Ægypti deſiit, & apud *Ptolomæum*, tum in Regum Canone, tum in Operis magni libro tertio, & apud *Clementem Alexandrinum* lib. 1. *Stromatum*, numerantur anni ducenti nonaginta quatuor, quibus ſi addas annos Monarchiæ *Alexandri Magni*, a cujus exordio incipit Aera Lagidarum, comperies, Regnum Ægypti veniſſe in poteſtatem Romanorum anno trecenteſimo Aeræ Lagidarum.

D. Habeo nunc accuratam ſeriem non ſolum Regum Babyloniæ, quibus Iſraelitæ a tempore *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, a quo in captivitatem Babylonicam fuerunt abducti, per ſeptuaginta annos prædictæ captivitatis ſervierunt, ſed etiam ſeriem Regum Perſarum, a *Cyro*, qui inſtituit Monarchiam Perſicam, uſque ad *Darium Codomanum*, ultimum Perſarum Monarcham, quem devicit *Alexander Magnus*, & Monarchiam Græcorum per ſexennium tenuit. Habeo inſuper ſeriem Regum, qui, demortuo *Alexandro Magno*, ſucceſſerunt in Regno Macedoniæ uſque ad *Perſeum*, ultimum Macedonum Regem, qui fuit victus a Romanis: denique, ſeriem Regum, qui *Alexandro Magno*, vita functo, ſucceſſerunt in Regno Ægypti uſque ad *Cleopatram*, poſt cujus Reginæ Ægypti obitum Romani in ſuam poteſtatem Regnum Ægypti redegerunt, & inter Provincias Imperii Romani numerare cœperunt. Supereſt nunc, ut hic ſubjicias ſeriem Regum, qui, defuncto *Alexandro Magno*, ſucceſſerunt in Regno Syriæ. Antequam tamen id oneris ſuſcipias, rem mihi gratiſſimam faceres, ſi uberiorem traderes notitiam illius Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Verſionis Græcæ, quam, regnante in Ægypto *Ptolomæo Philadelpho*, a ſeptuaginta Interpretibus adornatam fuiſſe, memini, te paulo ante in texenda ſerie Regum, qui *Alexandro Magno* in Regno Ægypti ſucceſſerunt, obiter tantum obſervaſſe. In primis itaque ſcire velim, quo pacto hæc Græca Scripturæ Sacræ Verſio, regnante in Ægypto *Ptolomæo Philadelpho*, facta fuerit?

M. Votis tuis ut faciam ſatis, breviter hic referam Hiſtoriam hujuſce Sacrorum Librorum Verſionis Græcæ excerptam ex *Ariſteæ* Epiſtola ad *Philocratem*, quæ etiamnum extat, & omnium eruditorum teritur manibus. *Demetrius Phalereus*, inſignis Bibliothecæ *Ptolomæi Philadelphi*, Ægypti Regis, Præfectus, conquiſitis undique libris eam uſque adeo auxerat ac locupletaverat, ut pluſquam ducenta Voluminum millia complecteretur. Quod cum ſciſcitanti *Ptolomæo Philadelpho*, Ægypti Regi, præſente *Ariſtea*, renunciaret *Demetrius Phalereus*, adjecit, daturum ſe operam, ut brevi Bibliotheca Regia ad quingenta millium librorum numerum pertingeret, eidemque Regi ſignificavit, Judæorum Leges dignas eſſe, quæ ex Hebræa Lingua in Græcam translatæ in ejus Bibliotheca reponerentur. *Demetrii Phalerei* petitioni ultro annuit *Ptolomæus Philadelphus*, Rex Ægypti, ſcripſitque ad Summum Judæorum Sacerdotem *Eleazarum*, qui in gratiam beneficiorum, quæ Judæi ab eodem Rege acceperant, ſex ex ſingulis Tribubus ſenes, honeſtate vitæ, & peritia Legum præſtantes ad interpretandas Scripturas Sacras miſit ad Regem, a quo poſtquam perhumaniter fuiſſent excepti, in proximam Inſulam delati ſunt a *Demetrio Phalereo*, & in ſplendida domo locati, in qua ad nonam uſque horam legis interpretationi operam navabant, ſicque collatis Exemplaribus, unaque congregati, ſpatio ſeptuaginta duorum dierum interpretationem abſolverunt. His peractis, *Demetrius Phalereus* totam interpretationem coram Judæis, qui in Ægypto erant, perlegit, qui eam ſummis celebrarunt laudibus, & diras imprecati ſunt his, qui huic Verſioni Scripturæ Sacræ aliquid addere, vel demere, vel quidpiam in ea immutare præſumerent. En tibi, juxta *Ariſteæ* Epiſtolam ad *Philoſtratem*, hiſtoriam Verſionis lxx. Interpretum, qui licet numero fuerint ſeptuaginta duo, hæc tamen Græca Scripturæ Sacræ Verſio, cui concinnandæ incubuerunt, vulgo appellari ſolet numero rotundo Verſio lxx. Interpretum. Porro, veritatem hujus hiſtoriæ Verſionis lxx. Interpretum, ab *Ariſtea* relatæ, calculo ſuo comprobant Scriptores Ethnici *Ariſtobolus Hecatæus*, *Clearchus*, & apud Judæos *Joſephus*, & *Philo*. Nec *Sanctus Hieronymus*, parum alioqui addictus Verſioni ſeptuaginta Interpretum, quæ ipſius ætate vitiata erat, unquam dubitavit de veritate Hiſtoriæ Verſionis ſeptuaginta Interpretum, quam literis prodiderunt *Ariſtæas*, & *Joſephus*, Hebræus, ſed potius utrumque Scriptorem citat. Quocirca jure optimo explodi debent vanæ conjecturæ, queis plus æquo indulgent moderni quidam Critici, quos inter cenſentur *Henricus Valeſius*, *Humfredus Hody* in Opere, quod edidit contra Hiſtoriam *Ariſteæ*, *Antonius Van-Dale* in Diſſertatione ſupra Hiſtoria *Ariſteæ*, *Scaligerus* in Animadverſionibus in Chronicon *Euſebii Cæſarienſis*, aliique non pauci, qui Thalmudis fabulas & ineptias ſecuti, aſſerunt hanc Verſionem Græcam Scripturæ Sacræ eſſe *Opus quinque ſeniorum*, libereque pronuntiant, illos libros, quos nunc habemus, *Ariſteæ*, *Ariſtoboli*, *Hecatæi*, & *Clearci* nominibus inſcriptos, non eſſe genuinos illorum Scriptorum Ethnicorum

fœtus

fœtus, ſed a Judæis Helleniſtis data opera fuiſſe illis affictos, quo facilius ſub illis Scriptorum titulis, quaſi ſub larva latitantes, prædictæ Verſioni Græcæ, quam in ſummo pretio habebant, majorem poſſent conciliare auctoritatem. Verum, iſtorum intemperantioris Critices hominum, qui certiſſima Hiſtoriæ, & Antiquitatis monumenta a locupletiſſimis teſtibus literis conſignata inficias ire, aut in dubium revocare præſumunt, futiles conjecturas flocci facere debemus, maxime, cum jam a viris eruditis *Waltono*, & utroque *Voſſio* fuerint ſat ſuperque confutatæ. Advertere tamen obiter debes, *Ariſteam*, qui, ut teſtis oculatus, totius rei geſtæ hiſtoriam deſcripſit, aſſerere, lxx. Interpretes in magnam Baſilicam conveniſſe, ut Libros Sacros græce interpretarentur, ac ſubinde ſtare non poſſe ſententiam quorumdam, qui, *SS. Juſtinum*, *Irenæum*, & *Cyrillum Hieroſolymitanum* ſecuti, affirmant, lxx. Interpretes in totidem cellulis incluſos hanc Græcam Scripturæ Sacræ Verſionem perfeciſſe, vel cum *S. Epiphanio*, in libro *De Ponderibus & Menſuris* ajunt, ſeptuaginta Interpretes in Cellulis binos incluſos hanc Scripturæ Sacræ Verſionem adornaſſe. De his quippe ſeptuaginta Cellulis, in quibus ſeorſim incluſi lxx. Interpretes univerſam Scripturam Sacram in Græcum ſermonem verterint, ne minimam quidem mentionem faciunt *Ariſtæas*, *Joſephus*, Hebræus, & *Sanctus Hieronymus*, ſed ſolum ajunt ſeptuaginta Interpretes in publico quodam loco, ſeu in magna Baſilica, ab omni tumultu & ſtrepitu remota, congregatos, atque invicem conferentes, huic lucubrandæ Scripturæ Sacræ Verſioni operam dediſſe, ultimamque admoviſſe manum. Quod ſane veritati Hiſtoriæ videtur mihi magis conſentaneum. Non nego tamen, ſeptuaginta illos Interpretes habuiſſe ſingulos proprium cubiculum, ſeu cellulam, in qua ſtudiis & orationi vacare, atque Scripturæ Sacræ meditationi incumbere poſſent. Quis enim, amabo, credat, ſeptuaginta illos Interpretes in Inſula *Pharos* ſub dio jacuiſſe, nec ullam habuiſſe cellulam, in quam ſtatis horis ſeſe reciperent? Hoc unum igitur dumtaxat nego, videlicet ſeptuaginta Interpretes in totidem cellulis incluſos univerſam Scripturam Sacram ſeorſim græco idiomate donaſſe, ſicut aperte negat *S. Hieronymus*, qui, ut omnes norunt, ſumma prudentia, & accuratiſſimo criterio verum a falſo ſecernens, incertis opinionibus, falſo rumore ſparſis, aurem nunquam accommodavit. (*a*)

„ (*a*) Hodie inter eruditos regnat opinio, quę „ totam Ariſtææ hiſtoriam, adeoque & de ſe„ptuaginta Interpretibus narrationem inter fa„bellas amandat, quod multis argumentis ſibi „ perſuaderi dijudicat. Principio quidem notat „ hiſtoriam hanc varie a variis narrari; aliam „ enim habet Joſephus, aliter rem norat S. Ju„ſtinus Martyr, aliter alii. Inſuper epiſtolæ o„mnes, quas Ariſtæas in ſua hiſtoria inſeruit, „ & a pluribus ſcriptæ exhibentur; unius tamen „ ejuſdem ſtili ſunt, quod non obſcure indicat „ auctorem opuſculi proprio marte illas cndiſſe. „ Addunt ut & alia, quæ apud auctores legi poſ„ſunt; nec enim vacat in præſenti actum age„re. Putant igitur Eruditi hiſtoriam hanc ad „ conciliandam vetuſtæ græcæ verſioni auctorita„tem confictam eſſe a Judæo quodam Helleni„ſta, & forte Alexandriæ. Ceterum quæ ſeptua„ginta Interpretum dicitur græcæ ſcripturæ ver„ſio, a quocunque demum auctore prodierit, „ ſummam habet, habuitque ſemper auctoritatem, „ utpote qua & ſacri Novi Teſtamenti ſcriptores „ uſi ſunt.

D. Hæc Gręca lxx. Interpretum Scripturę Sacrę Verſio, quę, regnante *Ptolomæo Philadelpho*, Rege Ægypti, prodiit in lucem, complectebaturne omnes Libros Sacros Veteris Teſtamenti in gręcum ſermonem translatos?

M. Sunt quidam recentiores Scriptores, *Uſſerius*, videlicet Armachanus, & *Fronto Ducæus*, qui cenſent, duas ante Chriſti Domini adventum extitiſſe Scripturę Sacrę Verſiones Græcas, unam ſcilicet, quę Sacros Libros tantum Pentateuchi *Moyſis* complectebatur, quamque ſub *Ptolomæo Philadelpho*, Ægyptiorum Rege, fuiſſe elaboratam, & Textui Hebręo conſonam aſſerunt, & hanc eſſe ajunt veram Verſionem lxx. Interpretum, quę ſemper delituit in Bibliotheca Alexandrina, nec lecta unquam, ſcriptave eſt a quoquam, ac demum annis ante Chriſtum quadraginta circiter & octo fuit incendio conſumpta, quando videlicet bello priori Alexandrino a *Julio Cæſare* confecto, ex militum ſeditione celeberrima illa poſt hominum memoriam Bibliotheca conflagratione periit. Alteram Scripturę Sacrę Verſionem Gręcam dictitant illi Scriptores procuſam fuiſſe anno quarto *Ptolomæi Phyſconis*, Ægyptiorum Regis, eamque comprehendiſſe omnes Veteris Teſtamenti libros, quos in ſuo Canone reponunt Judæi, & hanc integram Scripturæ Sacræ Verſionem Græcam negant laudati Scriptores fuiſſe a ſeptuaginta Interpretibus lucubratam. Sed non eſt dubium, quin illi Scriptores fallantur, primo, quia *Joſephus*, & *Philo*, Hebræi, Apoſtoli, & Evangeliſtæ, ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici *Juſtinus*, *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, & alii, unius dumtaxat Verſionis Græcæ Sacrorum Librorum, regnante in Ægypto *Ptolomæo Philadelpho*, lucubratæ, meminere. Hæc autem Græca Scripturæ Sacræ Verſio, quæ ſub *Ptolomæo Philadelpho*, Rege Ægypti, facta eſt a lxx. Interpretibus, complectitur omnes Libros Sacros Veteris Teſtamenti in Græcum ſermonem translatos. Incredibile namque eſt, *Ptolomæum Philadelphum*, qui tanto ſtudio omnia antiquitatis monumenta conquirebat, & *Demetrium Phalereum*, ejus Bibliothecæ Præfectum, qui plures Voluminum myriades ex omnibus terræ partibus collegerat, ut, juxta Regis deſiderium, eam innumeris codicibus locupletaram omnium celeberrimam redderet, contentos fuiſſe librorum Legis, ſeu Pentateuchi, græca interpretatione, & cæteras nobiliſſimæ tum temporis Gentis Judaicæ Hiſtorias, & Prophetica Oracula neglexiſſe. Falſum itaque eſt, Verſionem Græ-

cam

cam Scripturæ Sacræ a lxx. Interpretibus, tempore *Ptolomæi Philadelphi*, Regis Ægypti, adornatam, comprehendiſſe tantummodo quinque libros Pentateuchi *Moyſis* in Linguam Græcam translatos. Præterea, nullum ſuppetit antiqui Scriptoris teſtimonium, ex quo evinci poſſit, anno quarto *Ptolomæi Phiſconis*, Regis Ægypti, procuſam fuiſſe Verſionem Scripturæ Sacræ, quæ omnes Sacros Libros Veteris Teſtamenti in græcum ſermonem translatos complecteretur. Fictitia ergo eſt illa Verſio Græca, cujus in tota retro antiquitate ne vola quidem ac vel minimum extat veſtigium. Non me fugit, eſſe quoſdam viros eruditos (quos inter principem locum obtinet Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione 4. capite 12.) qui ſentiunt, ante Verſionem Græcam ſeptuaginta Interpretum extitiſſe aliam Scripturæ Sacræ Verſionem Græcam imperfectam, mutilam, & dimidiatam. At, illi viri eruditi, quibus ipſe aſſentior, non confundunt Verſionem hanc Græcam imperfectam & dimidiatam cum illa Verſione Græca, quam lxx. Interpretes, regnante in Ægypto *Ptolomæo Philadelpho*, adornarunt, ſed potius aſſerunt hanc Græcam Scripturæ Sacræ Verſionem, quæ erat imperfecta & dimidiata, factam fuiſſe non ſolum antequam *Ptolomæus Philadelphus* regnaret in Ægypto, ſed etiam ante Expeditionem *Alexandri Magni* in Aſiam, ſeu ante Imperii Perſici excidium, cumque imperfecta & mutila eſſet illa Græca Scripturæ Sacræ Verſio, juſſiſſe poſtea *Ptolomæum Philadelphum*, Regem Ægypti, ut nova omnium Scripturæ librorum Veteris Teſtamenti a ſeptuaginta Interpretibus adornaretur Verſio Græca, quæ plena, integra, & omnibus ſuis numeris eſſet abſoluta. Falſum itaque eſt, Verſionem, quam lxx. Interpretes, regnante *Ptolomæo Philadelpho* in Ægypto, concinnarunt, non fuiſſe complexam omnes Sacros libros Veteris Teſtamenti, ſed tantum quinque libros Pentateuchi *Moyſis*. Falſum itidem eſt, aliam Verſionem Græcam factam eſſe anno quarto *Ptolomæi Phiſconis*, quæ comprehenderet omnes Libros Sacros Veteris Teſtamenti, quos ſuo Canoni accenſent Judæi, ſicut falſo ſibi perſuaſerunt *Uſſerius*, & *Fronto Ducæus*, mox a me citati.

D. Perſtatne adhuc illa Verſio Græca, quam lxx. Interpretes, regnante *Ptolomæo Philadelpho* in Ægypto, adornarunt, & habetne modo in Eccleſia Catholica vim & auctoritatem ſtabiliendi fidem, & mores bene informandi?

M. Perſtat adhuc hæc Græca lxx. Interpretum Scripturæ Sacræ Verſio, eaque ſemper in maximo honore, ſingularique veneratione fuit in Eccleſia. At enim, hac lxx. Interpretum Verſione uſi ſunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ, qui (ſicut obſervant *Sanctus Irenæus* lib. 3. *De Hæreſibus* cap. 25. & *Sanctus Hieronymus* Præfatione in Evangelia) loca citarunt ex Verſione lxx. Interpretum, & per illam inſtituerunt, atque in fide naſcentem Eccleſiam confirmarunt. Oſtendit etiam *Waltonus* Prolegomeno nono *Apparatus ad Biblia Polyglotta Londinenſia*, omnes Scripturæ Sacræ Verſiones, antiquitus ab Eccleſia approbatas (excepta Syriaca) ex Verſione lxx. Interpretum promanaſſe, videlicet Arabicam, Æthiopicam, Armenam, Illyricam, Gothicam, & Latinam Veterem, qua Eccleſia Latina ante *Sanctum Hieronymum* utebatur. Hanc Verſionem etiam lxx. Interpretum, tanquam divino afflatu editam, uno ore laudant ſancti Patres, & quamvis *Sanctus Hieronymus* Verſionem lxx. Interpretum reprehendere interdum videatur, hanc tamen Verſionem reapſe non carpit & improbat, ſed tantum perſtringit vitia & errata, quæ in illam injuria temporum, ut fieri aſſolet, irrepſerant. Hinc ſanctus ille Doctor Præfatione in lib. Paralipomenon hæc habet: *Si ſeptuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, Editio permaneret, ſuperflue me, Chromati, Epiſcoporum ſanctiſſime, atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa tibi Volumina latino ſermone transferrem ... Nunc vero cum pro varietate regionum diverſa ferantur Exemplaria, & germana illa, antiquaque translatio corrupta ſit atque violata &c.* Idem cum *Sancto Hieronymo* cenſent viri hujus temporis eruditi, qui, licet non inficientur, hanc Græcam lxx. Interpretum Verſionem, inevitabili rebus omnibus fato, maculas aliquas levioris momenti, præſertim in rebus Chronologicis, ex Amanuenſium oſcitantia contraxiſſe, conſtanter nihilominus docent, hanc Verſionem, ubi non diſcrepat ab Editione noſtra vulgata, quam Patres Concilii Tridentini authenticam declararunt, valere adhuc ad ſtabiliendam Catholicam Fidem, & probe inſtituendos mores, tum quia nulla ratione evinci poteſt, Verſionem lxx. Interpretum in his, quæ ſpectant Fidem & bonos mores, fuiſſe aliquando vitiatam: tum quia etiam Eccleſia Catholica uſque ad exortum ſchiſma *Photii*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, in octo prioribus Conciliis Generalibus in Oriente celebratis hac Verſione lxx. Interpretum ad profligandas Hæreſes, quæ identidem in Eccleſia Græca emergebant, uſa eſt: tum quia denique dici haud poteſt, hanc ſeptuaginta Interpretum Verſionem fuiſſe a Græcis in odium Eccleſiæ Latinæ, poſt enatum *Photii* ſchiſma, corruptam, cum certum ſit, in Conciliis Œcumenicis, jam graſſante *Photii* ſchiſmate, in Occidente, ſeu in Eccleſia Latina, habitis, videlicet Lugdunenſi, & Florentino, nunquam Latinos objeciſſe Græcis hanc Verſionis lxx. Interpretum depravationem, cum quibus tamen in prædictis Conciliis acerrime diſputarunt. Immo, Eccleſia Græca hac Verſione lxx. Interpretum etiamnum utitur ſciente, nec reclamante Eccleſia Latina. *Sixtus* etiam *Quintus*, Summus Pontifex, Verſionem lxx. Interpretum ſtudio Cardinalis *Caraffæ*, Apoſtolici Bibliothecarii, ex antiquiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ Codice priſtino ſuo nitori & integritati reſtitutam ſua auctoritate approbavit, huicque Romanæ Editioni Verſionis lxx. Interpretum, auſpiciis *Sixti V.* elaboratæ, primas tribuit inter Verſiones Scripturæ Sacræ Græcas doctiſſimus *Joannes Morinus*, Congregationis Oratorii

torii Preſbyter. Poſtremo, eruditus *Flaminius Nobilius* Editionem Scripturæ Sacræ, dictam *Veterem Italam*, quæ ex Græca lxx. Interpretum Verſione erat expreſſa, & quæ ante Editionem vulgatam, cujus auctor eſt *S. Hieronymus*, per quinque priora ſæcula publice in Eccleſia Latina legebatur, ſed jam a mille, & amplius annis evanuerat, luci denuo reſtituit, eamque in publicam lucem edi curavit Romæ anno MDLXXXVIII. (*a*) & rurſus eamdem Verſionem *Veterem Italam*, una cum Exemplari Græco Vaticano Pariſiis editam, anno MDCXXVIII. publicavit prælaudatus *Joannes Morinus*. Ex quibus patet, Verſionem Scripturæ Græcam, quam regnante *Ptolomæo Philadelpho* in Ægypto adornarunt lxx. Interpretes, maximo in honore in Eccleſia fuiſſe, & nunc etiam ad ſtabilienda ea, quæ ad fidem & bonos mores attinent, auctoritate pollere.

„ (*a*) Vetus Latina editio, quæ Romæ vulgata hic dicitur, curata, atque in lucem producta fuit a Flaminio Nobilio Lucenſi viro doctiſſimo, qui hanc ſummo labore confecit, utpote compactam, ex iis, quæ Sancti Patres huc, illucque in ſuis ſcriptis e verſione illa laudarunt. Novam alteram ex antiquis MS. productam dedit P. D. Petrus Sabathie Ordinis S. Benedicti excuſam Pariſiis an. MDCCLI. Demum e MS. codicibus acceptam itidem evulgavit P. Joſephus Bianchini Præsbyter Oratorii S. Philippi Nerii, productaque eſt in lucem Romæ an. MDCCXLIX.

D. Placet mihi admodum brevis illa hiſtorica, quam tradidiſti, notitia Verſionis Græcæ Sacrorum Veteris Teſtamenti Librorum, quam regnante in Ægypto *Ptolomæo Philadelpho*, concinnarunt lxx. Interpretes, quæque adhuc in his, quæ fidem & bonos mores ſpectant, illibata in Eccleſia Catholica, ſeu Romana, conſervatur. Nunc eam, quam te daturum promiſiſti, exhibe ſeriem Regum, qui defuncto *Alexandro Magno* in Regno Syriæ ſucceſſerunt.

M. Cum Machabæorum Hiſtoria, quam in tertio Colloquio in Hiſtoriam hujuſce ſextæ Mundi Ætatis deſcripturus ſum, implicata ſit cum Regibus, qui mortuo *Alexandro Magno* in Regno Syriæ ſucceſſerunt, operæ pretium eſt illorum Regum ordinem ac ſucceſſionem hic exacte attexere, & in optimo lumine collocare. Quod quidem ut facilius exequi poſſim, velim ut in anteceſſum, breviter obſerves, *Seleucum*, dictum *Nicatorem*, vel Nicanorem, id *Victorioſum*, unum ex *Alexandri Magni* Ducibus, Regnum Syriæ, devicto ac cæſo *Antigono*, obtinuiſſe anno poſt obitum *Alexandri Magni* vigeſimo tertio, ſeu anno IV. Olympiadis centeſimæ decimæ nonæ, ab urbe Roma condita anno quadringenteſimo quinquageſimo tertio, ante Æram Chriſtianam trecenteſimo primo. Verum, tametſi *Seleucus Nicanor* (ſicut teſtantur *Appianus* in *Syriacis*, & *Plutarchus* in Pyrrho) hoc anno Syriæ Regno potiri cæperit, non tamen ab eodem anno duxit exordium Regni ſui in Syria, ſed altius undecim annis, priuſquam Regnum Syriæ occuparet, voluit Epocham Regni ſui in Syria eſſe epetendam, id eſt, ab anno, poſt obitum *Alexandri Magni*, duodecimo, anno I. Olympiadis centeſimæ decimæ ſeptimæ, ab urbe Roma condita anno quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, ante Æram Chriſtianam anno trecenteſimo duodecimo, quo anno *Seleucus Nicanor*, commiſſo apud Gazam, urbem Palæſtinæ, prælio, *Demetrium*, filium *Antigoni*, ſuperavit, profligavit, & Mediam, ac Babyloniam, unde metu *Antigoni* fugerat, & in Ægyptum ſucceſſerat, recuperavit. Ab hoc, inquam anno, quo *Seleucus Nicanor* Babylonem recuperavit, Epocham Regni ſui in Syria duxit, quamvis undecim dumtaxat poſt annos Regnum Syriæ obtinuerit, & Regium Diadema, ac nomen uſurpare cæperit. Hæc eſt famoſa, omnium Scriptorum ſermone decantata Epocha, ſeu *Æra Seleucidarum*, hoc eſt, Regum Syriæ poſt obitum *Alexandri Magni*, quæ incipit anno I. Olympiadis centeſimæ decimæ ſeptimæ, ab urbe Roma condita quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, poſt obitum *Alexandri Magni* anno duodecimo, ante Æram Chriſtianam trecenteſimo duodecimo, & priuſquam *Seleucus Nicanor* Regnum Syriæ obtineret, anno undecimo. Falluntur itaque nonnulli Chronologiæ periti, qui putant, Æram Seleucidarum, ſeu Regum Syriæ poſt obitum *Alexandri Magni*, auſpicari eodem anno, quo *Seleucus Nicanor* Regno Syriæ potitus ſit, cum tamen certum ſit, *Æram Selucidarum*, ſeu Regum Syriæ, cæpiſſe undecim annis antequam *Seleucus Nicanor* Regnum Syriæ obtineret. Hanc Æram Seleucidarum, ſeu Regum Syriæ poſt obitum *Alexandri Magni*, uſurparunt non tantum Judæi, ſed etiam omnes Syro-Macedones, ſeu Syriæ populi, a Macedonibus devicti, videlicet *Edeſſeni*, *Apammenſes*, *Damaſceni*, *Emiſſeni*, *Tripolitæ*, *Antiocheni*, *Seleucenſes*, *Laodiceni*, *Gazenſes*, *Gadari*, donec a *Pompejo* ſuis utendi Legibus autonomiam, ſeu libertatem, accepiſſent. Tunc enim illi Populi, antiquata ac relicta hac Selucidarum Æra, novam, quæ merito appellari poteſt *Æra Pompejana*, in honorem *Pompeii*, quem, velut liberatorem ſuum, agnoſcebant, anno ab urbe Roma condita ſexcenteſimo nonageſimo inſtituerunt, ſicut ex multis monumentis, & nummis apud Aſiaticos ſculptis luculenter demonſtrat doctiſſimus Cardinalis *Noriſius* in aureo illo, quod edidit, Opere *De Epochis Syro-Macedonum*. Præmiſſa iſta Hiſtorico-Chronologica obſervatione exhibebo nunc ſeriem Chronologicam Regnum, qui demortuo *Alexandro Magno* in Regno Syriæ ſucceſſerunt. Hic tamen duodecim tantum priores Reges proponam *Alexandri Magni* in Regno Syriæ ſucceſſores, hoc eſt, a *Seleuco Nicanore* uſque ad *Demetrium II. Nicanorem*, *Demetrii Soteris* filium, qui anno ſecundo Regni ſui, ad petitionem *Simonis*, Judæorum Pontificis, fratriſque *Judæ Machabæi*, & *Jonathæ*, abſolutam Judæis pacem, libertatem, atque ab omnibus tributis, & vectigalibus immunitatem, ac perpetuam inter ipſum Regem *Demetrium II.* & Gentem Judæorum ſocietatem conceſſit, ut liquet ex ejuſdem Regis Syriæ *Demetrii II.* Diplomate, directo ad *Simonem*, Summum Judæorum Sacerdotem, & relato lib. I. Machab. c. 13. verſ. 41. & 42. *Anno centeſimo ſeptua-*

*ctuageſimo* ( id eſt, Aeræ Seleucidarum ) *ablatum eſt jugum Gentium ab Iſrael . Et cœpit populus Iſrael ſcribere in Tabulis & Geſtis publicis: Anno primo ſub Simone, Summo Sacerdote, magno Duce & Principe Judæorum*. Anno itaque ſecundo Regni *Demetrii II. Nicanoris*, filii *Demetrii Soteris* , Regis Syriæ , Judæi, qui, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, ſemper ſubditi fuerant, primo *Perſarum*, deinde *Græcorum* Regibus, plenam libertatem conſecuti, non amplius Regibus Syriæ ſubditi fuerunt, ſed ſuos habuerunt Duces , ſeu Principes ac Reges, qui erant ex genere Aſſamonæorum , ſeu Machabæorum , Summum etiam apud Judæos obtinentes Sacerdotium, quique ſupremam regendæ Reipublicæ adminiſtrationem exercuerunt a tempore *Simonis*, Summi Judæorum Sacerdotis, & *Judæ Machabæi*, ac *Jonathæ* fratris, uſque ad *Antigonum* , qui apud Judæos fuit ultimus Rex ex ſtirpe Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, quique devictus eſt, & e ſolio Regni Judææ dejectus ab *Herode*, alienigena , qui, conſentiente & approbante Senatu Romano, Rex Judææ fuit declaratus , quo regnante natus eſt JESUS CHRISTUS , ſicut operoſius oſtendemus in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujus ſextæ Mundi Ætatis , ubi etiam accuratam dabimus ſeriem aliorum Regum Syriæ, qui *Demetrio II. Nicanori* , filio *Demetrii Soteris*, ſucceſſerunt , uſque ad integram Regum Syriæ, ſeu *Regum Seleucidarum* , extinctionem , factam a *Pompejo*, qui in Aſiam a Populo Romano miſſus, Regnum Syriæ in formam Provinciæ redegit , & poſſeſſionem fecit Populi Romani anno ab urbe Roma condita ſexcenteſimo nonageſimo , ante Æram Chriſtianam ſexageſimo quarto. Hic igitur exhibebo tantum ſeriem duodecim priorum Regum , qui defuncto *Alexandro Magno*, in Regno Syriæ ſucceſſerunt , id eſt , a *Seleuco Nicanore* uſque ad *Demetrium II.* qui fuit *Demetrii Soteris* filius , & cujus Regni anno ſecundo Judæi, plena libertate donati , excuſſerunt jugum Gentium, ſuoſque Principes, & Reges habuerunt , a quibus Reſpublica Judaica cum ſuprema auctoritate regebatur.

## SERIES DUODECIM PRIORUM REGUM,

*Qui, defuncto Alexandro Magno, in Regno Syriæ ſucceſſerunt .*

*Seleucus*, dictus, *Nicator*, vel *Nicanor*, ſeu *Victorioſus*, anno duodecimo poſt obitum *Alexandri Magni*, ſeu anno I. Olympiadis centeſimæ decimæ ſeptimæ , & anno ante Æram Chriſtianam trecenteſimo duodecimo Regnum in Babylonia, Media, Suſiana, aliiſque Regionibus Orientalibus conſtituit , & ab eodem anno duxit Epocham Regni ſui in Syria, quamvis , ſicut antea obſervavimus, poſt undecim dumtaxat annos Regnum Syriæ, devicto ac cæſo *Antigono* , obtinuerit, anno videlicet poſt obitum *Alexandi Magni* vigeſimo tertio, anno IV. Olympiadis centeſimæ decimæ nonæ, ante Æram Chriſtianam anno trecenteſimo primo . Bella contra *Antigonum*, Aſiæ Regem, geſſit, ejuſque copias profligavit . Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, Apameam, Edeſſam , Beroeam, & Pellas, urbes condidit, & in eas tranſtulit Judæos , quibus jus civium , & municipalem ordinem æquali cum Græcis honore conceſſit , ſicut teſtantur *Joſephus* , Hebræus, lib. 12. Antiquit. Judaic. cap. 3. & *Euſebius* in Chronico . Tandem , poſtquam per triginta duos annos regnaſſet *Seleucus Nicanor*, per inſidias trucidatus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo ; anno Regni Græcorum , ſeu Æræ Seleucidarum, trigeſimo ſecundo.

*Antiochus I.* dictus *Soter*, id eſt, *Salvator*, ſucceſſit in Regno Syriæ patri ſuo *Seleuco Nicanori* anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo. Regnavit novemdecim annis, & mortuus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſexageſimo primo, anno Regni Græcorum quinquagemo primo.

*Antiochus II.* dictus per adulationem Θέος, ſeu *Deus* , ſucceſſit patri ſuo *Antiocho Soteri* , anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſexageſimo primo. Contra *Ptolomæum Philadelphum* , Ægypti Regem, bella geſſit quam plurima . Duas uxores habuit, videlicet *Laodicem* , & *Berenicem* , filiam *Ptolomæi Philadelphi* , Ægyptiorum Regis. Sed, cum regnaſſet annos quindecim, fuit a priori conjuge ſua *Laodice* veneno interfectus anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo ſexto, & anno Regni Græcorum ſexageſimo ſexto.

*Seleucus II.* dictus *Callinicus*, filius *Antiochi II.* ejuſque prioris conjugis *Laodices* natu major, patri ſucceſſit in Regno Syriæ anno ducenteſimo quadrageſimo ſexto ante Aeram Chriſtianam. Bellum acerrimum geſſit cum *Ptolomæo Evergete I.* Ægyptiorum Rege , *Ptolomæi Philadelphi* filio, qui ulciſci voluit ſororem ſuam *Berenicem*, quam uxorem duxerat *Antiochus II.* Rex Syriæ , pater *Seleuci II.* cuique, & ejus filiis, *Laodices* , prior conjux *Antiochi II.* necem intulerat . Annos viginti regnavit *Seleucus II.* dictus *Callinicus* , fuitque interfectus anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo vigeſimo ſexto , & anno Regni Græcorum octuageſimo ſexto.

*Seleucus III.* cognominatus *Ceraunus* , filius *Seleuci II.* dicti *Callinici* , ſucceſſit patri ſuo anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo vigeſimo ſexto. Adverſus *Attalum*, Pergami Regem, militari Expeditione ſuſcepta, dolo appetitus, propinato veneno in Phrygia periit . Tribus annis regnavit, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo vigeſimo tertio, & anno Regni Græcorum octuageſimo nono.

*Antiochus III.* dictus *Magnus* , fratri ſuo *Seleuco II.* cognominato *Cerauno* , ſucceſſit, anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo vigeſimo tertio . Plura geſſit bella contra Reges Aegypti, videlicet *Ptolomæum Philopatorem* , & *Ptolomæum Epiphanem* , eiſque Judæam , & Samariam eripuit . Sed ei contra Romanos in Aſia pugnan-

pugnanti male ceſſit martis alea, & in aliis bellis variam expertus eſt fortunam. *Cleopatram*, filiam ſuam, *Antiochus III.* Rex Syriæ, dedit uxorem *Ptolomæo Epiphani*, Regi Ægypti, eique dotis nomine conceſſit Cœleſyriam, Phœnicen, Judæam, atque Samariam. Demum, poſtquam regnaſſet annos triginta ſex, interfectus eſt anno ante Æram Chriſtianam centeſimo octogeſimo ſeptimo, & anno Regni Græcorum centeſimo vigeſimo quinto.

*Seleucus IV.* dictus *Philopator*, filius *Antiochi Magni*, ſucceſſit patri ſuo ante Æram Chriſtianam centeſimo octogeſimo ſeptimo: fuit Princeps otio deditus, qui duodecim annos regnavit, & inſidiis cujuſdam *Heliodori* oppreſſus, e vivis ſublatus eſt anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo quinto, & anno Regni Græcorum centeſimo trigeſimo ſeptimo.

*Antiochus IV.* dictus *Epiphanes*, ſeu *illuſtris*, ſucceſſit fratri ſuo *Seleuco IV.* dicto *Philopatori*, anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo quinto. Adverſus *Ptolomæum Philometorem*, Ægypti Regem, bella geſſit, & crudelem in Judæos perſecutionem excitavit, quam opportunius referemus in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujus ſextæ Mundi Ætatis, ubi Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, deſcribemus Hiſtoriam, & luctuoſum, quem *Antiochus Epiphanes* habuit, exitum, ſceleſta & impia ejus vita dignum. Regnavit duodecim annis, & obiit anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo tertio, & anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo nono.

*Antiochus V.* dictus *Eupator*, filius *Antiochi Epiphanis*, patri ſucceſſit anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo tertio. Cum *Ptolomæo Philometore*, Ægypti Rege, necnon cum Judæis bellum geſſit, & poſtquam per biennium regnaſſet, a *Demetrio Sotere* filio *Seleuci Philopatoris* peremptus eſt anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo primo, & anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo primo.

*Demetrius Soter*, filius *Seleuci Philopatoris*, Antiocho Eupatori, quem occidit, ſucceſſit anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo primo. Regnavit duodecim annis, & a quodam infimæ ſortis juvene, dicto *Alexandro Bala*, vita & Regno fuit ſpoliatus anno ante Æram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo nono, & anno Regni Græcorum centeſimo ſexageſimo tertio.

*Alexander Bala*, infititius, Syriæ Regnum, quod *Demetrio Soteri* ademerat, invaſit anno ante Æram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo nono. Regnavit quinque annis, ſed victus in prælio, a ſuis necatus eſt anno ante Æram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo quarto, & anno Regni Græcorum centeſimo ſexageſimo octavo.

*Demetrius II.* dictus *Nicanor*, filius *Demetrii Soteris*, cæſo *Alexandro Bala*, a Syriæ Regum familia perditus alieno, Regno Syriæ potiri cœpit anno Regni Græcorum, ſeu Æræ Seleucidarum, centeſimo ſexageſimo octavo, & ante Æram Chriſtianam anno centeſimo quadrageſimo quarto. Fuit duodecimus, poſt obitum *Alexandri Magni*, Rex Syriæ, & in Regno ancipitem habuit fortunam, variiſque fuit agitatus procellis, ſicut in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujuſce Mundi Ætatis, texendo Hiſtoriam Machabæorum, opportunius oſtendemus; ibidemque ejus *Demetrii II.* Regis Syriæ ſucceſſores referemus uſque ad ultimam Regum Syriæ extinctionem, factam a *Pompejo*, in Aſiam a Populo Romano miſſo, qui anno ante Æram Chriſtianam ſexageſimo quarto, Regnum Syriæ in formam Provinciæ Imperii Romani redegit. Obſervaſſe hic igitur ſufficiat, hunc *Demetrium II.* dictum *Nicanorem*, Regni ſui anno ſecundo, qui concurrit cum anno ante Æram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo ſecundo, & cum anno Regni Græcorum, ſeu Æræ Seleucidarum, centeſimo ſeptuageſimo, conceſſiſſe Judæis, ſub Pontificatu *Simonis Machabæi* abſolutam a tributis immunitatem, & liberum munitionum Hieroſolymis & in reliqua Judæa extructarum dominium, indeque factum eſſe, ut Gentium jugum a Judæis ablatum ſit anno Regni Græcorum, ſeu Æræ Seleucidarum, centeſimo ſeptuageſimo, ac deinceps ipſi Judæi fuerint Regum Syriæ amici, ſed non amplius ſubditi, novaque Epocha Reipublicæ ſuæ libertatem teſtati ſint, in Tabulis & Actis publicis ſcribentes: *Anno primo ſub Simone Summo Sacerdote, Magno Duce, & Principe Judæorum*. Sed de his plura, auxiliante Deo, in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujuſce ſextæ Mundi Ætatis dicemus.

D. Bene multi illuſtres, & toto Orbe celeberrimi, ſicut nuperrime audivi, prodierunt ſub Regibus Perſarum, ſub *Alexandro Magno*, ejuſque in Regnis Ægypti & Syriæ ſucceſſoribus, ſeu Græcorum Regibus, Philoſophi, & Oratores, quorum nomina & Sectas eo libentius audiam, quod memini, & in præcedentibus noſtris colloquiis oſtendiſſe, Ethnicos Philoſophos, Poetas, & Oratores legiſſe libros *Moyſis*, & ex his multa defloraſſe, hauſiſſe, excerpſiſſe, atque in ea, quæ procuderunt, Opera convaſaſſe.

M. Quamvis certum ſit, in ſexta Mundi Aetate, cujus Hiſtoriam deſcripſimus, fuiſſe multis Nationibus viros, humanarum diſciplinarum, & Artium Liberalium cultores, Hebræis quidem *Rabbinos*, ſeu *Scribas*, & *Legis Doctores*; Babyloniis & Aſſyriis, *Chaldæos*; Perſis, *Magos*; Indis, *Brachmanos*, ſeu *Gymnoſophiſtas*; Romanis, *Pontifices*; Gallis, *Druidas*; immo in extremis Orientis oris apud Sinas floruiſſe *Literatos*, quos inter maxime celebratur *Confucius*, qui ideo *Sinenſis Philoſophus* appellatur; & denique, apud Aegyptios extitiſſe *Hierophantes*; nemo tamen inficias ire poteſt, Philoſophiæ ſtudium in Græcia potiſſimum viguiſſe. Porro, primi Græcorum Philoſophi in duas præcipuas Sectas dividuntur, videlicet in *Dogmaticam*, & *Academicam*. Secta dogmatica itidem duplex eſt, *Jonica* nimirum & *Italica*. Sectæ *Jonicæ* Dux fuit *Thales Mileſius*, qui

Mile-

Miletum, quæ urbs eſt Joniæ caput, patriam habuit. Illum natum eſſe anno I. Olympiadis trigeſimæ quintæ, hoc eſt, anno ſexcenteſimo trigeſimo nono ante Aeram Chriſtianam, memorat *Apollodorus* apud *Diogenem Laertium* in ejus vita. *Thaletem Mileſium* ſectati ſunt *Anaximander*, *Anaximenes*, *Anaxagoras*, *Xenophanes*, *Heraclitus*, *Democritus*, & alii. Sectæ Dogmaticæ *Italicæ* Princeps fuit *Pythagoras*, Samius, diſcipulus *Pherecydis*, Syri, qui in Italiam tempore *Servii Tullii*, Romanorum Regis, ſeſe recepit, & Crotoniæ non longe a Tarento per viginti circiter annos Philoſophiæ operam dedit, indeque Metapontum profectus, diem ibi ſupremum obiit anno IV. Olympiadis ſeptuageſimæ, teſte *Euſebio* in Chronico. *Pythagoræ* dogmata inter cæteros amplexi ſunt *Timæus*, Locrenſis, *Archytas*, Tarentinus, *Philolaus*, Crotoniata. *Parmenides*, & *Zeno*, ambo Eleatæ, ac *Meliſſus*, Samius. Alterius Philoſophorum Sectæ, ſeu Academicæ, Princeps fuit *Socrates*, in Attica natus anno IV. Olympiadis ſeptuageſimæ ſeptimæ, uti teſtatur *Diogenes Laertius* in ejus vita. Illius Sectæ diſcipuli aſſenſum omnem cohibebant, nihil affirmabant, ſed omnia in dubium revocabant, indeque dicti ſunt *Sceptici*, ſeu *Inquiſitores*, appellati ſunt etiam *Pyrrhonici* a *Pyrrhone* Academico; vel *Acaleptici*, quaſi diceres, qui nihil omnino comprehendere ſe poſſe profiterentur. *Socratis* diſcipuli fuerunt *Crito*, *Ariſtippus*, *Cebes*, *Xenophon*, *Euclides* &c. Sed inter illos præcipue eminet *Plato*, cujus Philoſophia, etiam poſt Chriſti Domini adventum, primas obtinuit ad octavum circiter Eccleſiæ ſæculum. Mortuo *Platone*, cæteri *Socratis* ſucceſſores triplicem conſtituere Sectam, *Peripateticorum*, *Stoicorum*, & *Epicureorum*. Sectæ Peripateticæ originem dedit *Ariſtoteles*, Stagyra, oppido Macedoniæ, oriundus anno primo Olympiadis nonageſimæ nonæ. Fuit diſcipulus *Platonis*, & Præceptor *Alexandri Magni*. Quamvis autem *Ariſtotelis* Philoſophia variam diverſis temporibus fortunam ſit experta, ut videre eſt apud *Joannem Launojum*, in libro, quem edidit, *De varia Ariſtotelis fortuna*, viget tamen adhuc in tribus illuſtrioribus Scholis, *Thomiſtarum* ſcilicet, *Scotiſtarum*, & *Nominalium*. Sectæ *Stoicorum* Auctor fuit *Zeno*, e Cittio, Cyri oppido, ortus, qui Philoſophiæ dogmata magna cum ſui nominis commendatione Athenis docuit circa Olympiadem centeſimam trigeſimam. Poſtremo, Sectæ Epicureorum Auctor fuit *Epicurus*, Sectator *Democriti*, & *Philoſophiæ Mechanicæ* cultor, qui obiit anno ſecundo Olympiadis centeſimæ vigeſimæ ſeptimæ. Hanc Philoſophiam Mechanicam, a *Democrito*, & *Epicuro* olim excultam, ſed multis poſtea ſæculis derelictam, ſæculo proxime elapſo multis in locis reformarunt, eamque in Scholas invexerunt *Petrus Gaſſendus*, & *Renatus Carteſius*, ambo natione Galli, ex quibus duæ propagatæ ſunt Sectæ, *Gaſſendiſtarum* nempe, & *Carteſianorum*. Sed de Philoſophis, qui in ſexta Mundi Ætate floruerunt, & de eorum Sectis pluſquam ſatis dictum ſit. Veniamus nunc ad Poetas & Oratores Græcos, qui ante adventum Chriſti celebres fuerunt, quoſque, brevitatis ergo, hic indicare abunde ſufficiet. Iiſdem, quibus Philoſophus *Pythagoras*, temporibus claruere *Simonides Ceus*, Poeta Lyricus, & *Anacreon*, cujus exquiſitum ingenium, ſed mores corruptiſſimos, Lyrici verſus, adhuc ſuperſtites, aperte indicant. Circa Olympiadem ſeptuageſimam primam floruerunt inſignes Poetæ, *Æſchylus*, Poeta Tragicus, *Sophocles*, Tragicorum Princeps, *Pindarus*, qui inter Lyricos Poetas maxime excelluit. In deſcribenda Hiſtoria magnam ſibi laudem circa Olympiadem octogeſimam quartam ſibi compararunt *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, & *Thucydides*, ut videre eſt apud *Voſſium* in lib. *De Hiſtoricis Græcis*. His Hiſtoricis coævi fuerunt *Euripides*, Poeta Tragicus, & *Protagoras*, non ſolum Philoſophus, ſed etiam Orator eximius. Inter egregios Oratores locum etiam habere debet *Iſocrates*, qui anno tertio Olympiadis nonageſimæ tertiæ elegantem Orationem Panegyricam habuit. Sed omnes Oratores longo poſt ſe intervallo reliquerunt *Æſchynes* & *Demonſthenes*, Oratores præſtantiſſimi, qui Athenis Olympiade centeſima octava floruerunt. Regnante *Alexandro Magno*, filio *Philippi*, Macedonum Regis, claruit *Diogenes*, Philoſophus Cynicus, qui dolium pro domo habuiſſe fertur. Iiſdem temporibus floruit *Calliſthenes* Olynthius, *Ariſtotelis* diſcipulus, Philoſophus, Hiſtoricus, & Orator præſtantiſſimus. Sub Rege Syriæ *Antiocho I.* dicto *Sotere*, celebris fuit *Cleanthes*, qui *Zenoni*, Stoicorum Philoſophorum Principi, ſucceſſit, & Scholam *Chryſippo* reliquit. Regnante in Ægypto *Ptolomæo*, filio *Lagi*, floruerunt *Polemo*, & *Crantor Solenſis*, diſcipuli *Xenocratis*. His ſuppares, ſeu coævi fuerunt *Hieronymus Cardianus*, vitæ *Alexandri Magni*, ejuſque ſucceſſorum Scriptor Hiſtoricus; *Megaſthenes*, nobilis itidem Hiſtoricus; *Euhemerus Meſſenius*, Hiſtoricus etiam, qui de *Jove*, & *Diis* ſcripſit Hiſtoriam, quam latine vertit *Ennius*. Ad eandem Epocham pertinent *Menedemus*, Philoſophus Eretrienſis, *Menander*, Athenienſis, novæ Comediæ Poeta, & *Arceſiles*, ſive *Arceſilaus*, qui, circa Olympiadem centeſimam vigeſimam, ſecundæ, ſeu mediæ Academiæ Princeps fuit appellatus. Hic autem *Socratis* opinioni addidit, ut non modo nihil ſciri cum *Socrate* affirmaret, ſed ne poſſe quidem ullam rem ſciri pertenderet. *Arceſilæ* ſuffragati ſunt *Lacydes*, novæ, ſeu tertiæ Academiæ, auctor, *Evander*, & præcipue *Carneades*, qui Romæ magna cum eloquentia novorum Academicorum doctrinam expoſuit, ibidemque diſcipulos habuit *Clitomachum*, *Philonem*, & *Antiochum*, a quibus eruditus eſt *Cicero*, qui & ipſe Academicus fuit. Denique, temporibus *Ptolomæi Philadelphi*, Ægyptiorum Regis, floruerunt *Lycophron*, Poeta Chalcidenſis, *Theocritus*, Poeta Syracuſa-

cuſanus, *Callimachus*, Poeta Cyrenæus, *Aratus*, Poeta in Cilicia natus, *Zoilus*, Amphipolitanus, qui, ob ſtylum mordacem, quo in ſummos viros, præſertim *Iſocratem*, *Platonem*, & *Homerum*, ſcripſit, *Canis Hiſtoricus* fuit appellatus. *Ptolomæo Philadelpho*, Regi Ægypti, *Manethos Sebennyta*, Heliopolites, Hiſtoriam Ægyptiacam, quam in ſermonem Græcum tranſtulit, nuncupavit, teſte *Voſſio* lib. 1. *De Hiſtoricis Græcis* cap. 13. quem, ſi de Scriptoribus Græcis plura ſcire deſideres, adire poteris. Ipſe vero hic Colloquio noſtro finem imponam, opportunius de viris illuſtribus Latinis, qui ſexta Mundi Ætate literaturæ laude claruerunt dicturus in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujus ſextæ Mundi Ætatis, ubi Res Romanorum compendioſa narratione referemus. Interim, age curam valetudinis tuæ, & fac, ut in proximo Colloquio, quod poſtridie habituri ſumus, te lætum ac nitidum videamus.

D. Aegre profecto a te divellor: ſed Sol nos relinquit, & humeſcit cælum. Præſtat itaque imitari aviculas, tectoque ac lecto nos condere. Dabo autem operam, ut domi jacturam temporis non faciam, ſed in lectione Scripturæ Sacræ aſſiduus ſim, quo votis tuis pro virili reſpondere, & non imparatus ad proximum noſtrum Colloquium accedere poſſim. Tu vero, colendiſſime Magiſter, cura viciſſim per id temporis valetudinem tuam, qua nihil mihi in vita, ſecundum Deum, carius & antiquius erit.

## COLLOQUIUM SECUNDUM,

*In quo proponuntur ac diluuntur Dubia, quæ circa Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis, tam Theologi, quam Scripturæ Sacræ Interpretes agitare ſolent.*

M. Hiſtoria Sacra ſextæ Mundi Aetatis, quam pro modulo noſtro in ſuperiori Colloquio deſcripſimus, tota quanta eſt, continetur in libro *Danielis*, unius e quatuor Prophetis Majoribus, qui tempore captivitatis Babylonicæ vaticinatus eſt; in duobus itidem libris *Eſdræ*, qui Hiſtoriam literis mandavit rerum omnium, quæ Judæis poſt ſolutam captivitatem Babylonicam contigerunt; in libro pariter *Eſtheris*, ac demum in libris Prophetarum Minorum *Aggæi*, *Zachariæ*, & *Malachiæ*, qui, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, Vaticinia fuderunt. Ut igitur Sacræ Hiſtoriæ ſextæ Mundi Ætatis ſua conſtet veritas, operæ pretium eſt, omnia Dubia, quæ vel circa ejuſmodi librorum auctoritatem, vel circa illorum Auctores, vel tempus, quo fuerunt exarati, vel denique circa Hiſtorias, & Vaticinia, quæ in his continentur, proponi ſolent, breviter quidem, ſed accurate in iſto Colloquio dilucidare, quo ſemel ſingulis iſtis Dubiis liquido explanatis, nullam in Hiſtoria Sacra ſextæ Mundi Ætatis nanciſcaris difficultatem, quæ tibi vel minimum poſſit faceſſere negotium. Inquiremus itaque primo, quis & qualis fuerit iſte *Daniel*, qui, durante captivitate Babylonica, vaticinatus eſt? Quænam ſint præcipua illius Geſta? Quam auctoritatem in Eccleſia Catholica obtineat liber, qui ejus nomine inſignitur? Et an rerum, quas prædixit *Daniel*, veritatem eventus comprobaverit? Præterea, expendemus omnia, quæ geſſit *Eſdras*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, & duobus libris, qui ejus nomen præferunt, ſacram auctoritatem vindicabimus. Tertio, præfigemus tempus, in quo ſacra *Eſtheris* Hiſtoria contigit, & librum, in quo hæc Hiſtoria refertur, divina pollere auctoritate oſtendemus. Denique, examinabimus illuſtriora Vaticinia, quæ, poſt captivitatem Babylonicam, tres Prophetæ Minores, *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias* ediderunt, eaque in Jeſu Chriſto fuiſſe omni ex parte completa commonſtrabimus. Ad iſta igitur quatuor potiſſimum capita præſens noſtrum revocabitur Colloquium. Nunc ſatagere debes, ut me, juxta ordinem rerum, appoſite interroges, nihilque eorum, quæ ad plenam & abſolutam Hiſtoriæ ſextæ Mundi Ætatis notitiam conducere poſſunt, prætermittas.

D. Incipiamus, ſi placet, a *Daniele*, uno e Prophetis Majoribus, qui, durante captivitate Babylonica, Prophetiæ dono fuit, inſignis, & oſtende, quis & qualis fuerit iſte *Daniel*?

M. Ex ſemine regio ortus *Daniel*, cum adhuc adoleſcens eſſet, Babylonem a Rege Nabuchodonoſore translatus eſt. Aſpectu fuit decorus, mente humilis, corpore caſtus, perfectus in fide, egregius in opere, in virtute ſummus, in prodigiis clarus, inſignis cognitor ſecretorum cæleſtium, præſcius futurorum, & continuis jejuniis & orationis aſſiduitate meruit futura prædicere Sacramenta. Singularem, qua præditus erat, ſapientiam, palam demonſtrat illud, quod tulit, judicium, & quo perfidiam duorum impudicorum ſenum detexit ac condemnavit, & caſtam *Suſannam* ab iniqua illorum accuſatione ſtrenue vindicavit. Scio, nonnullos eſſe Scriptores, qui afferunt, illum *Danielem*, qui fuit caſtæ *Suſannæ* vindex, alium prorſus eſſe a *Daniele*, Propheta, eo quod Scriptura Sacra cap. 13. libri *Danielis*, ubi deſcribitur Hiſtoria *Suſannæ*, perſpicue dicat, *Danielem*, vindicem *Suſannæ*, fuiſſe juvenem: *Cumque duceretur ad mortem* (id eſt, *Suſanna*) *ſuſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel*. At, *Danielem*, Prophetam, fuiſſe ante captivitatem Babylonicam virum jam maturum, grandævum, & multorum liberorum parentem, teſtatur vates *Ezechiel*, qui ante captivitatem Babylonicam, ſeu anno ſexto *Joakimi*, Regis Juda, Prophætæ munus obiens, ait: *Si fuerint tres viri; Noe*, *Daniel*, *& Job*, *nec filios*, *nec filias liberabunt*. Ex quibus Prophetæ *Ezechielis* verbis colligunt quidam Scriptores, *Danielem*, Prophetam, ante captivitatem Babylonicam fuiſſe jam grandem natu, ut pote liberorum parentem, ac ſubinde *Danielem*, Prophetam, eſſe plane diverſum ab illo *Daniele*, qui *Suſannam* liberavit, quemque Scriptura Sacra, loco mox laudato, appellat *Puerum juniorem*, id eſt, ex ephe-

ephebis necdum egreſſum. Hoc præſertim argumento nituntur illi Scriptores, qui duos diſtinguunt *Danieles*. Sed non eſt dubium, quin fallantur. Nam Primo, ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, *Origenes* in Epiſtola ad *Julium Africanum*, *S. Athanaſius* in Epiſtola ad *Marcellinum*, *S. Joannes Chryſoſtomus* Sermone *De Suſanna*, *S. Ambroſius* lib. 3. *De Spiritu Sancto* cap. 7. & *Severus Sulpitius* lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ*, nullum diſcrimen agnoſcunt inter *Danielem*, Prophetam, & *Suſannæ* vindicem, immo diſerte aſſerunt *Danielem*, *Suſannæ* patronum ac liberatorem, eſſe ipſummet *Danielem*, Prophetam. Præterea, quando Propheta *Ezechiel*, qui ante captivitatem Babylonicam vaticinatus eſt, ait, *Danielem non liberaturum filios ſuos*, non loquitur abſolute, quaſi *Daniel* ante captivitatem Babylonicam fuiſſet jam ætate provectus, jamque liberos ſuſcepiſſet; ſed Propheta *Ezechiel* loquitur tantum hypotetice, perinde ac ſi diceret: *Si Daniel filios haberet, eos non liberaret*. Nec ſane aliter de *Daniele*, Propheta, *Ezechiel* loqui potuit, cum *Danielem*, Prophetam, improlem obiiſſe, id eſt, nullos procreaſſe liberos, longe veroſimilius cenſeant doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes. Legeſis *S. Hieronymum* lib. 1. contra *Jovinianum*, ubi primo ait, Prophetam *Ezechielem* tantum hypotetice locutum eſſe, quando de *Daniele* dicit, eum, ſi fuiſſet in terra peccatrice, non liberaturum filios ſuos, & filias, quia, inquit ſanctus ille Doctor, *perſpicue comprobatur, eo tempore, quo hæc dicebantur de Noe, Daniele, & Job, adhuc puerum fuiſſe Danielem, nec potuiſſe habere filios & filias, quos ſua juſtitia liberaret*. Secundo, obſervat ibidem ſanctus ille Doctor, *Danielem*, licet adhuc puer eſſet, quando *Ezechiel* vaticinabatur, anno ſcilicet ſexto *Joakimi*, Regis Juda, notum tamen populo fuiſſe, *vel propter Suſannæ liberationem, & occiſionem Presbyterorum*; & eam ob cauſam, *Danielem* inter grandævos homines, jamque vita functos, videlicet, *Noemum*, & *Jobum*, fuiſſe ab *Ezechiele*, Propheta, collocatum. Cur autem nonnulli Scriptores ſibi falſo perſuaſerint, *Danielem*, Prophetam, non eſſe vindicem & liberatorem *Suſannæ*? non aliam ſane rationem invenio, niſi quia exiſtimarunt, hanc *Suſannæ* liberationem contigiſſe ſub finem captivitatis Babylonicæ, quæ per ſeptuaginta annos duravit, quo tempore *Daniel*, Propheta, non erat certe puer, ſed pluſquam octogenarius, unde inferunt, *Danielem*, Prophetam, non fuiſſe liberatorem *Suſannæ*, quia perhibet Scriptura Sacra, *Suſannam* liberatam fuiſſe a *Daniele*, qui adhuc puer erat. Verum, futilis eſt hæc quorumdam Scriptorum conjectura. Liberatio quippe *Suſannæ* contigit tempore Regis *Nabuchodonoſoris* ſub initium captivitatis Babylonicæ, quando *Daniel*, Propheta, adhuc puer erat, non vero ſub finem captivitatis Babylonicæ, vel ſub imperio *Cyri*, Perſarum Regis. Hinc doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes aſſerunt, verſiculum ſexageſimum quintum capitis 13. libri *Danielis*, in quo leguntur hæc verba: *Et Rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos, & ſuſcepit Cyrus Perſes Regnum ejus*, non pertinere ad Hiſtoriam *Suſannæ*, quæ eodem in capite decimo tertio narratur, ſed attinere ad Hiſtoriam *Beli*, quæ immediate poſt deſcribitur, & cum qua connectitur verſiculus ille ſexageſimus quintus capitis 13. libri *Danielis*. Id etiam liquido patet ex contextu & diſpoſitione Græcorum Codicum, præſertim Editionis Græcæ *Sixti V.* Pontificis Maximi, in qua verſiculus ille ſexageſimus quintus capitis 13. libri *Danielis* connectitur cum Hiſtoria *Beli*, non vero cum Hiſtoria *Suſannæ*, quæ longo tempore præceſſit Hiſtoriam *Beli*. Non igitur ad finem captivitatis Babylonicæ, vel ad tempora *Cyri*, Perſarum Regis, referenda eſt *Suſannæ* Hiſtoria, quæ revera contigit ſub exordium captivitatis Babylonicæ, quo tempore *Daniel*, Propheta, *Suſannæ* liberator, adhuc juvenis erat. Denique, in antiquis Scripturæ Sacræ Verſionibus Hiſtoria *Suſannæ* erat præfixa fronti libri *Danielis*, eo quod in exordio captivitatis Babylonicæ revera contigiſſet, & longe ante Hiſtoriam *Beli*: quamvis in Editione noſtra vulgata, quæ a Sacro Concilio Tridentino jure optimo Authentica fuit declarata, hæc *Suſannæ* Hiſtoria capite dumtaxat decimo tertio libri *Danielis* legatur.

D. Paucis verbis, rogo te, deſcribe *Suſannæ* Hiſtoriam, & quo pacto Propheta *Daniel*, adhuc juvenis, eam ab iniqua duorum impudicorum ſenum accuſatione vindicarit?

M. *Suſanna*, filia *Helciæ*, & uxor *Joachimi*, viri honeſtiſſimi & opulentiſſimi, non minus pulchritudine, quam pudicitia clara, magnum tempore captivitatis Babylonicæ præbuit, & ſuæ caſtimoniæ, & in Deum confidentiæ ſingulare exemplum, omnium Hiſtoriarum monimentis, & omnium mortalium linguis celebrandum. Dum enim *Suſanna* in horto corpus ſuum ſola æſtivo tempore lavaret, ecce duo ſalaciſſimi ſenes, qui ejus pudicitiæ inſidiantes in eumdem hortum furtive irruperant, e latebris prodeuntes, illico ad eam accurrerunt, & dixerunt: *Ecce oſtia pomarii clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus; quam ob rem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum. Quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quod fuerit tecum juvenis*. Hæſit quidem attonita caſtiſſima *Suſanna*, videns, ni duorum illorum ſenum petitioni ſuccumberet, certiſſimam ſibi imminere mortem cum dedecore conjunctam; nihilominus malens mori, quam fœdari, plus apud ipſam Dei, quam mortis & honoris cogitatio valuit. Reſtitit, clamavit, ejuſque clamoribus excitati advolarunt multi, qui fidem adhibentes verbis duorum iſtorum ſenum, quos, ut pote Presbyteros, & Populi Judices, putabant eſſe teſtes locupletiſſimos & omni exceptione majores, innocentem *Suſannam* dignam morte judicarunt. Sed, dum ad ſupplicium duceretur, commodum adfuit *Daniel*, Propheta, qui tam accuſatores, quam *Suſannam*, & Populum ad judicium retraxit, ſedenſque pro tribunali puer ille judex, juſſit, duos iſtos propudioſos ſenes ſepara-

parari, & interrogavit primum, ſub qua arbore *Suſanna* adulterium, cujus eam inſimulabat, cum adoleſcente admiſiſſet, illoque reſpondente, vidiſſe *Suſannam* peccantem ſub arbore, quam Græcus libri *Danielis* Interpres ait fuiſſe *Schinum*, ſtatim *Daniel*, alludens ad verbum σχίζειν, quod græce ſignificat *ſcindere*, ait: *Recte mentitus es in caput tuum, ecce enim Angelus Domini, accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium*. Rurſus altero ſene, dicente, ſe vidiſſe *Suſannam* peccantem ſub arbore, quam Græcus libri *Danielis* Interpres ait fuiſſe *Prinum*, confeſtim *Daniel* alludens ad vocem πρίζειν, quod idem eſt ac *Secare*, protinus hanc in eum tulit Sententiam: *Recte mentitus es in caput tuum, manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut ſecet te medium*. Obiter tamen advertere debes, *Danielem* in iſto judicio, quo *Suſannam* ab iniqua duorum illorum ſenum accuſatione vindicavit ac liberavit, uſum non eſſe his vocibus græcis, nec iſtis ad voces græcas alluſionibus, quippe qui Græcam Linguam non callebat. Sed eum alias voces Linguæ Chaldaicæ, cujus notitia juſſu Regis *Nabuchodonoſoris* imbutus erat, proprias uſurpaſſe, quas poſtea Græcus libri *Danielis* Interpres mutavit in voces græcas, & ad eas aptas adhibuit alluſiones græcas; quod ſane in optimo interpretandi genere fieri ſolemne eſt. Hoc pacto a *Daniele*, Propheta, caſtiſſima *Suſanna* liberata fuit, ſarta tecta manente ejus pudicitia, pro cujus defenſione totis viribus reſtitit, &, ut legitur cap. 13. lib. *Danielis*: *Exclamavit voce magna*, vitamque ſuam commendans ac devovens divinæ providentiæ, dixit impudicis ſenibus: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini*. Ex quo patet, quale judicium ferendum ſit de hac Propoſitione cujuſdam recentioris Auctoris, cujus nomini parco: „ In „ hac vi & metu infamiæ mortiſque poterat Su„ ſanna dicere: Non conſentio actui, ſed patiar „ & tacebo, ne me infametis & adigatis ad „ mortem . . . . . Forte Suſanna id neſciebat, „ vel non cogitabat: ſic enim honeſtæ caſtæque „ virgines putant ſe eſſe reas, ſeque conſentire „ lenonibus, ſi non clamore, manibus, totiſque „ viribus reſiſtant. Potuiſſet Suſanna in tanto „ periculo infamiæ & mortis negative ſe habere, „ & permittere in ſe eorum libidinem, modo in„ terno actu in eam non conſenſiſſet, ſed eam „ deteſtata & execrata fuiſſet, quia majus eſt bo„ num vita & fama, quam pudicitia, unde hanc „ pro illa exponere licet. Iſtam Propoſitionem Conventus Generalis Cleri Gallicani anno MDCC. tanquam *temerariam*, *ſcandaloſam*, *caſtarum aurium offenſivam*, *erroneam*, & *Legi Dei contrariam* proſcripſit; & merito quidem, quia Lex Dei cap. 22. verſ. 23. & ſeq. lib. *Deuteronomii* jubet, ut puella, quæ non clamaverit, cum poſſet, ad implorandum domeſticorum aut vicinorum auxilium contra violentum ipſius pudicitiæ aggreſſorem, lapidibus una cum eo, qui eam conſtupravit, obruatur. Et ſanctus *Ambroſius* lib. *de Lapſu virginis conſecratæ* cap. 3. his verbis excuſationem illius virginis, Deo ſacræ, quæ a quodam adoleſcente fuerat deflorata, refellit: *Sed dicis: Nolui hoc malum, violentiam paſſa ſum: Reſpondebit tibi fortiſſima illa Suſanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas: Ego inter duos utique Judices populi, ſola inter ſylvas paradiſi conſtituta, vinci non potui, quia nec volui. Tu ab ineptiſſimo adoleſcente, & in media civitate quomodo vim potuiſti perferre, niſi quia ultro vitiari voluiſti? Quis denique tuas voces audivit? Quis obluctationes ſenſit?* Sed ſatis hactenus dictum ſit de *Suſannæ* Hiſtoria, quæ licet ab aliquot antiquis ſanctis Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, atque ab aliquibus Eccleſiis non fuerit olim tanquam ſacra & canonica recepta, adeoque non extiterit in primo Scripturarum Sacrarum Canone, conſtat attamen, Hiſtoriam *Suſannæ* ab Eccleſiarum parte maxima, & majoris auctoritatis, doctiſſimiſque Patribus tanquam ſacram ac divinam fuiſſe habitam, & ut talem, poſt ſolemnem Eccleſiæ definitionem, in Eccleſia Catholica recipi, id eſt, ut partem libri *Danielis* eodem ſpiritu dictatam, & in eadem canonicæ auctoritatis arce poſitam ac cætera, quæ in ſacro *Danielis* libro narrantur. Extabat etiam olim in antiquis Codicibus Hebræis hæc *Suſannæ* Hiſtoria, quam poſtea Judæi, teſte *Origene* in Epiſtola ad *Julium Africanum*, eraſerunt, deleverunt, expunxerunt.

D. In quo ſita eſt Hiſtoria *Beli*, quæ, ſicut antea obſervaſti, deſcribitur in libro *Danielis* poſt Hiſtoriam *Suſannæ*?

M. Hiſtoria *Beli* deſcribitur cap. 14. libri *Danielis*, eique annectitur altera Hiſtoria, ſeu *Draconis*, quem Babylonii, ceu Numen, colebant, quemque *Daniel* interfecit. Incipiam autem ab Hiſtoria *Beli*, quam cultiſſimus Scriptor *Sulpicius Severus* lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ* narrat his verbis: „ Erat, inquit, ea tempeſtate apud Baby„ lonios Beli ex ære Simulacrum, quod ſuper„ ſtitione hominum conſecratum Cyrus quoque „ ( qui Monarchiam Perſicam Babylone inſti„ tuit ) adorare erat ſolitus, antiſtitum ejus do„ lo illuſus, qui veſci effigiem illam atque pota„ re affirmabant; cum diurnam penſitationem, „ quæ Idolo inferebatur, clam ipſi abſumerent. „ Igitur Cyrus cum Daniele familiariter utere„ tur, quærit ab eo, cur ſimulacrum non adora„ ret, cum manifeſtum viventis Dei eſſet indi„ cium, abſumentis ea, quæ inferebantur? Da„ niel, ridens hominis errorem, negare id poſſe „ fieri, ut æs illud, id eſt, bruta materies, cibo „ uteretur, aut potu. Acceſſit ergo Rex ad Sacer„ dotes, qui ſeptuaginta erant, adhibitoque „ eos terrore increpitat, quis impenſa conſume„ ret, cum Daniel, vir prudentia inſignis, mi„ nime ib ab inſenſibili ſimulacro poſſe fieri „ contenderet. Tum illi, confiſi parato dolo, „ inferre & obſignari a Rege Templum depo„ ſcunt, uti, niſi omnia poſtero die abſumpta „ deprehenderentur, morte pœnas perſolverent; „ dum eadem conditio Danieli maneret. Ita„ que ſigno Regis Templum obſignatur, cum

„ prius Daniel, Sacerdotibus inſciis, pavimentum cinere aſperſiſſet, ut introeuntium occultos aditus veſtigia proderent. Igitur poſtero die Rex Templum ingreſſus, animadvertit abſumpta, quæ Idolo apponi juſſerat. Tum Daniel occultam fraudem veſtigiis prodentibus reſerat, Sacerdotes cum uxoribus & filiis ſubfoſſo foramine ingreſſos, ea, quæ Idolo appoſita fuerant, devoraſſe. Ita omnes juſſu Regis interfecti, Templum ac ſimulacrum Danieli in poteſtatem datum, atque ejus arbitrio dirutum. Hoc modo ſe habuit *Beli* Hiſtoria, ad quam Scriptura Sacra eodem in capite decimo quarto libri *Danielis* aliam adjungit Hiſtoriam, ſeu *Draconis*, quem adorabant Babylonii, quemque *Daniel*, injecta in os maſſa ex pice adipe & pilis compacta, interfecit, & eam ob cauſam in lacum leonum conjectus eſt, ubi ſex dierum ſpatio illæſus manſit, eumque ibidem *Habacuc*, ex Judæa in Babylonem ab Angelo translatus, prandio, quod meſſoribus paraverat, recreavit. Septimo die; poſtquam *Daniel* in lacum leonum fuerat projectus, Rex *Cyrus*, qui tum Babylonico potiebatur Imperio, illuc venit, videnſque *Danielem* in medio leonum tranquille ſedentem, admiratione defixus exclamavit: *Magnus es Domine, Deus Danielis*. Inde Rex ſalvum & incolumem *Danielem* eduxit, & illos, qui ei inſidias ſtruxerant, in eamdem foſſam conjici imperavit, qui, adſpectante Rege, confeſtim a leonibus diſcerpti ac devorati ſunt. Obiter tamen advertere debes, *Danielem* bis in lacum, ſeu foſſam leonum, fuiſſe immiſſum. Primo fuit in foſſam leonum miſſus tempore *Darii Medi*, Babyloniorum Regis, eo quod, contra ejuſdem Regis Mandatum, Deum precatus fuiſſet, & tunc in foſſa leonum una tantum nocte manſit recluſus, ſicut dicitur cap. 5. v. 21. libri *Danielis*. Deinde, *Daniel* in lacum leonum denuo miſſus fuit, a *Cyro*, Perſarum Rege, qui Babylonicum obtinuit Imperium, & tunc in foſſa leonum per ſex dies integros ſtetit *Daniel*, ſicut legitur cap. 14. libri *Danielis*. Advertere etiam debes, Hiſtorias *Beli*, & *Draconis*, perinde ac Hiſtoriam *Suſannæ*, deſiderari quidem in Codicibus Hebræis, nec extare in primo Sacrarum Scripturarum Canone, quem antiqui ſancti Patres texuerunt, illas tamen reperiri in noſtra Scripturæ Sacræ Vulgata Verſione, quæ a Concilio Tridentino fuit declarata authentica, & in Verſione lxx. Interpretum in Verſione *Theodotionis*, & in aliis vetuſtiſſimis Verſionibus Græcis. Quo fit, ut illæ Hiſtoriæ ſacra ac divina polleant auctoritate. Nec enim ullo pacto credibile eſt, Providentiam divinam permiſiſſe unquam, ut Eccleſia Catholica ejuſmodi Hiſtorias, ſi veræ, & a Spiritu Santo dictatæ non eſſent, approbaret, & reciperet tanquam divinas revelationes in Editione vulgata, qua nunc ubique terrarum utitur. Sed de Hiſtoriis *Beli*, & *Draconis*, quæ aperte produnt res præclare geſtas *Danielis*, ſat dictum ſit. De ſomniis vero *Nabuchodonoſoris*, & *Balthaſaris*, Babyloniorum Regum, quæ ſapientiſſime interpretatus eſt *Daniel*, cum jam in ſuperiori Colloquio dixerim non eſt quod plura hic addam. Paululum tamen hic immorabor in tribus confutandis erroribus, in quorum primo verſantur Judæi, qui negant, *Danielem* fuiſſe Prophfetam eo potiſſimum nomine, quod *Daniel* non Prophetico, ſed Aulico more vixerit. Sed, quis non videat, frivolam hanc eſſe planeque nugatoriam rationem? Vixit quidem in Aula *Daniel*, vitæ tamen ſanctimonia cæteris Prophetis impar non fuit, orationibus, vigiliis, jejuniis, gloriæ divinæ, ſalutis animarum zelo, conſtantia in adverſis, rerum terrenarum contemptu, nemini Prophetarum inferior. Præterea, numquid, amabo, *Samuel*, & *David* in Aula fuerunt? Et tamen illos Prophetas eſſe non inficias eunt Judæi. Denique, *Daniel* res futuras clare, & diſtincte prænovit, ac prædixit, futuras videlicet rerum converſiones, Imperiorum interitus, Chriſti adventum, mortem, & Regnum æternum prænunciavit, temporibus etiam accurate notatis, quibus Vaticinia ſua exitum habitura eſſent, eorumque veritatem eventus Sole clarius comprobavit. Nemo itaque ſanæ mentis negare poteſt, *Danielem* fuiſſe vere & proprie Prophetam. Alter error eſt *Porphyrii*, Philoſophi Ethnici, qui in duodecimo libro ex quindecim libris, quos adverſus Chriſtianos ſcripturivit, negat, *Danielem* eſſe auctorem illius libri, qui ejus nomine inſcriptus eſt, prætenditque hunc librum editum fuiſſe in Judæa *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, temporibus, a quodam Scriptore, qui non tam futura prædixit, quam narravit præterita. Sed hic impii Philoſophi error facile convellitur. Primo, quia *Daniel* ſæpius in libro, qui ejus inſignitnr nomine, loquitur in propria perſona, ſcilicet cap. 7. v. 2. *Videbam in viſione mea nocte*. Et cap. 8. v. 26. *Et ego Daniel langui*. Et c. 12. v. 4. *Et vidi ego Daniel*. Deinde, Chriſtus Dominus *Matthæi* cap. 24. v. 15. diſerte teſtatur, librum *Danielis* nomine inſcriptum, germanum eſſe ipſius fœtum dicens: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto &c.* Denique, *Danielem*, Prophetam, eſſe auctorem hujus libri, qui ejus nomen præfert, palam evincit perpetua, ſibique ſemper conſtans Synagogæ Judæorum, & Catholicæ Eccleſiæ traditio, quam adverſus *Porphyrium* teſte *S. Hieronymo* in Proœmio Commentariorum, ſtrenue defenderunt *Methodius*, *Apollinarius*, & *Euſebius*, Epiſcopus Cæſarienſis. Quæ certe ſufficere debent non ſolum ad impium *Porphyrium* confutandum, verum etiam ad refellendos duos recentiores Scriptores, ſua temeritate & impietate notos, quorum primus, ſcilicet *Hobbeſius*, Anglus, c. 33. lib. *Leviathan* aſſerit, certo ſciri haud poſſe, an ipſe *Daniel* Vaticinia ſua literis mandaverit. Alter vero, ſeu *Benedictus Spinoſa* in Tractatu *Theologico-Politico* ariolatur, librum *Danielis*, ſaltem quoad priora ſeptem capita, editum fuiſſe poſt inſtauratum a *Juda Machabæo* Templi Hieroſolymitani cultum. Tertius deni-

denique error eſt Hæreticorum noſtri temporis, qui non ſolum *Suſannæ*, *Beli*, & *Draconis* Hiſtorias, tanquam a Græculo quodam Scriptore de induſtria confictas explodunt, ſed etiam velut apocryphum rejiciunt Canticum *Benedicite*, quod tres pueri, *Sidrach*, *Miſach*, & *Abdenago*, juſſu *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, in ardentem fornacem conjecti decantarunt, ſicut legitur cap. 3. libri *Danielis*. Ajunt quippe Hæretici, Canticum iſtud non reperiri in Codicibus Hebræis, & veroſimile non eſſe, tres illos pueros Hebræos tantum otii habuiſſe, ut in camino ignis verſibus luderent, & omnes Dei creaturas ad concinendas Dei laudes provocarent. Sed hæc inepta Hæreticorum facile exſufflatur dubitatio. Quamvis enim iſtud Canticum *Benedicite &c.* non extet in Codicibus Hebræis, integrum tamen reperitur in Verſione Græca *Theodotionis*, & in Verſione Vulgata, quam Eccleſia Catholica in Concilio Tridentino authenticam declaravit. Creditu etiam facile eſt, Deum, qui, ad manifeſtandam omnipotentiam ſuam, tres illos pueros a flammis illæſos ac immunes voluit ſervare, virtutem itidem eis contuliſſe ad certatim excitandas in hoc Cantico omnes creaturas, ut divinas laudes ordinatim decantarent. Apage itaque hunc Hæreticorum errorem, qui excuſſo omni obedientiæ jugo, ſolemni Eccleſiæ judicio pervicaciter parere detrectant contra Oraculum Chriſti Domini, dicentis cap. 18. v. 17. Matthæi, *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

D. Cum *Daniel*, Suſannæ vindex, Prophetiæ dono fuerit inſignis, lubenti animo auſcultabo illuſtriora, quæ fudit Oracula.

M. Præcipuus *Danielis* Prophetæ, in eo, quem edidit, libro, ſcopus eſt futurum Chriſti Regnum deſcribere. Licet enim in ſex prioribus ſui libri capitibus Hiſtoriam taxat *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, uſque ad everſum per Medos & Perſas Babylonicum Imperium, multaque narret de quatuor Monarchiarum viciſſitudine, attamen ea, quam Propheta *Daniel* deſcribit, deſtructio quatuor Orbis Monarchiarum, puta Chaldæorum, deinde Medorum, & Perſarum, poſtmodum *Alexandri Magni* & Græcorum poſtremo Romanorum, eo pertinet, ut intelligamus omnia iſta Imperia finem aliquando habitura, & ſolum Chriſti Regnum fore æternum ac nunquam periturum. Sic enim cap. 2. loquitur Daniel: *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet univerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Secundum quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs & argentum, & aurum &c.* Hoc *Danielis* vaticinium *S. Hieronymus* luculento iſto illuſtrat commentario: *In fine autem horum omnium Regnorum, abſciſſus eſt lapis Dominus atque Salvator, ſine manibus, id eſt, abſque coitu, & humano ſemine, de utero virginali, & contritis omnibus Regnis, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Confirmat Propheta *Daniel* perpetuam Chriſti Domini, quem cap. 9. nomine *filii hominis* deſignat, durationem Regni, dicens: *Et ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniens, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & dedit ei poteſtatem & honorem, & Regnum, & omnes populi tribus, & linguæ ipſi ſerviunt, poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus non corrumpetur.* Denique, Propheta *Daniel* cap. 9. prædicit, univerſum genus humanum per Chriſtum, verum Meſſiam, liberatum iri a peccatis ſuis poſt hebdomades ſeptuaginta, quibus adventum, vitam, & mortem Meſſiæ ita circumſcribit, tamque clare prænuntiat, ut res non futuras, ſed tanquam jam geſtas oculis ſubjicere videatur. Sic enim habet *Danielis* vaticinium: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Hieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum . . . . . . . Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque in conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* In hoc porro *Danielis* vaticinio accurate notantur circumſtantiæ, quæ in ſolum Jeſum Chriſtum quadrare poſſunt. Is etenim venturus prænuntiatur, in cujus adventu ceſſabunt viſiones & Prophetiæ; certum autem eſt, Prophetas a tempore adventus Chriſti omnino in Synagoga ceſſaſſe, ſicut ipſimet Judæi vel inviti fatentur. Is rurſus prænuntiatur venturus, quo ſemel occiſo, civitas Hieruſalem, & Sanctuarium diſſipari debebant. At, utrumque, mortuo Chriſto, diſſipatum eſſe ſub Imperatoribus Romanis *Veſpaſiano*, & *Tito* inficiari haud poſſunt Judæi. Is etiam prædicitur venturus, quo mortuo, deficiet hoſtia & Sacrificium. At, utrumque jam defeciſſe, velint nolint, experiuntur Judæi, qui, everſo Templo Salomonico, ſeu Hieroſolymitano, in quo ſolo, juxta Legem Moſaicam, Sacrificia peragere poterant, nullum amplius queunt offerre Sacrificium. Is denique hoc Danielis vaticinio prænunciatur venturus, quo mortuo, futura erat in Templo abominatio deſolationis uſque ad conſummationem & finem duratura. At, id ſuis oculis uſurpant, Judæi, quippe qui a tempore, quo Templum Hieroſolymitanum ſolo æquatum eſt, ſunt omnibus nationibus exoſi, hac illac diſperſi, abjecti, miſeri, extorres, ſine Patria, ſine Principe, ſine Sacerdote, ſine Templo, ſine Sacrificio, ſicut in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis fuſius oſtendimus. Hoc igitur *Danielis* vaticinium recta col-

collimare in Chriſtum Dominum verum Meſſiam, tam certum eſt, quam quod maxime.

D. Quid ſibi volunt iſtæ ſeptuaginta hebdomades, quibus, ut ais, *Daniel* Propheta, adventum, vitam, & mortem Meſſiæ circumſcripſit?

M. Convenit inter omnes Chronologos, hebdomades, de quibus cap. 9. ſermonem habet *Daniel*, non eſſe hebdomades dierum, aut menſium, aut decenniorum, aut Jubilæorum, aut ſæculorum, ſed eſſe hebdomades annorum, juxta morem numerandi Hebræorum. Dicitur enim cap. 25. lib. *Levitici*: *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomades annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt quadraginta novem annos*. Omnes itaque Chriſtiani Chronologi, & inter Judæos R. *Aben Eſra*, R. *Abarbanel*, aliique periti Rabbini, hunc *Danielis* locum explicantes, ultro conſentiunt, hebdomades, quarum Propheta *Daniel* cap. 9. meminit, eſſe hebdomades annorum, ſubindeque ſeptuaginta hebdomades ſimul collectas conficere numerum quadringentorum & nonaginta annorum.

D. Si ſeptuaginta hebdomades, quibus Propheta *Daniel* adventum, vitam, & mortem Meſſiæ circumſcripſit, ſimul collectæ efficiant dumtaxat numerum quadringentorum nonaginta annorum, non eſt dubium, quin iſtud *Danielis* de lxx. hebdomadibus vaticinium jam pridem ſuum habuerit exitum, adeoque fruſtra Judæi venturum adhuc præſtolentur Meſſiam. Nec enim adeo vecordes exiſtimo eſſe Judæos, ut dicant, ſeptuaginta illas hebdomades, Prophetæ *Danieli* revelatas, quæ numerum dumtaxat quadringentorum & nonaginta annorum afficiunt, nec noſtro quidem effluxiſſe ſæculo, quo bis mille ducentos ſeptuaginta & amplius annos ab eo *Danielis* vaticinio numeramus. Sed dicas, obſecro te, quando nam ſeptuaginta illæ *Danielis* hebdomades duxerint exordium?

M. In præfigendo exordio ſeptuaginta *Danielis* hebdomadum variæ circumferuntur eruditorum opiniones. S. *Hieronymus* jam tum ſuo ſæculo octo recenſet opiniones. Sed *Benedictus Pererius* quindecim enumerat, eiſque adjicit decimam ſextam opinionem, quam ipſe probabiliorem putat. Tam variarum ac inter ſeſe diſcrepantium opinionum examen operoſum nimis ac moleſtum eſſet. Quamobrem, ab illis diſcutiendis ac refellendis in præſentia ſuperſedebo, maxime cum ea de re plura jam dixerim in Paragrapho primo Diſſertationis xv. Tractatus, quem edidi, *De myſteriis & annis Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri*. Sed ne jejunium te omnino dimittam, breviter hic proponam eam, quæ mihi magis probatur, ſententiam, quamque in prædicto Paragrapho multis argumentis adſtruere ſtudui. Antequam tamen mentem meam circa exordium & finem lxx. *Danielis* hebdomadum aperiam, tria velim accurate obſerves, ex quorum notitia pendet plena hujuſce difficultatis dilucidatio. In primis præſtat ut obſerves, quatuor a Regibus Perſarum data eſſe Edicta in gratiam Judæorum. Primum Edictum Judæis datum eſt a Rege *Cyro*, qui laxavit captivitatem Babylonicam, ſicut legitur c. 1. l. 1. *Eſdræ*. Alterum Edictum Judæis conceſſum eſt a Dario Hyſtaſpis filio, Perſarum Rege, ut legitur cap. 6. lib. 1. *Eſdræ*. Tertium Edictum Judæis indultum eſt ab *Artaxerxe Longimano* Perſarum Rege, anno ipſius Regni ſeptimo, uti refert *Eſdras* cap. 7. l. 1. Poſtremum Edictum in gratiam Judæorum dedit idem Rex *Artaxerxes Longimanus* anno vigeſimo Regni ſui, ſicut ſcriptum legimus cap. 2. lib. 2. *Eſdræ*. Cum igitur Propheta *Daniel* aſſerat, initium lxx. harumce hebdomadum ducendum eſſe *ab exitu ſermonis*, id eſt, ab illo Edicto, quo Judæis permittenda erat poteſtas iterum ædificandi mœnia & plateas urbis Hieruſalem, hinc quærunt Theologi, ſacræ Chronologiæ periti, a quo Edicto, ex his quatuor mox ammemoratis, & a Regibus Perſarum in gratiam Judæorum conceſſis, petendum ſit exordium lxx. *Danielis* hebdomadum. Bene multi perdocti recentiores Scriptores initium lxx. *Danielis* hebdomadum arceſſendum eſſe autumant ab illo Edicto, quod Rex Perſarum *Artaxerxes Longimanus* in gratiam Judæorum conceſſit anno vigeſimo Regni ſui, quia, inquiunt, in illo Regio Edicto diſerta & expreſſa ſit mentio de poteſtate conceſſa Judæis reædificandi muros, & plateas urbis Hieruſalem. At, ipſe, habita ratione Chronologiæ, quæ cum iſta recentiorum Scriptorum ſententia conciliari minime poteſt, ſicut mox evincam, probabilius cum aliis eruditis cenſeo, ſeptuaginta *Danielis* hebdomades habuiſſe initium a promulgatione illius Edicti, quod *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex, conceſſit Judæis anno ſeptimo Regni ſui. At enim, quamvis in hoc Edicto, quod Rex *Artaxerxes Longimanus* anno ſeptimo Regni ſui conceſſit Judæis, non ſiat aperta, expreſſa, & explicita mentio de facultate inſtaurandi mœnia & plateas urbis Hieruſalem, prædicta tamen facultas cingendi mœnibus Hieroſolymorum urbem in iſto Regio Edicto implicite ſat ſuperque continetur. Legimus quippe c. 7. lib. primi *Eſdræ*, Regem *Artaxerxem Longimanum* dediſſe anno ſeptimo Regni ſui *Eſdræ* omnem petitionem ejus: *Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone..... Et dedit ei Rex, ſecundum manum Domini Dei ejus ſuper eum omnem petitionem ejus*. Quis autem credat, *Eſdram* ab illo Perſarum Rege *Artaxerxe Longimano* non poſtulaſſe & impetraſſe facultatem inſtaurandi mœnia Hieruſalem? Fateor tamen ultro, hanc facultatem reædificandi muros Hieruſalem, quam *Eſdras* anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* obtinuit, non fuiſſe executioni mandatam, quia Samaritani, aliique infenſiſſimi Judæorum hoſtes, ægre admodum ferentes, quod Judæi Hieroſolymorum urbem muris cingerent, facta conſpiratione in arma ruerunt, eoſque, ad mœnium urbis reparationem ſe accingentes, ſive aperto marte, ſive clandeſtinis molitionibus interturbarunt. Quo factum eſt, ut Judæi coacti fuerint aliud Edictum a Rege *Artaxerxe Longimano* (anno ſcilicet Regni ejus vigeſimo) poſtulare, quo Perſarum ille Rex diſertis & expreſſis verbis confirmaret poteſtatem reædificandi muros Hieruſalem, quam ipſis jam anno Regni ſui ſeptimo indulſerat, ſed verbis non ita apertis & expreſſis.

Præ-

Præterea, obſervare debes, ſeu potius in tuam revocare memoriam ea, quæ in ſuperiori Colloquio diximus, videlicet *Artaxerxem Longimanum*, Perſarum Regem, cœpiſſe dumtaxat poſt mortem patris ſui *Xerxis*, regnare, hoc eſt, anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, ſeu anno periodi Julianæ 4250. ante Æram vulgarem, ſeu Chriſtianam 463. Quo fit, ut annus ſeptimus Regni *Artaxerxis Longimani* inciderit in annum tertium Olympiadis Octogeſimæ, ſeu in annum Periodi Julianæ 4256. & ante Æram vulgarem, ſeu Chriſtianam 457.

Poſtremo, advertere debes, annum primum Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ, quæ initium ducit a vulgari natalitio Chriſti Domini, concurrere cum anno periodi Julianæ 4714. Quamvis enim periti Chronologi de anno proprii & veri natalitii Chriſti inter ſe digladientur, apud illos tamen in confeſſo eſt, annum natalitii vulgaris Chriſti (juxta Æram vulgarem, ſeu Chriſtianam, cujus auctor eſt *Dionyſius Exiguus*) connecti debere cum anno periodi Julianæ 4713. adeo ut primus annus Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ, cœperit Calendis menſis Januarii anni periodi Julianæ 4714. in hoc, inquam, conſentiunt omnes Chronologiæ periti, ſicut copioſe oſtendi in Tractatu *De Myſteriis & annis Chriſti* Diſſertatione ſexta *De anno proprii Natalis Chriſti*.

His præmiſſis obſervationibus, nunc hac unica, ſed invicta ratione demonſtro, initium lxx. *Danielis* hebdomadum putandum eſſe ab anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani*. Chriſtus, juxta Prophetæ *Danielis* vaticinium, occidi debuit in medio hebdomadis ſeptuageſimæ, hoc eſt, anno quadringenteſimo octogeſimo ſexto ab exordio lxx. *Danielis* hebdomadum, atqui ab anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad obitum Chriſti effluxerunt anni quadringenti octuaginta ſex; ab anno itaque ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* peti debet initium lxx. *Danielis* hebdomadum. Minorem propoſitionem, in qua vertitur difficultatis cardo, ſic probo: Annus ſeptimus Regni *Artaxerxis Longimani* concurrit, ſicut mox diximus, cum anno periodi Julianæ 4256. ſeu cum anno ante Æram, dictam vulgarem, aut Chriſtianam, quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Ab hoc igitur anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ annum primum, qui, ſicut fatentur omnes Chronologiæ periti, connecti debet cum anno periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo decimo quarto, effluxerunt anni 457. quibus, ſi addas annos viginti novem Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ (Chriſtus enim, ut late oſtendi in Tractatu *De Myſteriis & annis Chriſti*, Paragrapho ſecundo, Diſſertationis 15. mortuus eſt anno Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ, vigeſimo nono) comperies, ab anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad obitum Chriſti Domini interfluxiſſe annos 486. ac ſubinde Chriſtum occiſum fuiſſe in medio hebdomadis ſeptuageſimæ, ſicut prædictum eſt a *Daniele* Propheta. Porro, ſemel fixo ac conſtituto ſeptuaginta *Danielis* hebdomadum initio, proclive eſt earum finem atque exitum ſtabilire. Nam lxx. *Danielis* hebdomades efficiunt, ut jam diximus, annos quadringentos nonaginta. Cum ergo ab anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad mortem Chriſti, elapſi fuerint anni 486. manifeſto conſequitur, lxx. *Danielis* hebdomades quadriennio poſt mortem Chriſti Domini finem, exitumque habuiſſe. In hac ſententia de exordio & fine lxx. *Danielis* hebdomadum, quam ambabus manibus amplector, omnia ſibi optime cohærent. At, ſententia eorum, qui lxx. *Danielis* hebdomadum exordium repetunt ab anno vigeſimo Regis *Artaxerxis Longimani*, inſuperabiles habet difficultates, cumque illius ſententiæ aſſertores nullo pacto oſtendere poſſint, effluxiſſe ab anno vigeſimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad obitum Chriſti annos 486. ſed ſolum annos 477. coguntur aſſerere primo, annos Regni *Artaxerxis Longimani* putari non debere poſt mortem patris ſui *Xerxis*, ſed illos numerandos eſſe ab anno duodecimo Regni ipſius patris *Xerxis*, qui hoc anno, ut inquiunt, filium ſuum *Artaxerxem Longimanum* ad Regni conſortium adſcivit. Sed hoc oppido falſum eſt, quia, ſicut in ſuperiori Colloquio oſtendimus, fictitia plane eſt hæc Regni *Artaxerxis Longimani* cum patre ſuo *Xerxe* communio, & tantum poſt mortem patris ſui regnare cœpit *Artaxerxes Longimanus*. Secundo ejuſdem ſententiæ defenſores coguntur annos ſolares hebdomadum ſeptuaginta *Danielis* contrahere in annos lunares, in quibus nullus reperitur menſis embolimus, ſeu intercalaris, quippe ſubinde breviores ſunt annis ſolaribus. Sed huic inani effugio omnes aditum præcluſimus in Paragrapho primo, Diſſertationis 15. Tractatus *De Myſteris & annis Chriſti*, ubi commonſtravimus, hujuſmodi hebdomades annorum lunarium, quales ſunt apud Arabes, fine menſe embolimæo, ſeu intercalari, nunquam in uſu fuiſſe apud Hebræos, quibus ſolemne ſemper fuit, ad lunarem annum civilem, quo utebantur, ſolari anno coæquandum, intercalare, more Græcorum, quolibet biennio, vel triennio menſem, vel quolibet octennio tres menſes emboliſmos, ſeu intercalares, adjicere, ſicuti teſtatur *Julius Africanus*, tum apud *Euſebium*, Epiſcopum Cæſarienſem, lib. 8. *Demonſtrationis Evangelicæ*, tum apud *S. Hieronymum* in cap. 9. libri *Danielis*, & apud *Georgium Syncellum*, in ſua Chronographia; idque a *Moyſis* temporibus apud Hebræos uſitatum fuiſſe tradit *Aben Eſra*, inter Rabbinos doctiſſimus. Sed ſat hactenus dictum ſit de rebus præclare geſtis, & de vaticiniis *Danielis*, qui, ſicut legitur cap. 1. v. 21. & cap. 6. v. 28. libri *Danielis*, vixit uſque ad annum primum Regis *Cyri*, Perſæ, a quo laxata eſt captivitas Babylonica.

D. Perſpicua ſunt iſthæc, quæ protuliſti, *Danielis* vaticinia, & in Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, optime competunt. Age nunc, & continenti ordine trium Prophetarum Minorum

*Aggæi*, *Zachariæ*, & *Malachiæ*, qui poſt captivitatem Babylonicam res futuras prædixerunt, & de quibus in præſenti noſtro Colloquio dicturum te, ut bene memini, ſpopondiſti, geſta ac præcipua percenſe vaticinia.

M. Incipiam ab *Aggæo*, qui inter Prophetas Minores decimus eſt, & cujus extat inſigne de Jeſu Chriſto vaticinium, quod quidem ut clarius intelligas, rem altius repetam, paucisque exponam, ut argumenti, quod inde Chriſtiani adverſus Judæos eliciunt, vim facilius perſpicere poſſis. Everſa primitus Hieroſolymorum urbe, dirutoqne *Salomonis* auguſtiſſimo Templo, Judæos captivos in Babylonem deportaverat Rex Nabuchodonoſor. Annos ſeptuaginta perduravit hæc Judæorum captivitas, quibus demum exactis, Judæi a *Cyro*, Perſarum Rege, libertate donati ſunt, veniamque inſtaurandi Templi obtinuerunt. In hanc operam potiſſimum intenderunt *Zorobabel*, filius *Salathiel*, & *Jeſus*, filius *Joſedech*, & hanc novam Templi Hieroſolymitani fabricam anno ſecundo *Darii*, *Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, abſolverunt, ſicut in ſuperiori Colloquio oſtendimus. Verum, quia hæc inſtaurati Templi Hieroſolymitani moles, ſeu ſtructura eſſet amplitudine, ornatu & decore, pompa, majeſtate, & magnificentia longe inferior priori Templo Hieroſolymitano, a Rege *Salomone* extructo, Judæi, qui levem aliquam priſtini Templi Salomonici memoriam retinebant, ad aſpectum iſtius inſtaurati Templi a lachrymis abſtinere haud poterant. Lacrymantem populum ſolatus eſt Deus Optimus Maximus, inſtaurati hujus Templi prærogativas, quibus prius Templum Salomonicum ſuperaret, commendando ac celebrando his verbis quæ leguntur cap. 2. v. 7. & ſequentibus libri *Aggæi*, Prophetæ: *Adhuc modicum eſt*, & *commovebo cælum*, *terram*, & *mare*, & *aridam*, & *movebo omnes gentes*, & *veniet deſideratus cunctis gentibus*, & *implebo domum iſtam gloria*, *dicit Dominus exercituum* ...... *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ*, *pluſquam primæ*, *dicit Dominus exercituum*, & *in loco iſto dabo pacem*. Hoc Dei Oraculum, prolatum per *Aggæum*, Prophetam, fuit in Chriſto omni ex parte adimpletum. Ipſe quippe eſt *deſideratus cunctis gentibus*, quem Patriarcha *Jacob* cap. 49. libri Geneſis prædixit, fore *expectationem Gentium*. Ipſe hoc ſecundum Templum Hieroſolymitanum (antequam a Romanis ſub *Veſpaſiano*, & *Tito*, Imperatoribus, everteretur) præſentia ſua, miraculis, adhortamentis, orationibus illuſtravit, & conſecravit, eique majorem gloriam, ea, quam habebat prius Templum Salomonicum, conciliavit, quia Chriſtus eſt Rex Regum, & *Salomone* major. Ipſe denique Chriſtus in hoc ſecundo Templo Hieroſolymitano ſalutarem animarum pacem, reconciliato hominibus Deo, fidelibus dedit, qui ideo in ſacris literis appellatur *Princeps pacis*, & *pax noſtra*. Hæc ſiquidem pax, quam Deus per *Aggæum*, Prophetam, daturum ſe in iſto ſecundo Templo Hieroſolymitano promiſit, debebat eſſe tantum ſpiritualis, nec intelligi poteſt de pace temporali, cum certum ſit, hoc ſecundum Templum Hieroſolymitanum creberrimis bellis fuiſſe appetitum ab *Antiocho*, *Seleuco*, *Pompejo*, & ab Imperatoribus Romanis, *Cajo*, qui illud ſacrilege Idolis, & ſuo præſertim ſimulacro dehoneſtrare, ac prophanare præſumpſit: & a *Veſpaſiano* ac *Tito*, qui in illud ferociter exarſerunt, ac tandem poſt multas horrendas calamitates, quas *Joſephus*, Hebræus, lib. 7. *De Bello Judaico* cap. 16. accurate deſcribit, illud ſolo æquarunt. Has itaque omnes iſtius vaticinii Prophetæ *Aggæi* circumſtantias, ſi abdicatis, ut eſt, præjudiciis, expendere haud graventur Judæi, fateri cogentur, Jeſum Chriſtum, qui ſecundum illud Templum Hieroſolymitanum, a *Zerobabele* reſtitutum, præſentia ſua decoravit, illuſtravit, conſecravit, verum eſſe Meſſiam; vel, ſi perfricta fronte id inficientur, compellentur, velint nolint, dicere, hoc Prophetæ *Aggæi* vaticinium necdum impletum eſſe, nec unquam impletum iri, cum iſtud ſecundum Templum Hieroſolymitanum, a *Zorobabele* inſtauratum, penitus a Romanis ſub Imperatoribus *Veſpaſiano*, & *Tito*, fuerit exciſum, nec unquam amplius inſtaurabitur, ſicut in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis ex Prophetarum Oraculis evicimus.

D. Nunc profecto argumenti, quod ex iſto Prophetæ *Aggæi* vaticinio adverſus Judæos eruunt Chriſtiani vim perſpectam exploratamque habeo. Etenim *Aggæus* clare prædixit, venturum intra breve tempus *deſideratum cunctis Gentibus*, id eſt, Meſſiam a Deo promiſſum, eumque ſecundum Hieroſolymitanum Templum, a *Zorobabele*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, inſtauratum, gloria impleturum. Venit autem Jeſus Chriſtus, dum adhuc ſtaret ſecundum iſtud Templum Hieroſolymitanum, illudque præſentia ſua, miraculis & doctrina cohoneſtavit, nec amplius extat prædictum Templum Hieroſolymitanum, quod a Romanis paulo poſt mortem Chriſti ab imis fundamentis everſum eſt abſque ulla ſpe futuræ aliquando iſtius inſtaurationis. Chriſtus itaque verus eſt Meſſias, utpote qui Mundo illuxit, ea temporis periodo, qua venturum Meſſiam prædixit *Aggæus* Propheta. Hoc certe Chriſtianorum argumentum jugulum Judæorum petit, cui ſolvendo miſeri illi homines, quamvis in omne latus ſeſe vertant, ſemper impares erunt. Sed veniamus, ſi placet, ad vaticinia *Zachariæ*, qui non ſecus ac Propheta *Aggæi*, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, in Republica Judæorum futura prædixit.

M. Propheta *Zacharias*, filius *Barachiæ*, filii *Addo*, qui inter Prophetas Minores undecimum obtinet locum, vaticinatus eſt poſt captivitatem Babylonicam, ideoque *Jeſum Joſedech*, Sacerdotem Magnum, & *Zorobabelem*, quos ſub ſymbolo duarum olivarum deſignat, ad fabricam Templi Hieroſolymitani quamprimum abſolvendam vehementer adhortatur. Viſiones ſibi objectas exponens, ſub figuris quatuor quadrigarum, & quatuor ventorum, repræſentat quatuor

Mo-

Monarchias, quas Propheta *Daniel* proſpexerat, & quæ per conſequentes ætates ſibi ordine ſucceſſerunt, ſeque mutuo everterunt, videlicet Monarchias Babylonicam, Perſicam, Græcam, & Romanam, ſub qua poſtrema naſciturus erat Chriſtus, cujus Vitam, & Paſſionem, inſtar Evangeliſtæ, deſcribit idem Propheta. Ad Chriſtum enim primo pertinet iſtud, quod cap. 2. Prophetiæ *Zachariæ* legitur vaticinium: *Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait, Dominus, & applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & ſcies, quia Dominus Exercituum miſit me ad te*. Hoc vaticinium mire convenit Chriſto, qui verus Deus ac Dei filius, a Deo patre in mundum miſſus eſt, factuſque homo, ſtetit medius noſtrum, & habitavit in nobis; cujus etiam incarnationis fructus fuit converſio Gentium plurimarum ad Dominum. Præterea, inſignis itidem eſt ejuſdem Prophetæ de Chriſto, ſeu de illius triumphali ingreſſu Hieroſolymam prædictio, quæ c. 9. Prophetiæ *Zachariæ* legitur, his verbis concepta: *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Hieruſalem: Ecce Rex tuus venit tibi juſtus & ſalvator. Ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ &c.* Quod certe vaticinium de Meſſia a Judæis intellectum, nulli aptari poteſt niſi uni Chriſto. Ille quippe ſedit ſuper aſinam, cum triumphantis more, ſed habitu pauperis, Hieroſolymorum urbem ingreſſus eſt, ut videre eſt apud ſacros Evangeliſtas, *Matth.* cap. 21. & *Joan.* cap. 12. Tertio, ad Chriſtum quoque ſpectat iſtud vaticinium, quod extat in eodem cap. 9. *Zachariæ* Prophetæ: *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti emiſiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua*. Chriſtus etenim in triduo mortis ſuæ deſcendit ad Inferos, ubi Patriarchæ, & Prophetæ, & alii juſti Veteris Teſtamenti tenebantur concluſi, donec per Paſſionem Chriſti reſerato cælo, conſcenderunt in cælum cum Chriſto, qui *ſolutis doloribus inferni, & expolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*. Quarto, venditionem Chriſti, cujus pretio ager figuli emptus eſt, idem Propheta *Zacharias* cap. 10. verſ. 12. & 13. ſuæ Prophetiæ clariſſime prædicit his verbis: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: Projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis, & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad ſtatuarium*. Quæ omnia (ut videre eſt cap. 27. Evangeliſtæ *Matthæi*) in Chriſto, Servatore noſtro, ita impleta ſunt, ut Prophetam *Zachariam* potius Hiſtoriam deſcripſiſſe, quam rem futuram prædixiſſe videatur. Poſtremo, *Zacharias*, Propheta, Spiritus Sancti Miſſionem, Chriſti Jeſu Crucifixionem & plagas, diſperſionem Diſcipulorum, Idolorum everſionem, & Dæmoniorum exterminationem, ita clare vaticinatur, ut nullus ſit, niſi excæcatus Judæus, qui ejuſmodi prædictiones, eventu, ſole meridiano coruſcante clariori, in Chriſto Jeſu fuiſſe adimpletas, ultro non fateatur. Hæc ſiquidem cap. 12. verſ. 10. & ſeq. nomine Dei prædicit *Zacharias*, Propheta: *Et effundam*, inquit Deus, *ſuper domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum: Et aſpicient ad me, quem confixerunt. Et plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet, in morte Primogeniti*. Et cap. 13. verſ. 1. & ſeq. ſubdit idem Propheta: *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. Et erit in die illa, Dominus Exercituum: Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur ultra, & Pſeudoprophetas & ſpiritum immundum auferam de terra ..... Et dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me: Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus Exercituum: Percute paſtorem, & diſpergentur oves &c.* Sed de vaticiniis *Zachariæ* hæc pauca prælibaſſe ſufficiat. Si tamen plura de illis ſcire aveas, legeſis, modo tibi per otium liceat, doctiſſimos in hunc Prophetam Commentarios *S. Hieronymi*, & *Theodereti*, qui Zachariana iſta, quæ laudavi, Oracula Chriſto Domino vindicant.

D. Supereſt *Malachias*, qui, poſt captivitatem Babylonicam, Prophetæ munus obivit, quemque de Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, adventu multa fudiſſe Oracula non dubito.

M. *Malachias*, qui, ut notum eſt, ultimum inter Prophetas Minores locum tenet, inſignia de Jeſu Chriſto, vero Meſſia, edidit vaticinia. Enim vero, *Malachias*, qui, inſtaurato jam per *Zorobabelem* Templo Hieroſolymitano, Prophetiam ſuam adornavit, eo videlicet tempore, quo Judæi, ſecundi ædificii Templi Hieroſolymitani mole inſpecta, a lacrymis temperare haud poterant, quod prioris Templi a *Salomone* conſtructi comparatione vilius & inferius videretur; *Malachias* inquam, Judæos non aliter quam Propheta *Aggæus* ſolari aggreſſus eſt, futurum ſpondens, ut ad Templum Hieroſolymitanum, a *Zorababele* inſtauratum, propediem Meſſias, tamdiu expectatus, accederet, qui ei ſuo adventu ac præſentia nomen, dignitatem, & gloriam conciliaret: *Ecce ego*, inquit Deus Malachiæ cap. 3. verſ. 1. *Mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad Templum ſuum dominator, quem vos quæritis, Angelus Teſtamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus Exercituum*. Ad illud itaque ſecundum Templum Hieroſolymitanum, a *Zorobabele* poſt captivitatem Babylonicam inſtauratum, venturus erat Meſſias, atque adeo antequam *Veſpaſianus*, & *Titus* obtinerent Imperium Romanum, a quibus prædictum Templum Hieroſolymitanum penitus everſum eſt. Certum autem eſt, Jeſum Chriſtum ad hoc Templum Hieroſolymitanum, antequam ab illis Imperatoribus Romanis ſolo æquaretur, veniſſe, illudque orationibus, doctrina, & miraculis plurimum illuſtraſſe. Ve-

rus

rus ergo Meſſias, qui alius non eſt quam Jeſus Chriſtus, Mundo jam illuxit. Hinc Chriſtus Dominus hoc Prophetæ *Malachiæ* vaticinium de ſe, & de ſuo prodromo, ſeu præcurſore, *Joanne Baptiſta*, interpretatur c. 11. v. 10. *Matthæi*, dicens: *Hic eſt* ( id eſt, Joannes Baptiſta ) *de quo ſcriptum eſt*: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante te*. Neminem autem Judæorum fore exiſtimo, qui nomine *Dominatoris*, & *Angeli*, ſeu Nuncii Teſtamenti, ab Hebræis tamdiu expetiti, alium a Meſſia ſignificari pertendat; cum ſæpius Prophetæ Meſſiam appellent *Dominatorem*, *Angelum*, ſeu Teſtamenti Nuncium, qui a Deo mittendus erat, ut cum hominibus novum ſanciret fœdus, illudque ſempiternum. Hoc itaque argumentum nunc intorqueo adverſus pervicaces Judæos. Verus Meſſias, juxta vaticinium *Malachiæ*, naſciturus erat, ſtante adhuc ſecundo *Salomonis* Templo, ſeu, ut clarius dicam, ſtante *Salomonis* Templo, quale a *Zorobabele*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, ſub *Cyro*, Perſarum Rege, inſtauratum erat, nec ultra poſt ſecundi Templi hujus excidium protrahi poteſt Meſſiæ adventus: Atqui inſtauratum illud a *Zorobabele* ſecundum Templum Salomonicum fuit funditus deſtructum ac dirutum, ab Imperatoribus Romanis *Veſpaſiano*, & *Tito* triginta ſeptem circiter annis poſt Aſcenſum Chriſti Domini in Cælum; conſequens ergo eſt, Meſſiam ante *Veſpaſiani*, & *Titi* Imperium adventaſſe, ac proinde ſalutaris illius adventus epocham in Jeſu Chriſti, Domini noſtri, ætatem incidiſſe, fruſtraque Judæos ſuum etiamnum expectare Liberatorem, qui jam dudum advenit. Ab hoc certe peremptorio argumento ſeſe, ſi poſſint, extricent Judæi. Ipſe vero alia *Malachiæ* vaticinia, quæ Jeſum Chriſtum ſpectant, breviter referre pergam. Redarguit Propheta *Malachias* cap. 1. verſ. 10. & ſeq. ſuæ Prophetiæ Sacerdotum Gentis Judaicæ, negligentiam, ſocordiam, & impietatem; minatur ipſis egeſtatem, maledictionem, & infamiam, quia Sacrificia, quæ ab illis Sacerdotibus offerebantur, Deo non placebant, ſed potius odio & faſtidio ei erant. Quocirca, aliud Sacrificium longe excellentius Deo oblatum iri prædicit *Malachias* his verbis: „ Non eſt mi„ hi voluntas in vobis, dicit Dominus Exer„ cituum, munus non ſuſcipiam de manu veſtra. „ Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum, ma„ gnum eſt nomen meum in gentibus, & in „ omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo „ oblatio munda, quia magnum eſt nomen „ meum in gentibus. Hoc *Malachiæ* vaticinio palam indigitari incruentum novi fœderis Sacrificium corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti, quod *Meſſiam* appellare Catholicæ Eccleſiæ uſus obtinuit, quodque ubique locorum, & gentium, tota, qua late patet, Eccleſia, Deo offertur, concors eſt omnium ſanctorum Patrum ſententia. Hoc quippe Sacrificium incruentum, a Chriſto Domino pridie, quam mortem oppeteret, inſtitutum, vere eſt oblatio munda, grata, & accepta Deo, cum ſit Deus ipſe, qui Deo offertur, & idem ſanguis, qui effuſus eſt in totius generis humani redemptionem. Denique, Propheta *Malachias* non tantum prædixit primum adventum Meſſiæ, verum etiam prænunciat ſecundum illius adventum, in quo judicaturus omnes omnino homines veniet. Sic enim cap. 3. v. 1. & ſeq. ſuæ Prophetiæ habet: „ Ec„ ce veniet Dominus Exercituum, & quis po„ terit cogitare diem adventus ejus, & quis ſta„ bit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflans &c. Et cap. 4. v. 5. ait, Deum, ante ſupremi judicii diem, miſſurum *Eliam*, Prophetam, ut Judæorum corda ad pœnitentiam flectat, & ad Deum convertat: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*. De vaticiniis *Malachiæ* non plura addam, ſed hic dumtaxat velim obiter advertas, erraſſe quoſdam veteres Hebræos, & *Jonathanem*, Chaldæum Paraphraſten, qui *Malachiam* cum *Eſdra*, qui ei coævus ac ſuppar fuit, inſcite confundunt, cum tamen Scriptura Sacra utrumque accurate diſcernat, & *Malachiam* appellet *Prophetam*, nunquam vero *Eſdram* nuncupet *Prophetam*, ſed *Scribam*, & *Sacerdotem*. *Origenes*, & *Tertullianus*, *Malachiam* non fuiſſe verum hominem, ſed reipſa Angelum incarnatum, falſo opinati ſunt; nam licet *Malachias* a *Clemente Alexandrino* lib. 1. *Stromatum*, & a quibuſdam aliis Patribus, nec non a lxx. Interpretibus nomine *Angeli* decoretur, ipſumque nomen Hebræum *Malachiæ* idem ſonet ac *Angelus meus*, conſtat attamen, *Malachiam* hoc *Angeli* nomine ratione officii, non naturæ, fuiſſe donatum, quia Sacerdotes, Prophetæ, & quicumque Dei mandata hominibus ſignificant, interdum in ſacris litteris *Angeli* appellantur, tametſi eos fuiſſe veros homines compertum atque exploratum ſit. Hoc ſenſu ipſe Propheta *Malachias* cap. 2. v. 7. ait: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini Exercituum eſt*. Et cap. 3. v. 1. *de Joanne Baptiſta* Dominus dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum*. Cæterum, *Malachiam*, Prophetam, fuiſſe verum hominem, & non reipſa Angelum, diſerte probat iſta Sacri Libri Eccleſiaſtici cap. 49. v. 12. Sententia: *Et duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo*, hæc, inquam, Sacri illius Libri Scriptoris ſententia probat, *Malachiam*, Prophetam, ejuſdem plane naturæ fuiſſe, ac undecim reliquos Prophetas Minores, quos certe veros homines fuiſſe nemo inficias ire poteſt.

D. Expone, quæſo, uberius, quis ſit iſte *Eſdras*, quem, ut mox ajebas, veteres Hebræi cum *Malachia*, Propheta, perperam confuderunt?

M. Fuit *Eſdras*, ut jam diximus, *Malachiæ*, Prophetæ coævus, Sacerdos, & Legis Moſaicæ Scriba peritiſſimus, ſive, ut ipſe de ſe ait cap. 7. v. 6. lib. *Eſdræ*, *Scriba velox in Lege Moyſis*. Soluta Edicto *Cyri*, Perſarum Regis, Babylonica Judæorum captivitate manſit *Eſdras* Babylone ad annum uſque ſeptimum *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regis, indeque Hiero-

Hieroſolymam cum Regiis mandatis, & magno cum Judæorum comitatu reverſus, ſacros ritus, politiamque Judaicam reſtituit. Duo extant Sacri Libri & in Canone recepti, qui Eſdræ nomine ſunt inſigniti, quique complectuntur Hiſtoriam rerum omnium, quæ, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, in Republica Judæorum acciderunt temporibus *Cyri*, & *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regum. In primo libro *Eſdræ* exhibetur numerus ſacrorum Templi Salomonici Vaſorum, quæ Rex *Nabuchodonoſor* tranſtulerat Babylonem, & a *Cyro*, Perſarum Rege, fuerunt reſtituta. Recenſentur etiam Judæi, qui, Duce *Zorobabele*, ad Hieroſolymorum urbem reverſi ſunt. Præterea, deſcribuntur graviſſima incommoda, quæ in conſtructione Templi Hieroſolymitani paſſi ſunt Judæi a Samaritanis, qui clandeſtinis molitionibus, & mille nocendi artibus hanc ſecundi Templi Hieroſolymitani fabricam impedire aggreſſi ſunt. Poſtremo, narratur, quo pacto *Eſdras*, zelo Dei ſuccenſus, matrimonia, quæ Iſraelitæ cum alienigenis contraxerant, diſſolverit, & prophanas uxores, atque liberos ex eis ſuſceptos abjici præceperit. Quod ſtatim, conſentientibus omnibus ad unum Judæis, executioni mandatum eſt. Continet hic primus liber, nomine *Eſdræ* inſcriptus, Hiſtoriam liberationis Judæorum e captivitate Babylonica, eorumque in Judæam reditus ab anno primo *Cyri*, Perſarum Regis, uſque ad annum vigeſimum *Artaxerxis Longimani*, Perſarum itidem Regis. Alter liber, qui itidem nomen *Eſdræ* præfert, Hiſtoriam exhibet rerum, quæ Reipublicæ Judæorum acciderunt ab anno vigeſimo *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regis, uſque ad *Darium*, dictum *Nothum*, Perſarum pariter Regem. Et in primis, in eo ſcripta legitur expreſſa ac diſerta facultas, quam *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex, anno vigeſimo Regni ſui conceſſit *Nehemiæ* redeundi Hieroſolymam, eamdemque urbem mœnibus cingendi. Deinde, referuntur judicia, & Sanctiones ejuſdem *Nehemiæ* pro regimine populi, & recenſentur Judæi, qui primum Hieroſolymorum urbem aſcenderunt. Tertio, deſcribitur, quomodo *Eſdras* coram univerſo populo Legem Moſaicam perlegit, & hi numerantur, qui pro obſervanda hac Lege fœdus inierunt, & inito fœderi ſua manu ſubſcripſerunt. Denique, leguntur nomina illorum, qui Hieroſolymorum urbem, & cæteras Judææ civitates incolebant, fitque accurata enumeratio officiorum Sacerdotum, & Levitarum, qui, Duce *Zorobabele*, in patrium ſolum reverſi ſunt, omneſque mulieres alienigenæ, lecto ſemel libro *Deuteronomii*, repudiatæ, penituſque ejectæ feruntur. Hi ſunt duo libri, qui nomine *Eſdræ* inſigniuntur, & quibus ſemper Eccleſia Catholica, ſancti Patres, pleraque Concilia ſacram ac divinam vindicant auctoritatem. Obſervat tamen *S. Hieronymus*, hos duos libros nomine *Eſdræ* inſcriptos, olim apud Hebræos pro uno tantum libro habitos, & recenſitos fuiſſe.

D. Eſtne *Eſdras* verus ac legitimus Auctor horumce duorum librorum, qui ejus nomine inſigniuntur?

M. Valde probabiliter, mea quidem ſententia, aſſerit Illuſtriſſimus Abrincenſis Epiſcopus *Daniel Huetius* in ſua ſæpe laudata *Demonſtratione Evangelica*, ſex priora libri primi *Eſdræ* capita non ab ipſo *Eſdra*, ſed a ſacro Auctore librorum Paralipomenon fuiſſe ſcripta. Enim vero, ea, quæ in calce libri ſecundi Paralipomenon leguntur, iiſdem omnino verbis initio libri primi *Eſdræ* repetita inſeruntur. Præterea, Auctor ſex priorum capitum libri primi *Eſdræ* aperte innuit, ſe jam e Babylone reverſum eſſe Hieroſolymam regnante *Dario Hyſtaſpis* filio Perſarum Rege, præſentemque Hieroſolymis fuiſſe, atque reſpondiſſe Syriæ Præfectis, qui Templi ædificationem (quæ facta eſt regnante *Dario Hyſtaſpis* filio) præpedire volebant. Sic enim ait: *Ad quod reſpondimus eis, quæ eſſent nomina Auctorum ædificationis illius:* Atqui certiſſime ex capite ſeptimo ejuſdem libri primi *Eſdræ* conſtat, *Eſdram* non fuiſſe e Babylone Hieroſolymam reverſum regnante *Dario Hyſtaſpis* filio, ſed dumtaxat haud paucos poſt annos, hoc eſt, anno ſeptimo *Artaxerxis Longimani*, illum e Babylone Hieroſolymam aſcendiſſe; non ergo *Eſdras* auctor eſt ſex priorum capitum libri primi, qui ejus nomine inſignitur. Scripſit tamen *Eſdras* caput ſeptimum, & tria alia capita, quæ ſequuntur in libro primo *Eſdræ*, quia in his quatuor capitibus *Eſdras* loquitur in propria perſona. Ait quippe cap. 7. v. 27. & 28. *In me inclinavit* (Deus) *miſericordiam ſuam coram Rege*. Et cap. 9. v. 5. *Curvavi genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum*. Negari igitur non poteſt, *Eſdram* eſſe auctorem quatuor poſtremorum capitum libri primi, qui inſcribitur nomine *Eſdræ*. Cæterum, quamvis incertus ſit auctor ſex priorum capitum libri primi, inſcripti nomine *Eſdræ*, ſicut & duorum librorum Paralipomenon, ut jam oſtendimus in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis, vere tamen dici poteſt, *Eſdram* eſſe auctorem duorum librorum Paralipomenon, ſicut & libri primi, nomine ejus inſcripti, quia, ut obſervavimus, *Eſdras*, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, duos libros Paralipomenon, ab incerto auctore exaratos, digeſſit, & ſex priora libri primi, ſibi cognominis, capita ſubnexuit, iiſque alia quatuor poſtrema ejuſdem libri capita, a ſe ipſo ſcripta, addidit. (*a*)

„ (*a*) Huetii ſententia, quæ ab Eſdra ſcripta „ priora capita libri Eſdræ negat, plerumque „ ab eruditis noſtratibus rejicitur, atque com„ muni calculo approbatur Eſdras totius hujus „ libri auctor. Nec urgent in oppoſitum Huetii „ argumenta: nam Eſdras auctor libri ſuo nomi„ ne inſcripti, etiamſi Heroſolymis tunc non „ eſſet, perſonam agens totius populi ſcribere „ potuit, *ad quod reſpondimus eis*, nempe reſ„ pondimus nos Hebræi. Inſuper Eſdras quidem „ venit in Judæam prima vice, cum populus eo „ rediit, permiſſa ſibi a Dario Hyſtaſpis faculta„ te: num vero ille idem ſit Eſdras, qui ſub

„ Arta-

„ Artaxerſe Longimano regreſſus eſt, ambigi jure „ meritoque poteſt; & forte idem eſt, qui bis re- „ dierit in Judeam, ſemel quidem valde junior ſub „ Dario, iterum vero valde ſenex ſub Longimano.

Ad alterum quod attinet librum, nomine etiam *Eſdræ* inſcriptum, convenit inter omnes viros eruditos, & Scripturæ Sacræ Interpretes, auctorem iſtius ſecundi libri non eſſe *Eſdram*, ſed, *Nehemiam*, Fuit autem *Nehemias*, Hebræus, *Artaxerxis Longimani* Perſarum Regis, Pincerna, qui anno vigeſimo Regni ejuſdem *Artaxerxis Longimani*, ab hoc Rege poteſtatem, & expreſſam impetravit facultatem Hieroſolymorum urbem inſtaurandi, eamque mænibus, turribus, propugnaculis, portiſque muniendi. Ea facultate a Rege donatus *Nehemias*, Hieruſalem venit, eam muris cinxit, Judæorum hoſtibus fruſtra repugnantibus, eorumque dedicationem magna cum ſolemnitate inſtituit. Sunt plerique, qui exiſtimant, hunc *Nehemiam* fuiſſe Sacerdotem, negant alii cum *Euſebio*, *Sulpitio Severo*, & *S. Iſidoro Hiſpalenſi*. Sed, utut ſit de Sacerdotio *Nehemiæ*, certiſſime conſtat, ſecundi libri, qui nomine *Eſdræ* inſcribitur, verum ac genuinum parentem eſſe *Nehemiam*, cum res a ſe geſtas eo in libro deſcribat, in propria perſona loquatur, ſeque hujus libri auctorem capite 1. verſ. 1. diſerte profiteatur his verbis: *Verba Nehemiæ, filii Helchiæ*. Poſſet quis objicere, *Nehemiam* non eſſe auctorem hujus ſecundi libri, qui inſcribitur nomine *Eſdræ*, quia capite 11. verſ. 22. iſtius libri fit mentio de *Jeddoa*, qui imperante *Alexandro Magno*, Summus fuit Judæorum Pontifex, huicque Græcorum Monarchæ, Hieroſolymam venienti, obviam ivit. Cum igitur ab anno Regis *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regis, vigeſimo, quo florebat *Nehemias*, & ad minus annos triginta quinque tunc natus erat, uſque ad Imperium *Alexandri Magni* fluxerint centum & amplius anni, veroſimile non videtur, *Nehemiam* ad tempora *Alexandri Magni* perveniſſe, ac ſubinde mentionem facere potuiſſe de *Jeddoa*, qui, regnante *Alexandro Magno*, fuit Summus Pontifex Judæorum. Verum, hanc objectionem jam in ſuperiori Colloquio occupavimus, ubi contra *Joſephum*, Hebræum, oſtendimus, iſtum *Jeddoam*, Pontificem, cujus meminit *Nehemias*, loco mox a me laudato, eſſe plane diverſum ab illo *Jaddo*, qui, imperante *Alexandro Magno*, Judæorum Pontifex erat, ibidemque obſervavimus, hunc *Sanaballetem*, qui *Nehemiæ*, murorum urbis Hieruſalem ſtructuram aggredienti, reſtitit, alium itidem eſſe ab illo *Sanaballete*, qui caſtra *Alexandri Magni* ſecutus eſt. Sed ab iſto diverticulo redeamus ad *Eſdram*, de quo Scripturæ Sacræ Interpretes ſolent tres movere quæſtiones, quas hic breviter expendemus. In primis, inquirere ſolent, an *Eſdras* ſacros libros, in Excidio Hieroſolymitano, & in captivitate Babylonica amiſſos, aut neglectos, in integrum reparaverit, ac divino afflatus Numine memoriter dictaverit? Deinde, utrum *Eſdras* auctor ſit Hebraicæ Punctationis, & Maſoræ? Denique, utrum *Eſdras* ſit auctor illius *Cabalæ*, qua Judæi recentiores utuntur, ut ex literis Scripturæ Sacræ & earum figura, permutatione, aut arithmetica ſupputatione, arcana quædam eruant Legis Myſteria?

D. Has tres quæſtiones, quas de *Eſdra* movere ſolent Scripturæ Sacræ Interpretes, ſingillatim, obſecro te, dirime, juxta probabiliorem, quæ tibi videtur, ſententiam.

M. De modo, quo *Eſdras*, ſacros libros, poſt laxatam a *Cyro*, Perſarum Rege, captivitatem Babylonicam, reparaverit, necdum ſatis convenit inter peritos. (*a*) Alii ſiquidem exiſtimant, *Eſdram*, Spiritu Sancto aflatum, Scripturæ Sacræ libros, qui vel in Excidio Hieroſolymitano combuſti ſunt, vel in captivitate Babylonica interjerunt, ex memoria ad verbum dictaſſe. Ita ſentit auctor libri quarti inſcripti nomine *Eſdræ*, qui commentitiam hujus rei hiſtoriam deſcribit capite decimo quarto. Sed illius libri auctor, quiſquis ille ſit, nullam plane meretur fidem, tum quia Eccleſia Catholica hunc quartum *Eſdræ* librum, ceu apocryphum, rejicit, tum quia etiam hic liber multis næniis & fabulis ſcatet. In eamdem auctoris libri quarti *Eſdræ* ſententiam deſcendunt aliquot antiqui Patres, *Irenæus* lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 25. *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum, *Baſilius* in Epiſtola ad *Chilonem*, eiſque nonnulli recentiores ſuffragantur. Alii vero ſecuti ſanctos Patres *Hieronymum* adverſus *Helvidium*, *Hilarium*, in Præfatione in Pſalmos, *Chryſoſtomum* Homilia octava in Epiſt. ad Hebræos, docent, libros ſacros nec in Excidio Hieroſolymitano, nec in captivitate Babylonica periiſſe, ſed in eos tantum, ſive ob injuriam temporum, ſive ob incuriam & negligentiam Judæorum, irrepſiſſe menda, quæ ab *Eſdra*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, fuerunt emendata atque repurgata. Hæc poſtrema ſententia mihi longe probabilior videtur, primo, quia credibile non eſt, tantam eſſe potuiſſe cladem, vaſtitatem, & ſocordiam Judæorum erga libros ſacros, ut nulla apud ipſos fuerint aſſervata ſacrorum codicum Exemplaria, iiſque omnino caruerint illi ſaltem Judæi, qui undecim annis ante excidium Hieroſolymitanum, una cum *Joachimo*, Rege Juda, in captivitatem Babylonicam fuerunt a Rege *Nabuchodonoſore* deportati. Præterea, incredibile etiam eſt, *Jeremiam*, Prophetam, quem, Regis *Nabuchodonoſoris* juſſu, *Nabuzardan*, militiæ Præfectus, ab omni injuria Hieroſolymis tutum permanere voluit, nullum penes ſe conſervaſſe Scripturæ Sacræ codicem, maxime, cum teſtetur Scriptura Sacra capite ſecundo lib. 2. Machabæorum, Prophetam *Jeremiam* ex incendio Hieroſolymitano Tabernaculum, & Arcam, & Altare Incenſi eripuiſſe & abſcondiſſe, ne venirent in poteſtatem hoſtium. Potuit ergo *Jeremias*, hac data opportunitate uſus, unum ſaltem ſacrorum librorum Exemplar, ab incendio Hieroſolymitano vindicare. Tertio etiamſi

darem,

darem, Prophetam *Jeremiam* nullo pacto potuiſſe aliquod ſacrarum codicum Exemplar ab incendio Hieroſolymitano liberare, attamen funeſtam illam cladem ac conflagrationem pati minime potuiſſet Pentateuchus *Moyſis* Samaritanus, eaſdemque ſacrilegas flammas omni procul dubio evaſiſſent illi Scripturæ Sacræ codices, quos, ut mox diximus, illi Judæi, qui una cum *Joachimo*, Rege Juda, in Babylonem undecim annis ante excidium Hieroſolymitanum fuerunt abducti, ſecum aſportarunt. Quarto, *Danielem*, Prophetam, in captivitate Babylonica ſacros codices penes ſe habuiſſe facile colligitur ex capite nono verſiculo decimo tertio ipſius libri, ubi ait: *Sicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi, omne hoc malum venit ſuper nos*. Quinto, legimus cap. 8. lib. 2. *Eſdræ*, Judæos, ſtatim ac in Judæam, laxata captivitate Babylonica, reverſi ſunt, petiiſſe ab *Eſdra*, *ut afferret librum Legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iſraeli*, eumque librum fuiſſe ab eodem *Eſdra* lectum in conſpectu totius populi. Librum itaque Legis *Moyſis* penes ſe aſſervaverat *Eſdras* tempore captivitatis Babylonicæ. Poſtremo, *Joſephus*, Hebræus, capite 1. l. 11. Antiq. Jud. refert, oſtenſum fuiſſe *Cyro*, Perſarum Regi, vaticinium *Iſaiæ*, quo ipſius nomen exprimebatur, victoriæ prædicebantur, ipſique ampliſſimum, promittebatur Imperium; quod *Cyrum* permovit, ut Judæis libertatem, Templique Hieroſolymitani reparandi poteſtatem concederet. Evaſit ergo flammas incendii Hieroſolymitani prophetia *Iſaiæ*, idemque de aliorum Prophetarum libris, & de cæteris Scripturæ Sacræ partibus credere par eſt. His itaque adductus rationibus cenſeo, libros ſacros nec incendio Hieroſolymitano, nec in captivitate Babylonica omnino interiiſſe, ac ſubinde non fuiſſe ab *Eſdra* ex integro & memoriter dictatos, ſed *Eſdram* in hoc dumtaxat curam & induſtriam poſuiſſe, ut ſacros codices, quos plura menda invaſerant, emendaret, repurgaret, caſtigaret, in unum corpus & canonem redigeret. Antiquos etiam characteres hebraicos immutavit *Eſdras*, iiſque ſuffecit characteres Chaldaicos, tum quia Judæi hiſce Chaldaicis characteribus, ob diuturnam captivitatem Babylonicam, magis erant aſſueti; tum quia etiam voluit *Eſdras*, ut Judæi hoc pacto a Samaritanis evidentius diſtinguerentur. Samaritani ſiquidem characteres Hebraicos uſurpabant, ſicut ex communi Hebræorum Traditione probat *Vvaltonus* Prolegomeno tertio *in Biblia Polyglotta Londinenſia*. Lingua etiam Judæorum, poſt reditum ex captivitate Babylonica mutationem ſubiit. Nec enim tunc Judæis Lingua pure Hebraica vernacula fuit, nec etiam pure Chaldaica Lingua, ſeu Aramæna vetus; ſed Lingua vulgaris, qua poſt captivitatem Babylonicam uſi ſunt Judæi, mixta fuit ex Hebræa veteri, quæ Syriaca dicta eſt, ſenſim Linguarum peregrinatione admixtione corrupta. Hinc capite octavo lib. *Nehemiæ* legimus, *Eſdram*, & Levitas, cum Legem Moſaicam populo prælegerent, eandem expoſuiſſe, & ſenſum dediſſe (Lingua ſcilicet vulgari) ut populus, Linguæ pure Hebraicæ oblitus, intelligeret. Hinc etiam fluxit origo earum, quas etiamnum habemus, Paraphraſium Scripturæ Sacræ Chaldaicarum, quas adornarunt *Okeloſus*, & *Jonathas Ben-Uziel*, qui Legem & Prophetas, poſtquam in Synagogis legerant, explicationem Lingua vulgari dederunt.

(*a*) „ Certum huc uſque ratumque fuit eruditis „ ſacros libros ita reſtitutos ab Eſdra fuiſſe, ut „ & formam veterum characterum immutaverit „ ſubmotis vetuſtis Hebraicis, atque Aſſyriacis, „ quibus Hebræi in captivitate aſſueverant ſubſtitutis. Verum non ante multos annos res a„ liter viſa eſt P. Eraſmo Froelich e Societate „ Jeſu viro doctiſſimo, rato Hebræos olim ab „ exordio gentis, ſicut & vetuſtos Ægyptios, „ Phœnicios, de quibus Philo apud Bochartum „ Geogr. ſac. lib. 2. cap. 16. Æthiopes, Heliod, „ lib. 4. Græcos Theodor. quæſt. 61. in Geneſ. „ geminos habuiſſe characteres, ſacrum ſcilicet & „ profanum. Sacrum acceperunt a Moyſe, eum„ que ſacris libris deſcribendis unice deſtinarunt; „ profanum vero, qui & ceteris, cum quibus „ gens illa vivebat, communis fuit, atque in ci„ vilibus utebantur, perinde ac nos hodie La„ tinum in ſacris retinuimus, vernaculum in „ communi commercio adhibemus. Sacer ille in„ violabilis & intactus a Moyſe ad nos uſque „ pervenit, atque in ſacris libris Sinagogarum „ manet. In hanc perſuaſionem virum doctiſſi„ mum perduxit Hebræorum erga ſacros libros „ nata ab ipſo gentis exordio religio, quæ tan„ ta eſt, ut ne vel unum ejus apicem immutari „ patiatur, prout Maſſoretarum immanis labor „ demonſtrat, & retenta per multa ſecula ſcri„ bendi eos libros pro Synagogis ratio confirmat. „ Civiles vero literæ communes, illæ erant, quas „ Abrahamus e Meſopotamia in terram Chana„ am adduxerat, atque ex Patriarcha illo manſe„ runt in populo, ex quo dictæ dein ſunt He„ braicæ veteres. Ex his, quæ huc uſque dedu„ cta ſunt, inferas ſacras Hebræorum literas huc „ uſque perſeverare in Bibliis ad uſum Sinagogæ „ deſcriptis. Communes vero veteres characteres „ illos eſſe, quos in vetuſtis Hebraicis nummis „ ſub Simone Macchabæo cuſis (neque enim ve„ tuſtiores ſuperſunt, ut idem ibidem demonſtrat) „ legimus. Demum Codex ille Pentateuchi, qui „ ſeculo ſuperiori a Samaritanis in Europam traſ„ miſſus venit, veteri civili Hebraico itidem e„ xaratus eſt. Igitur Eſdras ſacrorum Bibliorum „ characteres veteres nequaquam immutavit, prout „ etiam ex ſilentio ſacrorum ſcriptorum evinci„ tur, & ſi quid in oppoſitum aſſerere S. Hiero„ nymus viſus eſt, nihil ille aliud fortaſſe vo„ luit, niſi quod Eſdras rudiores veteres litera„ rum figuras emendaverit, & reddiderit elegan„ tiores. Cum vero Origenes, & Hieronymus aſ„ firmant offendiſſe ſe in nonnullis Codicibus Græ„ cis Bibliorum nomen Dei Tetragrammaton,

„He-

„ Hebraicis illis literis ſcriptum, quas civiles literas fuiſſe, non ſacras adnotatum eſt, forte hi Græci Codices ex Samaritano aliquo Græce docto ſcripti fuerunt, quo proinde nomen Tetragrammaton ita deſcripſit, prout in ſuo Samaritano Codice reperit.

D. Exiſtimaſne, *Eſdram* eſſe auctorem illorum punctorum vocalium, & accentuum, cum quibus Judæi Sacra Biblia deſcribere ſolent?

M. Judæi hanc punctorum vocalium, & accentuum originem, cum quibus Biblia Hebraica ſunt exarata, referunt vel ad *Moyſem*, vel ad *Eſdram*, ſed perperam. Primo, quia, ut mox diximus, Samaritani characteres iidem plane fuerunt cum antiquis characteribus Hebraicis ante captivitatem Babylonicam, idque diſerte teſtatur *S. Hieronymus* in Prologo Galeato: Antiqui Samaritani puncta vocalia nulla habent in ſuis Bibliis, nec ulla punctorum vocalium apparent veſtigia, ſive in ipſorum libris manuſcriptis, ſive in antiquis eorum ſiclis, qui a Regibus Iſraelis percuſſi ſunt; punctorum itaque vocalium, quæ nunc in Hebræorum Bibliis affixa ſunt, origo nec ad *Moyſem*, nec ad *Eſdram* referenda eſt. Præterea, Judæi hodierni, indivulſe adhærentes conſuetudini, quæ ab omni retro antiquitate in eorum Synagogis fuit jugiter obſervata, Sacra Volumina in ſuis Synagogis publice legunt ſine punctis vocalibus, ſine accentibus, & ſine Verſuum diſtinctionibus; ut morem antiquis temporibus uſitatum, ſive ipſum *Moyſis* autographum Exemplar, quod in Arca repoſitum erat, quodque punctis & accentibus, necnon Verſuum diſtinctionibus deſtitutum erat, adumbrent: Qua de re legeſis *Buxtorfium* lib. *De Punctorum Antiquitate*. Tertio. *Elias Levita*, apud Judæos Grammaticus doctiſſimus, probat, puncta vocalia excogitata fuiſſe a Judæis poſt confectum Talmudem, hoc eſt, circa quintum ab ortu Chriſti ſæculum, citatque in hanc rem eruditos Rabbinos. Hinc eſt, quod in Talmude tam in *Miſchna*, quam in *Gemara*, nulla prorſus fit punctorum mentio, nec ullius offenditur accentus nomen, aut figura. Quarto, ex Verſione Græca lxx. Interpretum, Chaldaica Paraphraſi, Syriaca, & ex aliis antiquis Scripturæ Sacræ Verſionibus, perſpicuum eſt, quaſdam voces, ob defectum punctorum vocalium, quæ necdum ſacro Textui erant affixa, ambiguitate laboraſſe. Quo factum eſt, ut aliter interpretati ſint Verſionum iſtarum auctores, quam hodie in punctatis Codicibus legimus; qui ſi olim punctati fuiſſent, nulla extitiſſet ambiguitas. Quinto, Linguæ Orientales, præſertim Samaritana, Chaldaica, Syriaca, Arabica, quæ maximam cum Lingua Hebraica affinitatem habent, aut nulla puncta vocalia habent, aut in eas recens invecta ſunt, ſicut teſtantur viri harum Linguarum peritiſſimi. Nulla quippe puncta vocalia ad hanc uſque diem habent Samaritani; Chaldæos vero, Syros, & Arabes nulla antiquitus puncta vocalia habuiſſe, ſed illa poſtea ad facilitatem lectionis, vel ad ambiguitatem tollendam, uſurpare cœpiſſe, evincunt *Golius*, *Erpenius*, *Andreas Maſius*, & *Buxtorfius* cap. 1. lib. 1. *Grammaticæ Syriacæ & Chaldaicæ*, peritis autem in arte credendum eſt. Cum igitur Linguæ Orientales, quæ cum Lingua Hebraica, ex qua, utpote omnium Linguarum primigenia, ceu dialecti propagatæ ſunt, maximam affinitatem habent, nulla olim puncta vocalia habuerint, &, ſi quæ nunc habent, recens in eas inducta ſint, idem plane de Lingua Hebraica dicendum eſſe cenſeo. Denique, *Origenes*, Linguæ Hebraicæ peritiſſimus, & *Sanctus Hieronymus*, rerum judaicarum indagator ſolertiſſimus, nullam omnino de punctis vocalibus ſacro Textui Hebraico affixis mentionem fecerunt, eorumque altum ea de re ſilentium argumento eſt, ejuſmodi puncta vocalia ipſis ignota fuiſſe, eaque ſæculis, quibus floruerunt, necdum in Sacra Biblia Hebraica eſſe invecta. Hæc ſunt in ſumma præcipua argumenta, quibus nituntur doctiſſimi Critici, ut probent, nec *Moyſem*, nec *Eſdram* eſſe auctores punctorum vocalium, quæ nunc Sacris Bibliis Hebraicis ſunt affixa. Confutandis autem argumentis, queis punctorum vocalium antiquitatis Aſſertores pugnant, non hic immorabor. Hæc enim pauca ex Operibus Scriptorum, qui in Lingua Hebraica ſunt verſatiſſimi, atque eruditionis Rabbinicæ laude præſtant, defloraſſe ſufficiat, & quantum tibi ſatis eſſe debet, ut his prænotionibus, quæ ad Sacræ Scripturæ lectionem utiles eſſe poſſunt, omnino non careas.

D. Intelligo quidem, originem punctorum vocalium, quæ Sacris Bibliis Hebraicis ſunt affixa, nec a *Moyſe*, nec ab *Eſdra* eſſe repetendam, ſed cuinam hæc punctorum vocalium inventio accepta referri debeat, me prorſus adhuc latet.

M. Sacer Scripturæ Veteris Teſtamenti Textus diu abſque punctis vocalibus, & accentibus fuit exaratus, ſed circa quintum ab ortu Chriſti ſæculum, vel ut cenſet doctiſſimus *Thomaſſinus*, Congregationis Oratorii Presbyter, in ſuo *Gloſſario Hebraico*, circa octavum a Chriſto nato ſæculum Judæi Scholæ Tiberiadis puncta vocalia, & accentus ſacro Textui Hebraico addiderunt, & ea de cauſa dicti ſunt *Maſorethæ*, atque Opus ab illis conflatum, *Maſora* fuit appellatum. Quod Opus apud Judæos tanto in pretio erat, ut illud *Sajeg la tora*, ſeu *Sepimentum Legis*, vulgo nuncuparent. Opus autem iſtud *Maſora* dictum, nihil aliud eſt, quam *Critica* quædam ſacra, qua diligenter annotantur variæ ſacrorum Codicum lectiones, & alia, quæ ſub nomine *Kerib*, & *Ketib* comprehenduntur; ſimulque determinatur, quoties, quo loco, & qua forma, quæque dictio in Textu Hebræo legatur, ut hoc pacto genuina Scripturæ Sacræ lectio ab omni corruptione ſervetur immunis. Hinc celebres illi Critici Judæi Scholæ Tiberiadis, dicti *Maſorethæ*, herculeo & indefeſſo plano labore percenſent omnia capita, verſus, vocabula, radices, & literas, quæ in ſacro Hebraico Textu con-

continentur, & accurate notant diverſa loca, in quibus eadem vox in ſacro illo Textu repetita legitur. Judæis ergo Scholæ Tiberiadis, dictis *Maſorethis*, accepta referri debet accentuum, verſuum diſtinctionis, & punctorum vocalium, quæ ſacris Bibliis affixa ſunt, inventio. De utilitate *Maſoræ*, ſeu illius *Criticæ Sacræ*, quam Judæi illi, dicti *Maſorethæ*, adornarunt, legere poteris *Ludovicum Capellum* in *Critica Sacra*, & in libro *De Punctationis Arcano Revelato*, *Buxtorfium* in Tiberiade, *Waltonum* Prolegomeno octavo in Biblia Polyglotta Londinenſia, *Thomaſſinum* in ſuo *Gloſſario Hebraico*, *Joannem Morinum* lib. 2. Exercitationum *De Textus Hebraici*, *Græcique ſinceritate*, & *Richardum Simonium* in ſua *Critica*. Ad fontem digitum intendiſſe ſufficiat, nec enim patiuntur noſtrorum Colloquiorum anguſtiæ, ut de his copioſius differamus.

D. Ecquid, amabo te, ſibi vult iſta *Cabala*, cujus, ut mox dicebas, inquirunt Scripturæ Sacræ Interpretes, an *Eſdras* ſit auctor?

M. *Cabalam* ſic a *Maſora* diſtinguunt Judæi, ut velint *Maſoram* nihil aliud eſſe, quam Criticam, ſeu Traditionem Grammaticam de punctis vocalibus, accentibus, ſyllabis, verſibus, & de aliis iſtiuſmodi minutiis: *Cabalam* vero dicant verſari circa profunda Legis Myſteria, quæ ex literis, & verbis Scripturæ Sacræ eruuntur. Hanc *Cabalam* magnificant Judæi, eam æquiparant Legi, ajuntque, ore traditam eſſe a *Moyſe*, & ab *Eſdra*, atque ad hæc uſque tempora ſollicite conſervatam. At, quia Judæi, qui vento & chymæris paſcuntur, multa de cabala, qua nunc utuntur, venditare ſolent, quæ falſa ſunt, & ſæpe impia ac ſuperſtitioſa, non abs re erit, ut obiter obſerves, quod ſi per cabalam intelligant Judæi myſticas interpretationes, ſeu quoſdam ſenſus reconditos, qui ex verbis Scripturæ Sacræ exculpi, & hauriri poſſunt, nullum dubium eſt, quin cabala ſic intellecta, teſte noſtro *Sixto Senenſi* l. 2. *Bibliothecæ ſanctæ*, bona ſit, vera, & pia, atque *Moyſem*, Prophetas, & *Eſdram* habeat auctores, qui Scriptis & ore docuerunt, Chriſtum eſſe plenitudinem Legis, & omnia in ejus typos fieri, quique reconditorum ſenſuum Legis, & Myſteriorum notitiam a Deo acceperunt, & eam ad ſequentium ætatum ſapientes ſucceſſiva, & nuſquam interrupta Traditione de ore in ſos, de aure in aurem tranſmiſerunt. Quin, & ſanctos Patres cum Græcos, tum Latinos, & interpretes Catholicos expoſuiſſe multos latentes myſticos Scripturæ Sacræ ſenſus certiſſime conſtat. *Cabala* igitur, eo in ſenſu accepta, bona eſt, & nunquam ab Eccleſia Catholica fuit damnata. At, ut ingenue dicam, ex hodierna cabala, cui Judæi toti ſunt addicti, nihil ſani hauriri poteſt. Vana quippe myſteria in ſyllabis, punctis, & apicibus Sacrarum Scripturarum venantur, expiſcantur, ſeu potius oleum & operam perdunt otioſi Judæi. Ex variis permutationibus, combinationibus literarum, abbreviaturis, vel ex literarum figura, aut vi Arithmeticæ, arcanos ſenſus & intelligentias extundunt, &, inſtar Chymicorum Doctorum, miris verborum involucris obvolvunt, pleraque arcana obtrudunt, quæ falſa ſunt, & inepta, quæque ſubinde riſum moverent, ſi circa ambages proponerentur. Qua in re Judæi imitantur Philoſophos Pythagoræos, qui olim obſcuris ſymbolis myſteria ſua efferebant, ut reconditam, & aliorum mentibus imperviam ſapientiam oſtentarent, & clariſſimorum ingeniorum excitarent curioſitatem, atque auriti vulgi admirationem, quod ut plurimum ſuſpicit, quidquid intelligentia aſſequi haud poteſt. Hæc cabala appellatur a Judæis *Practica*, quæ optimo jure a Chriſtianis tanquam magica & illicita damnatur, quia illius cabalæ ope, Judæi ex literis, vel verbis Scripturæ Sacræ detortis, & arcanis quibuſdam, ſed impiis & ſuperſtitioſis inde elicitis ſenſibus, opinantur, ſe ſe Angelis familiares reddere, miracula poſſe patrare, morbos ſanare, & Dæmones expellere. Quam perſuaſionem ineptam, ridiculam & ſuperſtitioſam eſſe, nemo eſt, qui ſtatim non videat. Hac tamen cabala mirum, quantum delectentur hodierni Judæi! qui tres illius diſtinguunt ſpecies. Primam appellant *Gematriam*, quæ vox eſt origine græca, & qua Cabaliſtici Judæorum Doctores utuntur ad denotandam arithmeticam literarum Scripturæ Sacræ ſupputationem, ut inde ſenſus myſticos pro ſuo arbitrio eliciant, ſed ineptos plane & ſuperſtitioſos. Alteram cabalæ ſpeciem appellant *Notaricon*, cujus beneficio, per compendium literarum Scripturæ Sacræ, ſingulæ literæ alicujus dictionis totidem verba ſignificant, quæ eaſdem literas initiales, vel finales habent. Tertiam denique cabalæ ſpeciem vocant *Temuram*, id eſt, *permutationem*, qua, eodem literarum Scripturæ Sacræ retento numero, eas, eodem ordine manente, aliter componunt, vel per certam Alphabeti combinationem cum aliis permutant, ſicque (ut in Anagratiſmo fieri aſſolet) mutant quadrata rotundis, & rotunda quadratis. Sed ex his, quæ hactenus ſtrictim diximus, ſat ſuperque compertum te habere puto, temerarium & ridiculum omnino eſſe, aſſerere, *Moyſem*, vel *Eſdram*, alioſve ſpiritu Dei aflatos homines cabalæ auctores & inventores fuiſſe. Faceſſant itaque Cabaliſtici Judæorum Doctores, qui neglecto ſenſu literali Scripturæ Sacræ, ingenii ſui figmenta plenis ac crepitantibus buccis venditant pro magnis & abſtruſis myſteriis, quæ tamen reapſe ſunt puerorum ludi, nugæ nugarum, aniles fabulæ, quæ ad Scripturæ Divinę, Fideique corruptionem recta tendunt, tantum abeſt, ut ad Scripturæ Divinæ intelligentiam, & ad Fidei Dogmata propugnanda, aut illuſtranda viam aperiant. Hinc appoſite *Aben-Eſra*, perdoctus apud Judæos Rabbinus, Præfatione in Legem, hos Cabaliſticos Doctores *Noctuis* aſſimilat, *qui in literalis ſenſus ſplendore cæci ſunt*, *in myſteriorum tenebris perſpicaces*, ſeu valde oculati.

D. De *Eſdra*, ſacrorum librorum, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, inſtauratore, non plura ſcire deſidero, ſed optarem, ut diſtinctius expli-

plicares, quis, qualiſve fuerit iſte *Zorobabel* qui, ut ſuperius dicebas, Judæos e Babylone, poſt ſolutam a *Cyro*, Perſarum Rege, captivitatem, in patrium ſolum reduxit?

M. Iſte *Zorobabel* fuit filius *Salathielis*, & a *Cyro*, Perſarum Rege, Dux ac Princeps Populi Judaici conſtitutus, ut eum e captivitate Babylonica liberatum in Judæam reduceret. Ad Judæam appulſus *Zorobabel*, magno ſtudio una cum *Jeſu*, ſeu *Joſue*, Pontifice, filio *Joſedechi*, fabricam ſecundi Templi Hieroſolymitani aggreſſus eſt, divinumque opus urgere cœpit. Sed eamdem Templi fabricam, quam propter hoſtiles Cuthæorum, ſeu Samaritanorum, incurſus ac molitiones, ſub Regibus Perſarum, *Cyro*, *Cambyſe*, & *Smerde Mago*, intermittere coactus fuerat *Zorobabel*, poſtea, regnante *Dario*, *Hyſtaſpis* filio, Perſarum hoc eſt, anno ſecundo ejus Regni, intrepido animo reſumpſit, eamque feliciter abſolvit anno ſexto Regni ejuſdem *Darii*, *Hyſtaſpis* filii, illiuſque fabricæ dedicationem, magna cum ſolemnitate & lætitia peregit, cui ſucceſſit Feſti Paſchalis celebratio die decima quarta menſis primi, ſicut legitur cap. 6. lib. 1. *Eſdræ*. Hic autem *Zorobabel*, qui ſecundi Templi Hieroſolymitani fabricam inſtauravit, ſuam originem a *Davide*, Rege, per lineam *Nathanis*, filii ejuſdem Regis, ducebat, ut teſtatur Evangeliſta *Lucas* cap. 3. ubi recenſendo avos, proavos, & tritavos Jeſu Chriſti a *Davide* Rege per *Nathanem* deſcendentes, reponit inter illos *Zorobabelem*, quo fit, ut iſte *Zorobabel*, cujus in ſtemmate Chriſti meminit *Lucas*, diſtingui omnino debeat ab altero *Zorobabele*, cujus Evangeliſta *Matthæus* capite 1. in deſcribenda genealogia Chriſti mentionem facit. At enim, hic *Zorobabel*, quem in ſtemmate Chriſti Domini reponit *S. Matthæus*, deſcendit a *Davide*, Rege, per lineam *Salomonis*, Præterea, avi, proavi, & tritavi, quos *Lucas* tribuit *Zorobabeli*, ſunt plane diverſi ab avis, proavis, & tritavis, quos *Matthæus* aſſignat *Zorobabeli*, quem inſeruit genealogiæ Chriſti. Tertio, *Zorobabel*, cujus meminit *Matthæus*, diu poſt captivitatem Babylonicam, genitus fuit, *Salathiel* quippe, ipſius pater, fuit dumtaxat genitus in captivitate Babylonica, ſic enim habet S. Matthæus: *Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel*. At, ille *Zorobabel*, quem in genealogia Chriſti exhibet *S. Lucas*, fuit vel ante captivitatem Babylonicam, vel ſaltem primis annis ejuſdem captivitatis genitus, utpote qui jam annis maturus erat, quando, annuente *Cyro*, Perſarum Rege, populum Judaicum e captivitate Babylonica ad patrium ſolum reduxit. Denique, a *Zorobabele*, quem refert Evangeliſta *Matthæus* uſque ad *Joſephum*, virum *Mariæ*, novem dumtaxat putantur generationes, ſed a *Zorobabele*, quam producit Evangeliſta *Lucas*, ſeptemdecim numerantur generationes, ex quibus liquet, utrumque *Zorobabelem*, non unum (ſicut multi falſo ſibi perſuaſerunt) ſed duos plane diverſos homines extitiſſe. Ad *Zorobabelem*, qui Judæos e captivitate Babylonica, in patrium ſolum reduxit, pertinere vaticinium Prophetæ *Michææ* c. 5. v. 2. de proditturo Duce e Bethleem, qui dominator eſſet in Iſrael, magnis animis pertendunt Hebræi. Sed dubium non eſt, quin in detorta hujuſce vaticinii interpretatione fallantur. Primo, quia *Zorobabel* nec in Judæa, nec Bethleemi natus eſt, ſed, ut mox diximus, in captivitate Babylonica. Dux autem ille, de quo loquitur Propheta *Michæas*, naſci debebat in Bethleem. Secundo, *Zorobabeli* convenire haud poteſt hæc vaticinii *Michææ* pars: *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Denique, Paraphraſtes Chaldæus *Jonathan*, auctores Talmudis, Rabbi *Salomon*, & Rabbi *Salomon*, & Rabbi *Kimki*, hoc *Michææ* vaticinium non de *Zorobabele*, ſed de Meſſia intelligendum eſſe ultro fatentur. At, quamvis *Zorobabel*, qui Populo Judaico, e captivitate Babylonica in patriam revertenti, præfuit, non ſit ille Dux, qui, juxta *Michææ* vaticinium, Bethleemi naſciturus erat, typum tamen geſſit Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, qui Bethleemi natus eſt. Sicut enim *Zorobabel*, Judæorum, e captivitate Babylonica in patriam redeuntium, Dux fuit, ita Jeſus Chriſtus homines Mundi hujus captivitate liberatos in cæleſtem, nempe Hieruſalem, deduxit. *Zorobabel* Templum Hieroſolymitanum inſtauravit: Jeſus Chriſtus Eccleſiam toto Orbe diffuſam ex vivis lapidibus extruxit. *Zorobabeli* Judæorum hoſtes Cuthæi, ſeu Samaritani, negotium faceſſiverunt: Chriſto Domino Satanas, & Mundus perpetuum bellum indixerunt. Denique, *S. Hieronymus* Comment. in cap. 1. *Aggæi*, Prophetæ, hæc habet: *Unus atque idem eſt Dominus noſter atque Salvator, Rex & Magnus Sacerdos, cujus typum, ſecundum id quod Rex erat, portabat Zorobabel, ſecundum id autem quod Pontifex erat, portabat cognominis ejus Jeſus*, ſeu *Joſue*, Pontifex, *Joſedechi* filius, qui una cum *Zorobabele* Judæos e captivitate Babylonica in patriam reduxit, & extruendæ ſecundi Templi Hieroſolymitani fabricæ egregiam operam navavit.

D. Supereſt, ut ſub finem hujuſce Colloquii diſſeramus de *Eſtheris* Hiſtoria, quæ, ſicut me jam præmonuiſti, contigit poſt captivitatem Babylonicam; necnon de auctoritate Libri, qui *Eſtheris* nomine inſignitur. Hanc igitur *Eſtheris* Hiſtoriam compendioſe quidem, ſed accurate primum deſcribe.

M. Hiſtoriæ *Eſtheris* ſummam tibi exhibebo, quam deinde in libro, qui ejuſdem *Eſtheris* nomen præfert, latius deſcriptam, aliquando lectitare poteris. *Aſſuerus*, Perſarum Rex, ut oſtentaret gloriam Imperii ſui, potentiam, opes, magnificentiam, dedit anno tertio Imperii ſui ſplendidum convivium per dies centum & octoginta Suſis, Regia Urbe, Principibus & Satrapis Provinciarum ſuarum, & ne populus Suſanus a communi excluderetur lætitia, invitavit poſtea omnem populum, qui inventus eſt in Urbe Regia Suſan, a maximo uſque ad minimum & juſſit, ut per ſeptiduum ei lautiſſimum pararetur convivium in veſtibu-

lo

lo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat. Contigit autem ſeptimo convivii die, ut Rex *Aſſuerus*, vino (ſicut in iſtis *Baccho* conſecratis epulis fieri ſolenne eſt) nimium incaleſcens, juſſerit ut vocaretur Regina *Vaſthi*, miræ pulchritudinis fœmina, cujus formam ipſe maritus Rex omnibus prædicabat, quamque (licet præter mores Perſarum) convivio adeſſe volebat, ut Principibus ac populis uxoris ſuæ pulchritudinem demonſtraret. At, Regina *Vaſthi*, ſtulto Rege conſultior, nolens virorum oculis publicum ſpectaculum ſuæ pulchritudinis præbere, venire recuſavit. Hac contumelia permotus barbarus Rex & nimio furore ſuccenſus, conſilio *Manuchan*, unius e ſeptem Perſidis & Mediæ Ducibus, quæ Regi ſeptem aderant, & legum peritia præſtabant, Reginam *Vaſthi* venire detrectantem repudiavit, Regnoque actutum abdicavit. E Regia itaque depulſa *Vaſthi*, in ejus locum quæſita eſt puella, quæ pari pulchritudine decorata eſſet, & Regis conjugio digna. In hunc puellarum forma præſtantium delectum adſcita eſt *Eſther*, puella Hebræa, *Abihailis* Beniaminitæ filia, *Mardochæi* ex fratre neptis, quæ cęteras puellas, ad conjugium Regis ſelectas, ſpecie vincebat. Anno itaque ſeptimo Regni *Aſſueri* ad eum introducta eſt *Eſther*, prius tamen a ſuo Patruo *Mardochæo* diligenter admonita, ut genus ſuum, & patriam occultaret, caveretque, ne paternarum traditionum immemor, Gentilium cibis veſceretur, Regi licet alienigenæ nupta. Juncta itaque *Eſther* matrimonio Regi, confeſtim ſuæ pulchritudinis illecebris totum ejus animum ita cepit, ſibique devinxit, ut eam Rex præ reliquis mulieribus adamatam, Imperio ęquatam, inſigni regio & veſte purpurea donarit. At, in Aula ejuſdem Regis *Aſſueri* erat ea tempeſtate quidam, dictus *Aman*, Aulicorum potentiſſimus, regique adeo carus & acceptus, ut populus, juſſu ejuſdem Regis, illum, juxta morem Perſarum Regum, adorare compelleretur. Id *Mardochæus*, Judæus patruus Reginæ *Eſtheris*, facere renuens, in ſe concitavit odium *Amanis*, qui vindictæ cupidus, & tam *Mardochæi*, quam Gentis judaicæ exitium meditatus, adiit Regem, eique Auctor fuit, ut Judæos, qui ſua in ejus Regno domicilia fixerant, omnes ad unum exterminaret, ut pote genus hominum pravis ſuperſtitionibus imbutum, peregrinis legibus vivens, & Deo hominibuſque inviſum. Conſilium *Amanis* gratum habuit Rex *Aſſuerus*, & anno duodecimo Regni ſui ferale de omnibus Judæis internecione delendis emiſit Edictum, per omne Regnum ſuum ad India uſque ad Æthyopiam promulgandum, & executioni mandandum. Id ubi compertum habuiſſet *Mardochæus* pergit ad *Eſtherem* Reginam, eique lacrymis perfuſus, aperit indignum facinus, quo immerita gens judaica perire debebat. Agnovit Regina *Eſther* ſummum, in quo tota ſua Gens judaica verſabatur, periculum, & poſtquam per triduum fletibus, jejuniis, & orationibus Deo ſupplicaſſet, Aulam Regis magnifico apparatu ingreditur, ipſumque & *Amanem* ad convivium invitat. Hoc honore elatus *Aman*, ad perniciem *Mardochæi* animum intendens crucem ei paravit. Sed, dum *Aman*, inſidias vitæ *Mardochæi* ſtrueret: opportune accidit, ut Rex *Aſſuerus*, fugiente per noctem ſomno, Annales relegens, didicerit, duos Aulæ ſuæ Spadones, ſeu Eunuchos, contra ipſius vitam conſpiraſſe, eamque conjurationem a *Mardochæo* proditam ipſique Regi fuiſſe revelatam. Tunc Rex tam inſigne beneficium, quod a *Mardochæo* acceperat, regiis honoribus præmiare volens, juſſit *Amani*, ut *Mardochæus* per plateas civitatis equo impoſitum præcederet, atque clamaret: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare*. His peractis, venit Rex *Aſſuerus* una cum *Amane* ad cœnam Reginæ *Eſtheris*, dumque Rex lætus poſt convivium Vino inter bibendum incaluiſſet, ad illius genua Regina *Eſther* advoluta gentis ſuæ judaicæ perniciem deprecata eſt, cumque Rex reſpondiſſet, nihil ſe petenti negaturum, tum ipſa opportunam nacta favendi genti ſuæ periclitanti occaſionem, ſceleſtum *Amanem*, in ultionem judæorum, quos perditos cupierat, ad necem poſtulavit, ejuſque petitioni ultro annuit Rex, juſſitque, ut *Aman* Genti judaicæ infeſtus, eidem cruci, altitudinis quinquaginta cubitorum, quam *Mardochæo* paraverat, affigeretur, & omnia ejus bona eidem *Mardochæo* darentur. Reſcidit etiam Rex Edictum, quod adverſus Judæos, inſtigante *Amane*, ediderat, aliudque promulgavit, quo Judæis tam in Regia Urbe *Suſa*, quam in cæteris Provinciis Regni poteſtatem permittebat defendendi ſeſe armis, & omnes hoſtes, vim tentantes, occidendi, qua facultate pro ſuo jure uſi ſunt Judæi, & trucidatis inimicis, qui in eorum perniciem incumbebant, præſertim decem filiis *Amanis* in patibulis ſuſpenſis, plenam libertatem ſunt aſſecuti. In perennem vero memoriam hujus liberationis Populi judaici ab excidio, quod decreverat, *Aman*, diem feſtum ſingulis annis peragendum decima quinta die menſis *Adar*, conſtituerunt *Mardochæus*, & Regina *Eſther*, huncque diem feſtum appellarunt *Phurim*, ſeu *Sortium*. Quam feſtivitatem etiamnum judæi ſingulis annis celebrare ſolent ſtatis diebus decima quarta, & decima quinta menſis *Adar*, qui apud illos eſt anni ſextus menſis civilis, & duodecimus Eccleſiaſticus, caditque in partem menſium noſtrorum Februarii, & Martii. Ex illis autem Feſti religione, & anniverſaria celebritate, quæ ſemper viguit apud Judæos, facile confutatur error Anabaptiſtarum, qui impie aſſerunt, hanc *Eſtheris* Hiſtoriam eſſe commentitiam, aut puram putamque Tragicomœdiam, cui Hæreticorum errori plane conſentire videtur Auctor Scripti Gallici, cui titulus eſt: *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande*, *lettres* 8. *&* 11. Hic, inquam, facile refellitur error. Quis enim ſanæ mentis ſibi perſuadeat, hunc diem feſtum (quem judæi maxima olim cura & religione ſingulis annis obſervarunt, ut videre eſt capit. XV. libri ſecundi Ma-

Machabæorum, & in Codice Theodoſiano L. *Judæos* Tit. *De Judæis* ) ex figmento, aut ex Tragicomœdia originem habuiſſe? Quis etiam credat, lxx. Interpretes, qui eos dumtaxat Libros Sacros græce interpretati ſunt, quos Hebræi in ſuo Canone reponebant, voluiſſe hanc *Eſtheris* Hiſtoriam ex Hebræo in Græcum ſermonem vertere, ſi hæc Hiſtoria fictitia eſſet, & mera Tragicomœdia, ſicut illos hæreticos effutire non pudet? Quin, ante Verſionem lxx. Interpretum, Epiſtola *Phurim*, quæ totam complectitur Hiſtoriam Reginæ *Eſtheris*, jam Græce interpretatus eſt *Lyſimachus*, regnantibus in Ægypto, *Ptolomæo*, & *Cleopatra*, ſicut legitur initio undecimi Capitis Libri *Eſtheris*, Editionis tam Græcæ, quam Latinæ: *Anno quarto, regnantibus Ptolomæo, & Cleopatra, attulerunt Doſitheus, qui ſe Sacerdotem & Levitici generis ferebat, & Ptolomæus filius ejus hanc Epiſtolam Phurim, quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum, Ptolomæi filium in Hieruſalem*. Incertum quidem eſt, quiſnam fuerit ille *Ptolomæus*, qui tum temporis regnabat in Ægypto? an videlicet fuerit *Ptolomæus Philometor*, qui (ſicut oſtendimus in Tabula Chronologica Regum Ægypti, quam in ſuperiori Colloquio exhibuimus) fuit ſextus poſt *Alexandrum Magnum*, Rex Ægypti, vel an fuerit *Ptolomæus Philadelphus*, quo regnante in Ægypto, lxx. Interpretes ſuam Sacrorum Librorum adornarunt Verſionem Græcam? Quamvis, inquam, id non omnino certum ſit, vero tamen quam ſimillimum eſt, Verſionem Græcam Hiſtoriæ *Eſtheris* factam a *Lyſimacho*, vetuſtiorem eſſe Verſione Græca lxx. Interpretum, eamdemque Hiſtoriæ *Eſtheris* Verſionem Græcam, a *Lyſimacho* concinnatam, poſtea magna ex parte a lxx. Interpretibus in illam, quam ejuſdem Hiſtoriæ *Eſtheris* Verſionem Græcam lucubrarunt, fuiſſe convaſatam. Poſtremo, incredibile omnino eſt, Deum permiſiſſe unquam, ut Eccleſia Catholica, quam ſemper ſpeciali aſſiſtentia regit, Hiſtoriam *Eſtheris*, tanquam veram, ſinceram, ſacram ac divinam reciperet, ſi hæc Hiſtoria eſſet commentitia, aut pura Tragicomœdia, ſicut falſo dictitant Hæretici. Negari igitur non poteſt, aut in dubium ullo pacto revocari, Hiſtoriam *Eſtheris* veram & genuinam eſſe, atque divina pollere auctoritate.

D. Sed quid cenſes de ſeptem poſtremis Libri *Eſtheris* Capitibus, quæ, ſicut nuperrime ajebat mihi vir eruditus, non extant in Textu Hebræo, eaque tanquam ſpurias Appendices, ſeu apocrypha, & adſcitia Additamenta ex Libro *Eſtheris* reſecanda, & expungenda eſſe affirmant etiam quidam doctiſſimi Scriptores Catholici?

M. Cenſeo, ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita perinde a Deo eſſe inſpirata, divinamque habere auctoritatem, ac cætera novem ejuſdem Libri præcedentia Capita. At enim, Vetera Concilia, & omnes Sancti Patres cum Græci, tum Latini, qui Librum *Eſtheris* Scripturæ Sacræ Canoni accenſuerunt, eo de Libro loquuntur, quo univerſa Eccleſia, tam Græca, quam Latina, illorum temporibus utebatur; atqui certo certius eſt, Eccleſiam univerſam temporibus illorum Patrum, in legendis libris Sacris Veteris Teſtamenti, uſam fuiſſe Editione *Itala*, quam *Sanctus Hieronymus* paſſim appellat *Vulgatam*, *quæ Græcorum Lingua & literis continetur*. Porro, in illa Editione Itala continebantur ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita. Hæc quippe Editio *Itala* exacta erat ad normam Verſionis lxx. Interpretum, in qua itidem habentur ſeptem illa poſtrema libri *Eſtheris* Capita, quæ lxx. Interpretes ex Textu Hebræo in ſua Verſione Græca fuiſſe interpretatos, probat ſumma ipſorum in vertendo fides. Igitur in Exemplaribus Hebraicis fuerunt ſeptem illa Libri *Eſtheris* poſtrema Capita, quæ, ut teſtatur *Origenes* in Epiſtola ad *Julium Africanum*, ex Hebraicis Exemplaribus fideliter in ſuis Verſionibus Græcis lxx. Interpretes, & *Theodotion* expreſſerunt. Sed tametſi darem, hæc ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita nunquam extitiſſe in Textu Hebræo, inde tamen hoc unum tantum inferri poſſet, duo Hiſtoriæ *Eſtheris* a Sacro Scriptore Libri, qui hujus Reginæ nomen præfert, edita fuiſſe Exemplaria, unum videlicet, quod erat preſſius, ſeu magis compendioſum, quale eſt illud, quod deſcriptum eſt in Textu Hebræo; & alterum paulo auctius, & locupletius, in quo exarata erant ſomnium *Mardochæi*, Reginæ *Eſtheris* Oratio, necnon Regis *Aſſueri* Epiſtolæ, quæ omnia repræſentantur in ſeptem poſtremis Libri *Eſtheris* Capitibus, quæ extant in Verſionibus Græcis, & in Editione Vulgata. Nec enim novum & inſolens eſt, ut idem Auctor duas ejuſdem Hiſtoriæ texat narrationes, unam nimirum compendioſiorem, in qua aliquam Hiſtoriam perſtringat; Alteram, quæ ſit diffuſior, & in qua eamdem Hiſtoriam adjectis novis quibuſdam circumſtantiis, & publicis annexis Inſtrumentis illuſtret, exornet, amplificet. Certe, ne longius ad id confirmandum accerſam exempla, legimus Capite nono Libri *Eſtheris* duas deſcriptas Epiſtolas *Mardochæi* ad Judæos miſſas, in quarum prima fuſiori ſtylo deſcripta eſt Hiſtoria Reginæ *Eſtheris*, in altera vero Epiſtola breviori modo eadem Hiſtoria narratur, ſervata tamen in utraque Epiſtola Sacræ Hiſtoriæ veritate. Hinc *Joſephus*, Hebræus, Epiſtolas Regis *Artaxerxis*, quæ habentur Cap. 13. & 16. Libri *Eſtheris*, agnoſcit tanquam veras & genuinas, eaſque refert Cap. 6. Libri XI. *Antiquit. Jud.* Quod manifeſto probat, hunc apud Judæos magni nominis Scriptorem non exiſtimaſſe, ſeptem poſtrema Libris *Eſtheris* Capita eſſe Apocrypha & adſcititia Additamenta, ſicut blaterant Hæretici, qui pluſquam dictatoriam ſibi arrogantes auctoritatem, non verentur in Sacros Libros virgam cenſoriam exercere (*a*). Poſtremo, Œcumenicum Concilium Tridentinum Libros omnes Scripturæ Sacræ, quos Seſſione quarta ſuo in Decreto complectitur, ſuſcipiendos eſſe ſanxit ut Canonicos, cum omnibus ſuis partibus, *prout in Eccleſia legi ſolent, & in Vulgata Editione habentur*. Conſtat autem ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita extare in Editione Vulgata, qua a tempore *S. Hieronymi*, qui illius Editio-

Editionis Vulgatæ Auctor eſt, utitur univerſa Eccleſia Latina. Conſtat etiam, ex iis ſeptem verſionis Libri *Eſtheris* Capitibus plures deſumi Lectiones, quæ in Sacris Eccleſiæ Officiis, Miſſarumque ſolemniis canuntur; nemo igitur poſt decretorium Synodi Tridentinæ judicium affirmare poteſt, ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita non eſſe ab Eccleſia recepta ceu Canonica, eaque Apocrypha & aſſuta eſſe Additamenta. Non me latet, fuiſſe quoſdam doctiſſimos Scripturæ Sacræ Interpretes, quos inter cenſentur *Lyranus*, *Dionyſius* Carthuſianus, & noſter *Hugo*, Cardinalis, qui ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita, tanquam ſpuria & inſititia, rejecerunt, & ex Libro *Eſtheris* reſecanda, & expungenda eſſe putarunt; ſed venia donandi ſunt eruditi illi Scripturæ Sacræ Interpretes, quippe qui ſcripſerunt ante Concilium Tridentinum, in quo iſta controverſia pleniſſime fuit eliquata. Culpandus tamen jure optimo venit noſter *Sixtus Senenſis*, vir alioqui doctiſſimus, qui poſt Concilium Tridentinum floruit, quique libr. I. & VIII. *Bibliothecæ Sanctæ* aſſerit, hæc ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita tanquam intruſa, & Apocrypha, vel ceu pannoſa Additamenta, negligi ab Eccleſia Catholica, & Interpretes multa Libro *Eſtheris* addidiſſe vel ex *Joſepho*, Hebręo, vel ex quopiam alio, vel etiam ſumpto, ut in Scholis fieri ſolenne eſt, narrationis themate, multa proprio marte, ideſt, ex ſuo ingenio, admiſcuiſſe. *Sixto* noſtro *Senenſi* ſuffragatur *Hugo Grotius*, Scriptor quidem naris emunctæ, & acerrimi judicii, ſed in Sacrorum Librorum interpretatione ſuis conjecturis plus æquo indulgens. Ille etenim Scriptor non veretur appellare ea ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita, *Additamenta*, cenſetque ea a quodam Proſelyto fuiſſe inſerta, vel eſſe Rhetorica exercitia piorum Helleniſtarum, ſeu Gręcorum, qui ornandis veris Hiſtoriis ea ſcripſerunt, quę illis temporibus probabiliter fieri, dici, aut ſcribi potuerunt. Fatetur tamen, hęc ſeptem ultima Capita Libro *Eſtheris* addita, quia nihil mali, aut falſi continebant, progreſſu temporis auctoritatem accepiſſe. Sed hęc *Grotii* conjectura tanquam vana, futilis, & falſa jure explodi debet. Quis enim ſuum in animum inducere unquam poterit, Eccleſiam Catholicam voluiſſe ſeptem illis poſtremis libri *Eſtheris* Capitibus Sacram, Canonicam ac Divinam aſſerere auctoritatem, ſi revera ſeptem illa Capita, ut perperam ait *Hugo Grotius*, fuiſſent dumtaxat Rhetorica exercitia piorum Helleniſtarum, qui ad ornandam *Eſtheris* Hiſtoriam ea ſcripſerunt, quę illis temporibus veroſimiliter fieri, dici, aut ſcribi potuerant? Procul hinc ille error, quem Catholicorum aures nec audire, nec ſuſtinere poſſunt.

„ (*a*) Quoad capitula libro Eſther adjecta legendus præ ceteris eſt P. D. Petrus Sabathier, qui antiquam ſacrorum librorum verſionem reſtituendam ſuſcepit, vulgavitque Pariſiis anno 1751. Hic enim ſcriptor doctiſſimus in præfatione ad librum Eſther demonſtrat in Eccleſia Catholica extitiſſe etiam ante S. Hieronymum latinam verſionem horum capitum ex ſeptuaginta expreſſam, ex quo validum argumentum pro canonica auctoritate horum capitum deducitur. Si enim jam inde a primis ſeculis latina editio capita iſta adjecta libro Eſther ferebat, quicunque latini Patres librum Eſther inter Canonicos recenſebant, nulla facta exceptione, & hæc pariter capita canonica agnoviſſe neceſſe eſt.

D. Quamvis hanc vanam, & falſam *Grotii* conjecturam flocci faciam, ſimulque deteſter errorem Hęreticorum, qui ſeptem poſtrema libri *Eſtheris* Capita, tanquam apocrypha rejiciunt; optarem tamen, quo facilius prędicta illa Capita vindicare poſſim, ut hic inſereres ea, quibus ad ſuum adſtruendum errorem nituntur Hęretici, argumenta, eaque breviter dilueres.

M. Pluma, & aranea tela leviora ſunt, milleſque jam a noſtris Polemicis Scriptoribus eliſa argumenta, quibus Hęretici canonicam ſeptem poſtremorum libri *Eſther* Capitum auctoritatem impetere ſolent. Ea tamen, ut votis tuis annuam, breviter hic proponam, eademque opera diluam. In primis dictitant, ſeptem ultima libri *Eſtheris* Capita non extare in Textu Hebręo. Verum, huic argumento jam abunde fecimus ſatis, pluraque nunc dicere ſuperſedebo. Pręterea, ajunt, ſeptem poſtrema libri *Eſtheris* Capita pugnare cum novem prioribus capitibus, quia capite ſecundo hujus libri dicitur, *Mardochæum*, cujus neptis erat *Eſther*, inſidias Eunuchorum contra Regem *Aſſuerum* detexiſſe anno ſeptimo Regni ejuſdem *Aſſueri*, Perſarum Regis, nihilque muneris & pręmii *Mardochæum*, ob detectas illas inſidias, a Rege accepiſſe narratur capite ſexto ejuſdem libri; & tamen his omnino oppoſita referuntur capite ejuſdem libri duodecimo, quod unum eſt ex ſeptem ultimis libri *Eſtheris* capitibus. In eo ſiquidem capite duodecimo legitur, *Mardochæum* detexiſſe] Eunuchorum inſidias anno ſecundo Regni *Aſſueri*, & data ei fuiſſe pro delatione ſeu pro inſidiarum detectione, munera, quæ ſane, inquiunt Hęretici, recta fronte pugnant, & evidenti antilogia inter ſe colliduntur. Sed vehementer hallucinantur hęretici, dum fictitiam illam ſeptem poſtrema capita inter & novem priora libri *Eſtheris* capita antilogiam obtrudunt. Somnium quippe, quod habuit *Mardochæus*, contigit anno ſecundo Regni *Aſſueri*, ſicut legitur capit. 2. libr. *Eſtheris*. Narrantur quidem capit. XI. ejuſdem libri ſomnium *Mardochæi*, & capit. XII. detectio inſidiarum, ſed tamen hæc inſidiarum detectio, facta a *Mardochæo*, non ad eumdem refertur annum, quo contigit ſomnium *Mardochæi*, quia, ut mox diximus, ſomnium *Mardochæi* incidit in annum ſecundum Regni *Aſſueri*, detectio autem inſidiarum in annum ſeptimum Regni ejuſdem *Aſſueri*. Quod igitur Sacer Auctor libri *Eſtheris* referat capite 12. ſtatim poſt ſomnium *Mardochæi*, inſidias ab ipſo detectas, hoc facit] per anticipationem, quoniam hęc inſidiarum detectio pertinet ad eventum ſomnii.

Recte autem ait idem Auctor cap. 12. illius libri, *Mardochæum* pro inſidiis detectis anno ſeptimo Regni *Aſſueri* accepiſſe munera, quia revera *Mardochæus*, poſt detectionem inſidiarum, aliquid præmii a Rege *Aſſuero* accepit cum ſpe, & promiſſione majoris honoris, & dignitatis conferendæ, quam tamen reapſe non eſt conſequutus niſi anno duodecimo Regni *Aſſueri*, quemadmodum narrat idem Auctor cap. 6. libri *Eſtheris*, ubi ſcribit, *Mardochæum* poſt inſidiarum detectionem, quæ accidit anno ſeptimo Regni *Aſſueri*, nihil muneris, & honoris accepiſſe, ideſt, publice, licet aliquod munuſculum *Mardochæus* privatim acceperit, ſtatim ac hoc anno ſeptimo Regni *Aſſueri* inſidias, quas contra hunc Regem moliebantur duo perfidi Eunuchi, detexit ac propalavit. Nullam ergo ſeptem poſtrema capita inter & novem priora libri *Eſtheris* offendes Antilogiam, ſi cum peritis Scripturæ Sacræ Interpretibus advertas, ſeptem poſtrema capita libri *Eſtheris* non eſſe revera poſtrema, ſed quædam ex his pertinere vel ad initium, vel ad medium, vel ad finem libri *Eſtheris*. Capita enim undecimum, & duodecimum pertinent ad initium libri *Eſtheris*. Capita vero decimumquartum, decimumquintum, & decimumſextum pertinent ad medium ejuſdem libri. Caput autem decimum pertinet ad finem ejuſdem libri, ut videre eſt in Græcis codicibus, in quibus omnia hæc capita ſuo loco, & ordine ſunt digeſta & collocata. Hinc inferunt doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes, hæc verba, quæ leguntur cap. XI. *Eſtheris* libri *anno ſecundo, regnante Artaxerxe*, extendi haud debere ad inſidiarum detectionem a *Mardochæo* factam, quæ narratur cap. 12. ejuſdem libri *Eſtheris*, quæque contigit tantum anno 7. Regni *Aſſueri*, quemque Scriptura Sacra appellat etiam *Artaxerxem*, ſed referri dumtaxat debere ad ſomnium, quod vidit *Mardochæus* anno ſecundo Regni *Aſſueri*, antequam ille Rex *Eſtherem*, neptim *Mardochæi*, ſibi matrimonio copularet. Patitur tamen Eccleſia, inquit *Bellarminus*, ea ſeptem poſtrema capita ad finem libri *Eſtheris* permanere, ubi illa *S. Hieronymus* collocavit, ut videamus quid ad integritatem libri *Eſtheris* pertineat, & quid etiam non ſit in Codicibus Hebræorum. Eliſa hac priori Hæreticorum objectione, ab alia, nihilo præcedenti ſolidiori, breviter me expedio. Ajunt enim, Auctorem libri priorum novem capitum libri *Eſtheris* aſſerere capite nono, *Amanem*, qui conſpiraverat contra Judæos, oriundum eſſe ex ſtirpe *Agag*, Regis Amalecitarum, ſeu illum genere eſſe Amalecitam, ſed in ſeptem poſtremis libri *Eſtheris* capitibus, nimirum capite XVI. v. X. legi, *Amanem* eſſe gente Macedonem. Quæ varietas, inquiunt hæretici aperte innuit, ſeptem poſtrema capita fuiſſe altera manu compoſita, & eſſe quaſi Apendicum lacinias libro *Eſtheris* aſſutas. Sed facile hæc altera Hæreticorum diſflatur objectio. In primis, dici poteſt, *Amanem* ex paterno genere duxiſſe originem ex ſtirpe *Agag*, Regis Amalecitarum, adeoque Amalecitam fuiſſe, ſed ex materno genere Macedonem fuiſſe. Præterea, dici poteſt, *Amanem* patria quidem Macedonem fuiſſe, ſcilicet Græcum, ſed origine prodiiſſe ex ſtirpe *Agag*, Amalecitarum Regis, & in hoc ſenſu Amalecitam dictum eſſe. Credibile quippe eſt, aliquos ex profligatis Amalecitis ad Græcorum partes profugiſſe, & ex his ortum *Amanem* potuiſſe Gente Græcum, ſeu Macedonem, appellari ab Interprete libri *Eſtheris*, quia ejus tempore, Macedonum nomine, tanquam ſub nobiliori, & potiori parte comprehendebantur cæteri alii Græci. Denique, dici poteſt, hunc *Agag*, ex quo dicitur cap. 9. lib. *Eſtheris* ſuam *Amanem* originem traxiſſe, non fuiſſe Regem Amalecitarum, ſed fuiſſe quemdam Græcum, ſeu Mecedonem dictum *Agag*. Et hinc eſt, quod nec Hebraicus Textus, nec ulla libri *Eſtheris* verſio hunc *Agag*, ex cujus ſtirpe ortus eſt *Aman*, appellet Amalecitam. Sed in his confutandis Hæreticorum argutiis non eſt quod diutius immoremur.

D. Quis eſt iſte *Aſſuerus*, Rex, dictus etiam *Artaxerxes*, quo regnante contigit Hiſtoria *Eſtheris*.

M. Graviſſimam ſane proponis difficultatem, quæ omnibus Critices Sacræ peritis crucem figit, eoſque cogit in varias abire ſententias. Alii ſiquidem cenſent, hunc *Aſſuerum*, Perſarum Regem, dictum etiam *Artaxerxem* in libro *Eſtheris*, fuiſſe *Cambyſem*, filium *Cyri*; alii *Darium*, *Hyſtaſpis* filium, alii *Artaxerxem Longimanum*; alii *Artaxerxem Mnemonem*; alii *Artaxerxem Ochum*. Ipſe brevitati, quantum fieri poteſt, ſtudens, probabiliorem, quæ mihi videtur, opinionem indicabo, eaque ſemel ſtabilita, facile perſpicies, cæteras, quæ ſuper hac re circumferuntur, ſententias probabilitate carere. Sed prius advertas velim, nomen *Aſſueri*, & *Artaxerxis* eſſe nomen non Perſarum, ſed Regiæ dignitatis, quo fit, ut id nominis variis Perſarum Regibus tribuatur, ideoque ille Perſarum Rex, qui fuit maritus *Eſtheris*, in novem prioribus libri *Eſtheris* capitibus appelletur *Aſſuerus*, & in ſeptem poſtremis ejuſdem libri capitibus vocetur *Artaxerxes*. Hac præmiſſa obſervatione, dico, probabilius eſſe, Hiſtoriam *Eſtheris* ad tempora *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, eſſe referendam, illumque Regem fuiſſe *Eſtheris* maritum. At enim: *Aſſuerus* ille Perſarum Rex, ſub quo contigit *Eſtheris* Hiſtoria, quique fuit maritus *Eſtheris*, *regnavit*, ſicut legitur capite primo libri *Eſtheris*, *ſuper centum viginti ſeptem Provincias, & tertio anno Imperii ſui fecit grande convivium cunctis Principibus, & Pueris ſuis fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram ſe*. Id autem apprime convenit *Dario*, *Hyſtaſpis* filio, qui ut ait *Herodotus* lib. 4. cap. 44. Indos ſubegit, & ſicut legitur capite 3. lib. 3. Eſdræ, *fecit cænam magnam omnibus vernaculis ſuis, & omnibus Magiſtratibus Mediæ, & Perſidis, & omnibus Purpuratis, & Prætoribus, & Conſulibus*, & *Præfectis ſub illo ab India uſque Æthiopiam centum viginti ſeptem Provinciis*. Porro, libri tertius, & quartus *Eſdræ*, quamvis cano-

canonicam non habeant auctoritatem, æquali tamen auctoritate pollent ac libri editi ab Hiſtoricis prophanis, ubi Scripturæ Sacræ non repugnant. In hanc autem ſententiam ipſe, ut candide fatear, eo lubentius deſcendo, quod, ea ſemel admiſſa, ſolvatur inextricabilis pene illa difficultas de ætate *Eſtheris*, & *Mardochæi*, qui a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, in captivitatem Babylonicam fuit cum aliis Judæis abductus, ſicut legitur capite ſecundo, & cap. 11. libri *Eſtheris*. Verum, ut magis perſpectum habere poſſis modum illum expeditiſſimum, quo iſthæc difficultas de ætate *Mardochæi* enodari poteſt, neceſſe eſt, ut in memoriam revoces ea, quæ in ſuperiori Colloquio diximus de annis, per quos regnavit *Cyrus*, Perſarum Rex. Ibi quippe oſtendimus, *Cyrum* regnaſſe triginta annos, ſicut ei conſtanter omnes Hiſtorici tribuunt, ſed tamen viginti ſeptem annos regnaſſe in Perſide, & per tres ultimos annos regnaſſe in Babylone, poſtquam, devicto *Dario Medo*, ultimo Babyloniorum Rege, tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, in Babylone regnare cœpit. Quando igitur Scriptura Sacra dicit, *Cyrum* anno primo Regni ſui laxaſſe captivitatem Babylonicam, id non eſt intelligendum de anno primo Regni, quod Rex *Cyrus* iniit in Perſide, ſed de anno primo Regni, quod idem *Cyrus* auſpicatus eſt in Babylone, dum Perſarum inſtituit Monarchiam, & per tres annos tanquam ſupremus Perſarum Monarcha in Babylone imperavit. Hac autem ſemel præmiſſa ſummi momenti obſervatione chronologica, facile ſolvitur difficultas de ætate *Mardochæi*, ejuſque neptis *Eſtheris*. Subducamus itaque annos, & ſupponamus, *Mardochæum*, annos quinque natum, in captivitatem Babylonicam a *Nabuchodonoſore* fuiſſe abductum. Fluxerunt poſtea ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ. *Cyrus* regnavit in Babylone, tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, tribus annis. *Cambyſes*, filius *Cyri* ac ſucceſſor, regnavit ſeptem circiter annis. *Smerdes Magus* ſucceſſit *Cambyſi*, & regnavit ſeptem menſibus, eique ſucceſſit *Darius*, *Hyſtaſpis* filius, quo regnante, contigit Hiſtoria *Eſtheris*. Hi porro anni, quos ſubduximus, ſimul collecti efficiunt ſummam annorum octoginta ſex, quos natus erat *Mardochæus* initio Regni *Darii Hyſtaſpis* filii. Experientia autem conſtat, multos ea ætate ſenes adhuc robuſtos & vegetos eſſe. *Eſther* vero, neptis *Mardochæi*, initio Regni *Darii Hyſtaſpis* filii, admodum juvenis erat, quippe quæ filia fratris *Mardochæi*, longe ipſo junioris, & nata jam ex patre grandævo. Hoc pacto facile ſolvitur hæc de ætate *Mardochæi*, ejuſque neptis *Eſtheris* difficultas, a qua ut ſeſe expediant illi Scriptores, qui *Cyro*, Perſarum Regi, tribuunt annos Regni viginti novem poſt laxatam captivitatem Babylonicam, coguntur aſſerere primo, *Mardochæum* dici translatum in captivitatem Babylonicam, non quod jam natus eſſet, ſed quia in captivitate Babylonica natus eſt ex illis familiis, quæ tempore *Joakimi*, Regis Judæ, in hanc captivitatem fuerunt abductæ. Quod certe merum effugium eſt, falſique palam convincitur ex capit. ſecundo, & capit. undecimo libri *Eſtheris*, ubi diſerte legitur, *Mardochæum* fuiſſe revera, & in propria perſona adductum in captivitatem Babylonicam. Secundo, iidem Scriptores fateri tenentur, *Mardochæum* initio Regni *Darii Hyſtaſpis* filii ultra centeſimum ætatis ſuæ annum fuiſſe provectum, nec tamen imbecillum, ingraveſcentem, ſeniove confectum, ſed ſolidum, robuſtum, ac valentem, in rebus magnis præclariſque gerendis, fuiſſe verſatum, quod ſane nulla ratione fit veroſimile. At, quid dicam de *Scaligero*, & de *Petavio*, viris alioqui ſacræ & prophanæ Chronologiæ peritiſſimis, quorum prior Hiſtoriam *Eſtheris* refert ad tempora *Xerxis*, Perſarum Regis, & filii *Darii Hyſtaſpis*; alter vero, ſeu *Petavius* cenſet, Hiſtoriam *Eſtheris* contigiſſe, regnante *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege, & filio *Xerxis*? Profecto, ſi mihi hac in re liceat meum interponere judicium, libere dicam, utramque ſententiam penitus abludere a vero. Si enim *Xerxes*, Perſarum Rex, eſſet maritus *Eſtheris*, ut putat *Scaligerus*, ſequeretur, *Mardochæum*, tempore *Xerxis*, natum fuiſſe annos centum & quinquaginta juxta ejuſdem *Scaligeri* annorum calculum, ac ſubinde *Eſtherem*, neptim *Mardochæi*, annoſam fuiſſe, ſenio confectam, quando nupſit *Xerxi*, Perſarum Regi. Quod ſane, ut nemo non videt, abſurdum eſt, & abſurdius adhuc apparet in ſententia *Petavii*, qui Hiſtoriam *Eſtheris* refert ad tempora *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regis, qui fuit filius *Xerxis*. Sed nullo pacto audiri debent quidam Scriptores, qui Hiſtoriam *Eſtheris* ablegant vel ad tempora *Artaxerxis Mnemonis*, ſeu *Memoris*, vel ad Regnum *Artaxerxis Ochi*, qui ambo fuerunt Perſarum Reges longe poſteriores his, quos mox laudavimus, Perſarum Regibus, *Dario Hyſtaſpis* filio, *Xerxe*, & *Artaxerxe Longimano*. In eorum ſiquidem Scriptorum ſententia, *Mardochæus* exceſſiſſet ætatis ſuæ annum pene ducenteſimum, quod tam abſurdum eſt, quam quod maxime. Hiſtoria igitur *Eſtheris*, ut oſtendimus, removeri haud debet a temporibus *Darii Hyſtaſpis* filii, qui vere fuit maritus *Eſtheris*, & in quem, ſicut legitur cap. 16. verſ. 10. libri *Eſtheris*, conſpiravit *Aman*, voluitque ejus Regnum transferre ad Macedones. Quamvis enim Macedonum Regnum maxime inclaruerit tempore *Philippi* patris *Alexandri Magni*, cujus Imperium concurrit cum Imperio *Artaxerxis Ochi*, Perſarum Regis, & *Dario Hyſtaſpis* filio poſterioris; certum tamen eſt, regnante *Dario Hyſtaſpis* filio, jam Perſis notos fuiſſe Macedones utpote qui bellicis facinoribus, & variis pugnis, atque victoriis tam de Thracibus, quam de aliis hoſtibus, illorum gloriæ æmulis, feliciter reportatis, inclyti erant, ut videre eſt apud *Juſtinum* libr. 7. Hiſtor.

D. Suſcepitne *Eſther* ex marito ſuo *Dario Hyſtaſpis* filio, Perſarum Rege, aliquam prolem?

M. Tres uxores *Darius Hyſtaſpis* filius, Perſarum

ſarum Rex, habuit, teſte *Herodoto* initio libri octavi. Primam uxorem, quæ erat filia *Gobrias*, duxit *Darius Hyſtaſpis* filius antequam Perſarum Imperio potiretur, & ex ea tres filios ſuſcepit. Altera uxor, quam *Darius Hyſtaſpis* filius, poſtquam ad Perſarum Imperium fuiſſet provectus, ſibi matrimonio copulavit, dicta eſt *Atoſſa*, filia *Cyri*, Perſarum Regis, cujus regalibus nuptiis voluit *Darius Hyſtaſpis* filius Imperium Perſarum ſibi adjudicatum firmare, ut non tam in extraneum translatum, quam in *Cyri* familiam reverſum videretur. Ex hac ſecunda uxore, dicta *Atoſſa*, quatuor filios procreavit *Darius Hyſtaſpis* filius, Perſarum Rex, quorum primogenitus fuit *Xerxes*, qui patri ſuo in Perſarum Imperio ſucceſſit. Hæc ſecunda *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, uxor, appellabatur etiam *Vaſthi*, quam idem Rex, ut antea diximus, repudiavit. Tertiam denique *Darii*, *Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, uxorem appellat *Herodotus Ariſtonam*, ſeu *Artiſtonam Virginem*, quam ait idem Hiſtoricus fuiſſe a *Dario Hyſtaſpis* filio præ cæteris ſuis fœminis adamatam, eamque duos peperiſſe filios, ſeu *Arſamen*, & *Gobriam*. Hanc tertiam *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, uxorem, dictam *Ariſtonam* multi Scripturæ Sacræ periti volunt *Eſtherem*, neptim *Mardochæi*, quæ Hebræis *Hadaſſa* dicitur, vulgatus vero Interpres *Ediſſam* vocat. Aſſerit quidem *Herodotus*, hanc *Ariſtonam*, tertiam *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, uxorem, fuiſſe filiam *Cyri*, & ſororem *Atoſſæ*, quod certe non convenit *Eſtheri*, nepti *Mardochæi*. Verum reſpondent viri eruditi, id ita viſum eſſe Hiſtorico *Herodoto*, vel quia Perſicas Genealogias non ſatis exploratas habuit, vel quia conſulto Perſæ per invidiam genus *Eſtheris* diſſimularunt, ac *Cyri* filiam eſſe commenti ſunt, maxime cum *Eſther*, jubente patruo ſuo *Mardochæo*, genus ſuum non ſtatim indicaverit, ſicut legitur cap. 2. verſ. 20. libri *Eſtheris*. Hac ſemel admiſſa peritorum Scripturæ Sacræ Interpretum ſententia, ſequitur, *Darium Hyſtaſpis* filium, ex Regina *Eſthere*, conjuge ſua, quæ eadem eſt ac *Artiſtona*, duos ſuſcepiſſe filios, *Arſamen*, & *Gobriam*. Qua de re conſule *Auguſtinum Calmet*, doctiſſimum Benedictinum, in ſuo *Commentario Litterali* in librum *Eſtheris*, ubi etiam refellit errorem ſive Hebræorum, qui putant, Reginam *Eſtherem* eſſe matrem *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, ſive aliorum, qui aſſerunt, Reginam *Eſtherem* eſſe matrem vel *Holoſernis*, vel *Xerxis*, qui patri ſuo, *Dario Hyſtaſpis* filio, in Imperio Perſico ſucceſſit, quæ omnia ſunt putida commenta, quæ Hiſtoriæ cum ſacræ, tum prophanæ omnino adverſantur.

D. Quis eſt auctor libri *Eſtheris*, cujus hiſtoriam hactenus deſcripſiſti, & tempus, quo eadem hiſtoria contigit, accurate præfixiſti?

M. Circa auctorem libri *Eſtheris* non una eſt Scriptorum ſententia. Alii volunt, auctorem libri *Eſtheris* eſſe *Eſdram*, alii *Mardochæum*, *alii Joachimum*, Summum Pontificem, alii exiſtimant, librum *Eſtheris* eſſe genuinum magnæ Judæorum Synagogæ fœtum, alii denique putant, libri *Eſtheris* auctorem eſſe omnino incertum. Narrat quidem *Mardochæus*, avunculus *Eſtheris*, ſe librum ſcripſiſſe, illumque ad Judæos miſiſſe. Sed ille liber nihil aliud fuit, quam epiſtola a *Mardochæo* miſſa ad Judęos, & eo fine ſcripta, ut Judæi *Phurim* ſolemnitatem, ſeu feſtivitatem ſortium, ſingulis annis ſtata die celebrarent, uti ex cap. 9. & ex initio capitis 10. libri *Eſtheris* facile colligitur. Quocirca, mihi magis probatur ſententia Illuſtriſſimi *Danielis Huetii*, Abrincenſis Epiſcopi, qui in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione 14. pag. 174. & 175. aſſerit, Judæorum Synagogam magnam, ad quam ex officio pertinebat rationem & cæremonias hujus ſortium ſolemnitatis explicare, hunc *Eſtheris* librum ad majorem Judæorum inſtructionem & fructum edidiſſe, eique inſeruiſſe non ſolum integram *Mardochæi* jam citatam epiſtolam, una cum epiſtola *Eſtheris*, cujus eodem in capite nono verſicul. 29. ſit mentio, ſed etiam addidiſſe nonnullas circumſtantias, quæ ad lucem huic *Eſtheris* hiſtoriæ conciliandam neceſſariæ videbantur. Certiſſime autem conſtat, hunc *Eſtheris* librum temporibus *Eſdræ* jam fuiſſe conſcriptum, nec ad poſteriora tempora referri poſſe, quia prædictus liber relatus eſt in Canonem Hebræorum, quem, teſte *Joſepho*, Hebræo, *Eſdras* poſt laxatam captivitatem Babylonicam texuit & clauſit ſub *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege.

D. Quid intelligis per illam Synagogam magnam Judęorum, cujus juſſu & auctoritate ſcriptus & adprobatus eſt *Eſtheris* liber?

M. Vox *Synagoga* Gręca eſt, quę idem ſonat ac Congregatio. Per Synagogam itaque magnam Judęorum nihil aliud intelligitur quam Congregatio, ſeu Synodus generalis Judęorum, penes quam ſumma reſidebat poteſtas Decretorium de libris ſacris, & de his, quæ Judęorum Religionem ſpectabant, proferendi judicium. Hę autem Congregationes, ſeu Synodi generales Judęorum appellabantur *Synagogæ Magnæ*, ut diſcernerentur a peculiaribus, & privatis Congregationibus, quas Judęi olim habebant, & etiamnum habent ad orationem deſtinatas, quęque abſolute *Synagogæ* appellari ſolent. De illis Synagogis, quas Judęi, orationis ergo, frequentant, de illarum antiquitate, de Judęorum Doctoribus, ſeu Rabbinis, qui in Synagogis pręſunt, necnon de illorum officiis brevem ſermonem ſub finem hujuſce Colloquii habebo, ut aliquam de his ſingulis notitiam habere poſſis. Synagogę itaque Judęorum ſunt domus orationis & doctrinę, quę nullam formam peculiarem habent, niſi quod in illis eſt ſpecies Altaris, ſive Menſę in qua explicatur & evolvitur Legis Moſaicę Volumen. Juxta quamlibet Synagogam extat cubiculum, ex quo mulieres proſpiciunt in Synagogam virorum, nec enim licet mulieribus intrare, nec a viris proſpici. In omnibus etiam Judęorum Synagogis eſt quędam ad Orientem arca ſeu armarium, in quo reponitur, & ſumma

cura

cura aſſervatur Legis Moſaicę Volumen, quod abſque accentibus, punctis vocabulis, & Verſuum diſtinctionibus deſcriptum eſſe debet. Plures quoque in Synagogis Judęorum pendent e laqueari lucernę, quę in Sabbato accenduntur. Has Synagogas inſtituerunt Judęi, dum eſſent in captivitate Babylonica, jamque Templum Hieroſolymitanum, a *Salomone* extructum, penitus a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, fuiſſet everſum. Non poterant tamen Judęi in his Synagogis Sacrificia Deo offerre, & mactare Agnum Paſchalem, ſed id dumtaxat in Templo Hieroſolymitano ſive ante, ſive poſt captivitatem Babylonicam, juxta Legem Moſaicam, pręſtare potuerunt, ita ut illi Judæi, qui, poſt captivitatem Babylonicam, aliud Templum, pręter Hieroſolymitanum, Deo erexerunt, habiti fuerint ac rejecti tanquam Schiſmatici, & Legis Moſaicæ tranſgreſſores. Quod quidem, ut clarius intelligas, obiter advertere debes, duo Templa poſt captivitatem Babylonicam, pręter Templum Hieroſolymitanum, fuiſſe extructa, in quibus verus Deus Iſraelitarum coleretur quidem, ſed falſa Religione. *Sanaballetes* enim, ſicut in pręcedentibus noſtris Colloquiis jam me obſervaſſe memini, venia petita a *Dario*, Perſarum Rege, cujus erat Prępfectus, & deinde ab *Alexandro Magno*, Gręcorum Monarcha poſt mortem *Darii*, Regis, extruxit in monte *Garizin* Templum Samarię in gratiam *Manaſſis* generi ſui. In hoc Templo *Garizin* Samaritani, qui jam diro Schiſmate a Judęis erant divulſi, primum Deo vero Sacrificia offerebant, ſed poſtea *Antiochus Epiphanes*, Rex Syrię, non ęgre conſentientibus Samaritanis, *Jovi Hoſpitali* hoc Templum conſecravit. Poſt annos autem ducentos, quam fuerat conditum iſtud Templum in monte *Garizin*, Joannes Hircanus, Summus Judæorum Pontifex, illud una cum urbe Samariæ evertit. Hanc Samariæ urbem denuo excitavit *Herodes*, a Senatu Romano Rex Judææ declaratus, eamque *Sebaſtem* de nomine *Cæſaris Auguſti* appellavit, & in ea Templum extruxit, cui tamen Samaritani montem Garizin prætulerunt. Aliud, poſt captivitatem Babylonicam, fuit in Ægypto extructum vero Deo Iſraelis Templum ab *Onia*, qui fuit *Oniæ Tertii* Pontificis filius natu minimus. Hic quippe, fervente perſecutione, in qua *Antiochus Epiphanes*, Rex Syrię, crudeliter ferro flammaque ſæviit in Judæos, fugit in Ægyptum ad Regem *Ptolomæum Philometorem*, & uxorem ejus *Cleopatram*, atque ab his ſtruendi Templi, Hieroſolymitano æmuli, facultatem obtinuit, & illud *Leontopoli* in Præfectura Heliopolitana erexit, ſeque ejuſdem Templi Summum Pontificem conſtituit, Sacerdotes etiam & Levitas creavit, qui Sacra Ritu Judaico peragerent. Iſtud ſecundum Schiſmaticum Judæorum Templum duravit uſque ad excidium Hieroſolymitanum, poſt quod a *Paulino*, Alexandriæ Prępfecto, dirutum eſt anno Æræ Chriſtianæ ſeptuageſimo primo, cum ſtetiſſet ultra ducentos annos. Hæc autem obiter annotanda eſſe duxi, „ut inde intelligas, Judæos, juxta Legem Moſaicam, in ſolo Templo Hieroſolymitano, ſive a *Salomone* extructo, ſive a *Zorobabele* poſt captivitatem Babylonicam inſtaurato, potuiſſe Deo offerre Sacrificia, & Agnum Paſchalem immolare, non vero in Synagogis, nec in Templis, quæ extra Hieroſolymorum urbem condita erant, etiamſi vero Deo Iſraelis eſſent erecta, & omnia Sacra Ritu Judaico in his celebrarentur. Hinc eſt, quod illa Templa, extra Hieroſolymorum urbem conſtructa, & Deo Iſraelis licet conſecrata, pro legitimis veri Dei Templis in Sacro Codice non agnoſcantur. Sed redeamus nunc ad Synagogas Judæorum. Moris erat apud Judæos in unaquaque hebdomada, ſeu ſingulis diebus Sabbati ſuas Synagogas frequentare, ſive ad orandum, ſive ad audiendam a ſuis Doctoribus explicationem Legis, & ab illis accipiendam correctionem morum, ſicut teſtatur *Philo*, Judæus. Quem morem Judæi etiamnum obſervant ſingulis Sabbatis in ſuis Synagogis, in quibus Rabbini, ſeu Legis Doctores, explicant Legem Moſaicam, & delinquentium corrigunt mores. Nullis titulis olim inſigniebantur Judæorum Doctores, ſed circa ortum Chriſti Domini amaverunt vocari *Rabbi*, a radice *Rahab*, id eſt, *multiplicatus fuit*, volentes inde ſignificare, eos, qui dicebantur *Rabbi*, varia & multiplici doctrina eſſe inſtructos. Quin, & iſti Judæorum ſupercilioſi & ſuperbi Doctores tantum Rabbino deferendum eſſe ſanciebant, ut dicerent, Rabbinum præferendum eſſe Regi, Regem vero Pontifici Summo, ſicque Rabbinum eſſe omnibus anteponendum. Cathedris diſtinctis ſedebant Rabbini, & primas cathedras ambiebant, eorumque faſtum graphice deſcribit Chriſtus Dominus cap. 23. verſ. 5. & ſequent. *Matthæi* dicens: *Dilatant enim phylacteria ſua & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*. Verum, licet inſolito faſtu inſuperbirent Rabbini, Judæorum Doctores, illos tamen manibus laboraſſe probat exemplum Apoſtoli *Pauli*, qui, præceptore *Gamaliele* uſus, Legem Moſaicam didicerat, & manibus, ne quem gravaret, laborabat, Scenefactoriam, ut ipſemet teſtatur, artem exercens. Confundi tamen non debent iſti Rabbini cum illis Legis Doctoribus, qui antiquitus apud Judæos vocabantur *Sopherim*, id eſt *Scribæ*, vel *Expoſitores Legis*. Obſervant enim viri Rerum Judaicarum periti, debuiſſe primitus Judæorum Sacerdotes ex officio Legem populum edocere, idque colligunt ex his verbis, quæ cap. 10. verſ. 8. & ſeq. lib. Levit. leguntur: *Dixit quoque Dominus Aaron: Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras, & ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatiſque filios Iſrael omnia legitima, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi*. At, „

poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, hoc eſt, circa illud tempus, quo Prophetiæ donum apud Judæos in Propheta *Malachia* expirat, cœperunt Sacerdotes plus negotiis politicis, & gubernationi civili vacare, quam meditationi Legis, & inſtitutioni plebis, indeque factum eſt, ut hæc Sacerdotum miniſterii pars, quæ in inſtructione populi, & explicanda Lege ſita erat, reſervata & concredita fuerit certo hominum generi, qui apud Judæos dicebantur *Sopherim*, ſeu *Scribæ*. Certe negari non poteſt, antiquiſſimum eſſe apud Judæos *Scribarum* nomen, cum ſæpius in Scriptura Sacra *Eſdras*, qui, poſt captivitatem Babylonicam, Prophetis, *Zachariæ*, *Aggæo*, & *Malachiæ* coætaneus fuit, diſerte appelletur *Scriba*. Munus autem, quod illis *Scribis* obeundum incumbebat, erat Sacras Scripturas exponere, vindicare a corruptelis, illas prælegere populo in Templo & in Synagogis, interpretationem obſcuriorum locorum, ubi opus erat, adjicere, populum ad probos mores informare & inſtituere; Dubia ex libris *Moyſis*, & Prophetarum objecta dilucidare, & ſolvere; emergentes perplexas quæſtiones enodare, Genealogias Tribuum, maxime Sacerdotalis, & regiæ ſtirpis, ſedulo aſſervare, & alia id genus Sacra obire munia. Paulo antequam Chriſtus Dominus prodiret in lucem, duæ celebres fuerunt Doctorum Judæorum Scholæ, nimirum *Hillelis*, & *Schammai*. Domus *Hellelis*, ut loquuntur Judæi, id eſt, Schola *Hillelis*, prima fuit, & in ea cum *Hillel*, illius caput, ſingulares doceret ac teneret opiniones, actutum ſeſe illi oppoſuit alter Judæorum Doctor, ſeu *Schammai*, qui aliam inſtituit Scholam, & diſcipulis ſuis contrarias inſtillavit opiniones. Utriuſque Doctoris ſententiæ frequenter apud Thalmudicos recenſeri ſolent, ſed *Sanctus Hieronymus* in cap. 8. *Iſaiæ* vocat Doctorem *Schammai*, *Diſſipatorem*, & Doctorem *Hillelum* appellat *Prophanum*, eo quod ambo illi Judæorum Doctores per *δευτερώσεις*, ſeu per traditiones ſuas, Legis Moſaicæ præcepta diſſipaverint, atque omnino maculaverint. Denique, Rabbini, & Judæorum Doctores occupabantur circa *Miera*, hoc eſt, circa Textum Bibliorum; circa *Miſchna*, id eſt, circa Traditiones; circa *Midras*, hoc eſt, circa ſtudium Sacrarum Scripturarum, ut eas vel myſtice, vel allegorice explicarent. Doctores vero illi Judæorum, qui Legem ſcriptam profundius interpretabantur, *Agadici* dicebantur a verbo *Nagad*, id eſt, *Narrare*.

D. Abeant in malam crucem, malumque cruciatum iſti Rabbini, cæcique Judæorum Doctores, qui ſuis, quas venditant, quiſquiliis, ſeu vanis traditionibus, & ſiniſtris interpretationibus Sacras Scripturas corruperunt, & Jeſum Chriſtum, quem *Moyſes*, & omnes Prophetæ verum Meſſiam prædixerunt, audire detrectarunt, eumque tanquam impoſtorem & Legis tranſgreſſorem, in crucem egerunt. Hanc certe Judæorum blaſphemiam, qua nulla execrabilior proferri poteſt, ferre minime poſſum.

M. Viſne Rabbinis, cæteriſque Judæorum Doctoribus, Jeſum Chriſtum, tanquam impoſtorem, & Legis tranſgreſſorem blaſphemantibus, os occludere, audi, & alte memoriæ tuæ ſemper infixum habeto iſtud egregium *Sancti Chryſoſtomi* Oratione 3. adverſus Judæos egregium ratiocinium: *Agedum*, ait Judæis Sanctus ille Doctor, *dicite mihi, etiamne poſthac ſuſtinebitis illum*, ſeu Jeſum Chriſtum, *vocare impoſtorem ac tranſgreſſorem Legis, & non potius aliquo ſecedentes vos ipſos occultabitis, qui coram oculis obtueamini tam manifeſtam, & evidentem veritatem? Etenim, ſi impoſtor erat Jeſus, quemadmodum dicitis, Legiſque tranſgreſſor, par erat, ut hanc etiam laudem ferretis, qui talem occideretis. Nam ſi Phinees, unico tantum perempto homine, totam Numinis iram adverſus Populum exardeſcentem ſedavit* (*ſtetit enim*, inquit Scriptura Sacra Pſalm. lv. *Phinees, & placavit, & ceſſavit quaſſatio*) *tamque multos homines eripuit ab ira divina unius hominis cæde, multo magis hæc vobis oportuit accidere, ſi Legis tranſgreſſor erat, quem vos crucifixiſtis. Cur igitur, quæſo, Phinees, vero Legis tranſgreſſore perempto, juſtus habitus eſt, & Sacerdotio honoratus; vos autem, quum in crucem egeritis virum impoſtorem, ut dicitis, Deoque adverſantem, qui fit ut non ſolum feratis laudem & honorem, verum etiam acerbiora paſſi ſitis, quam tum, quum filios veſtros mactaretis? An non iſtud perſpicuum eſt, etiam vehementer tardis & hebetibus, quod poſteaquam adverſus Servatorem ac Principem Orbis impie egiſtis, talis vindicta de vobis ſumpta ſit? Et nunc ſane abſtinetis a nefario ſanguine, & Sabbata ſervatis, tum vero ipſum etiam Sabbati diem violabatis, &c.* Hoc invicto *S. Joannis Chryſoſtomi* ratiocinio, quod Judæorum jugulum petit, eoſque ad incitas redigit, præſenti noſtro Colloquio finem impono.

## COLLOQUIUM ULTIMUM.

*In quo produntur res præclaræ, geſtæ a Machabæis, qui, poſt Captivitatem Babylonicam, ſumma apud Judæos auctoritate potiti ſunt uſque ad* Herodem, *alienigenam, quo in Judæa regnante, natus eſt Jeſus Chriſtus, ibidemque attexuntur variæ Judæorum Sectæ, aliquot Hiſtoriæ Romanæ monumenta, & Canon Chronologicus annorum, qui a captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti Domini interfluxerunt.*

D. Fine Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti, & initio Salutis, per ortum Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, toti generi humano allatæ, appropinquantibus, neceſſe eſt, ut res præcipuæ, quæ in ſexta Mundi Ætate uſque ad Natale Chriſti Domini geſtæ ſunt, & ad Hiſtoriam Judæorum pertinent, aut cum ea aliquam agnationem habent, ſervato ordine temporum, breviter nunc referas, ut plenam & integram aſſequar Sacræ Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti notitiam.

M. Hiſtoria rerum, quas Judæi ſub finem Sextæ Mundi Ætatis præclare geſſerunt, texitur in duobus Libris Machabæorum, in quibus accurate nar-

te narrantur egregia facinora, quibus inclaruerunt, totoque Orbe celebres ſeſe redidierunt quatuor inſignes Judæorum Principes, nimirum *Matathias*, ejuſque filii, dicti Machabæi, *Judas*, *Jonathas*, & *Simon*, qui omnes Reipublicæ Judæorum profuerunt, & pro tuenda, vel recuperanda Populi Judaici libertate ſtrenuam navarunt operam contra Ægypti, & Syriæ Reges, quibus illi famoſi Judæorum Duces, divinæ Legis zelo accenſi, arreptis armis conſtanter reſtiterunt, bella feliciter confecerunt, hiſque Regibus ſæpius devictis ac profligatis, Populum Judaicum in libertatem vindicarunt. Sed quia Hæretici, a vera Chriſti Eccleſia extorres, ad labefactandam duorum librorum Machabæorum auctoritatem, multa opponere ſolent, præſtat ut in anteceſſum ea Hæreticorum objecta diluamus, quo Ducum Machabæorum Hiſtoriæ, quam poſtea deſcripturi ſumus, ſua conſtet indubitata veritas.

D. Quænam ſunt præcipua argumenta, quibus Hæretici impetunt duorum librorum Machabæorum auctoritatem?

M. Argumenta, quibus Hæretici duorum librorum Machabæorum auctoritatem labefactare moliuntur, petuntur vel ex antiquo Sacrorum librorum Canone, quo olim utebatur Eccleſia, vel ex quibuſdam diſſonantiis Chronologicis, quæ (ut ipſis videtur) reperiuntur inter primum librum & ſecundum Machabæorum; vel denique ex nonnullis circumſtantiis Hiſtoriæ, quæ in iſtis duobus Machabæorum libris narratur, quas circumſtantias cum veritate Hiſtoriæ nullo pacto cohærere poſſe magnis animis pertendunt. Incipiamus nunc a primo argumento, quod Hæretici acceſſunt ex antiquo Sacrorum librorum Canone, quo olim utebatur Eccleſia. Ajunt, *Melitonem Sardenſem*, *Origenem*, & Laodicenam Synodum in Canone, quem texuere Sacrorum Librorum, non repoſuiſſe duos libros Machabæorum, eique antiquo Sacrorum librorum Catalogo adhæſiſſe Sanctos Patres *Athanaſium* in Epiſtola ſua Feſtali, Auctorem Scripturæ Sacræ Synopſeos, *Cyrillum Hieroſolymitanum* Catecheſi quarta, *Hilarium* Præfatione in Pſalmos, *Amphilochium* in Epiſtola ad *Seleucum*, relata a Balſamone, *Gregorium Nazianzenum*, *Epiphanium*, *Hieronymum*, *Joannem Damaſcenum*, utrumque *Nicephorum*, & multos alios veteres, doctrina & pietate conſpicuos. Inde inferunt Hæretici, duobus Machabæorum libris, ex antiquo Sacrorum librorum Canone rejectis, Sacram & Canonicam auctoritatem adjudicari non debere. Sed hæc ineptiſſima eſt Hæreticorum conſecutio. Potuerunt quippe antiquitus aliquæ particulares Eccleſiæ, & aliquot Sancti Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici ſalva & inculpata fide dubitare, an duo Machabæorum libri eſſent Canonici? quia id temporis univerſa Eccleſia ſuum decretorium judicium ſuper hac controverſia necdum protulerat. Nunc autem, cum univerſalis Eccleſia in Concilio Tridentino congregata, propter procacem Hæreticorum in repudiandis, vel infirmandis libris Canonicis audaciam & temeritatem, Sacrorum librorum tam Veteris, quam Novi Teſtamenti texuit Catalogum, in quo repoſuit duos Machabæorum libros, poſt hanc, inquam, propalatam ſolemnem Eccleſiæ definitionem, nemini Catholico integrum eſſe poteſt negare, aut in dubium revocare Sacram & Canonicam duorum librorum Machabæorum auctoritatem. In texendo autem Sacrorum Librorum Canone ſecuta eſt Œcumenica Synodus Tridentina *Innocentium I.* Pontificem Maximum, in Epiſtola 3. ad *Exuperium*, Epiſcopum Toloſanum, *Gelaſium*, Romanum itidem Pontificem, in Concilio Romæ habito anno 494. S. *Auguſtinum* lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana* capite octavo, & multos antiquos Patres. Uno verbo, indivulſe adhæſit Synodus Tridentina illibatæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus traditioni nobiliſſimarum Eccleſiarum, Romanæ in primis, quæ eſt omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, cujus definitionibus refragantur ſoli Hæretici & Schiſmatici, qui a Catholica Eccleſia, extra quam nulla eſt ſalus, vita, & gratia ſanctificans, ſunt ſeparati.

D. Quænam ſunt iſtæ Chronologicæ diſſonantiæ, quas in duobus Machabæorum libris reperiri dictitant Hæretici?

M. Aliquot in duobus libris Machabæorum diſſonantias Chronologiæ producunt Hæretici, quas non veras & reales eſſe, ſed dumtaxat apparentes, eaſque facili negotio conciliari poſſe, hic paucis commonſtrabo. In primis, ajunt, legi cap. 1. libri 1. Machabæorum, Regem Syriæ *Antiochum Epiphanem*, ſeu *Illuſtrem*, regnare cœpiſſe anno Regni Græcorum centeſimo trigeſimo ſeptimo, quem tamen tardius regnaſſe, ſeu anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo tertio, conſtat ex *Euſebio* in Chronico, & ex prophanis Scriptoribus Græcis. Hæc eſt prima Chronologica diſſonantia, quæ facile ſolvi poteſt, attenta duplici Æra, qua utebantur Græci, videlicet Æra Græcorum, qui dicebantur *Lagidæ* a *Ptolomæo Lagi* filio, qui primus poſt obitum *Alexandri Magni* regnavit in Ægypto, & alia Æra Græcorum, qui appellabantur *Seleucidæ*, a *Seleuco Nicatore*, qui primus, poſt obitum *Alexandri Magni*, regnavit in Syria. Græci, dicti *Lagidæ*, annos Regni Græcorum computabant ab initio Monarchiæ *Alexandri Magni*, qui, devicto ad Arbella *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Rege, tanquam ſupremus Græcorum Monarcha per ſex annos Babylone imperavit. Aſt, Græci, dicti *Seleucidæ*, annos Regni Græcorum numerabant ab exordio Regni *Seleuci Nicatoris*, qui annis dumtaxat undecim poſt obitum *Alexandri Magni* obtinuit Regnum in Syria. Ex quo ſequitur, Æram *Lagidarum*, qua utebantur Græci, dicti *Lagidæ*, in numerandis annis Regni Græcorum, antevertiſſe ſexdecim annis Æram *Seleucidarum*, quam nimirum in putandis annis Regni Græcorum uſurpabant Græci, dicti *Seleucidæ*. Porro, hanc Seleucidarum Æram, quæ in numerandis annis Regni Græcorum poſterior eſt ſexdecim annis Æra Grecorum Lagidarum, ſequebantur Judæi, eaque ſubinde

inde in numerandis annis Regni Græcorum uſus eſt Auctor duorum priorum Librorum Machabæorum. Hac præmiſſa obſervatione, liquet, nullam in duobus prioribus Machabæorum libris offendi in numerandis annis Regni Græcorum Chronologicam diſſonantiam. Nam verum eſt, *Antiochum Epiphanem*, juxta Æram Seleucidarum, regnare cœpiſſe in Syria anno Regni Græcorum centeſimo trigeſimo ſeptimo. Verum quoque eſt, eumdem *Antiochum Epiphanem*, juxta Æram Lagidarum, ſuum in Syria iniiſſe Regnum anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo tertio. Dilucidata prima illa apparenti Chronologica diſſonantia, ad aliam venio, quam objiciunt Hæretici. Dicunt enim, Auctorem libr. 1. Machabæorum aſſerere capite ſexto, *Antiochum Epiphanem*, Regem Syriæ, mortuum eſſe anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo nono. At vero capit. XI. libri ſecundi Machabæorum legitur, *Antiochi Epiphanis*, Syriæ Regis, filium, ſcripſiſſe, poſt mortem patris ſui, literas anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo. Qua in re, ajunt hæretici, in duobus prioribus Machabæorum libris reperitur Chronologica diſſonantia, ſeu in conſignandis temporibus unius anni diverſitas. Sed hanc, quam opponunt Hæretici, unius anni diverſitatem facile explicabis, ſi ſemel advertas, Judæos in numerandis annis Regni Græcorum ſequutos quidem fuiſſe Æram Seleucidarum, eos tamen auſpicatos fuiſſe annum a menſe *Niſan*, hoc eſt, a menſe Martio, verno tempore; Græcos vero annum incepiſſe a menſe Septembri in Autumno. Hæc igitur apparens in duobus prioribus Machabæorum libris diverſitatis unius anni Chronologica diſſonantia, ex eo profecta eſt, quod Auctor libri 1. Machabæorum in conſignandis temporibus priorem, juxta morem Judæorum, ſequatur ſupputationem anni a menſe *Niſan*, indeque vere ſcribat, *Antiochum Epiphanem*, Regem Syriæ, mortuum eſſe anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo nono; Auctor vero ſecundi libri Machabæorum ſectetur conſuetudinem Græcorum incipiendi annum a menſe Septembri, adeoque vere itidem dicat, *Antiochum Epiphanem*, Regem Syriæ, vita functum eſſe anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo. Quo fit, ut hæc conſignandi tempora diverſitas, quæ reperitur in duobus prioribus Machabaicis libris nullo pacto eorum officiat auctoritati, ſed eam potius commendet, illorumque antiquitatem prodat. Tertiam denique Chonologicam diſſonantiam in duobus prioribus Machabæorum libris notant Hæretici, in hoc ſitam, quod Auctor libr. 1. Machabæorum capit. 9. ait, *Judam Machabæum* fuiſſe occiſum anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo ſecundo; ſed Auctor libri ſecundi Machabæorum inquit, *Judam Machabæum* ſcripſiſſe Epiſtolam anno Regni Græcorum centeſimo octogeſimo octavo, hoc eſt, ſex & triginta annis poſt obitum *Judæ Machabæi*. Qua in re, ajunt Hæretici, in conſignandis temporibus non ſibi conſtant Auctores duorum priorum librorum Machabæorum, ſed putidis anachroniſmis, atque manifeſte ſeſe implicant contradictione. Verum, turpiſſime falluntur Hæretici, eorumque objectioni triplex a viris eruditis ſolet adhiberi Reſponſio. In primis dicunt, incuria librariorum irrepſiſſe mendum in notas numerales, & ſcriptum fuiſſe annum 188. loco anni 148. Secundo, diſtinguunt duplicem Epiſtolam, unam videlicet ſcriptam a *Juda Machabæo* anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo, quo anno adhuc vivebat *Judas Machabæus*. Sed hæc Epiſtola, a *Juda Machabæo* ſcripta, dumtaxat poſt ejus obitum, hoc eſt, regnante in Judæa *Joanne Hircano*, directa fuit ad Judæos in Ægypto commorantes, eidemque Epiſtolæ, a *Juda Machabæo* anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo ſcriptæ, brevem aliam Epiſtolam Judæi Hieroſolymitani, tempore *Hircani*, Summi Pontificis, adjunxerunt, & annum quo ſcribebant, ſeu centeſimum octogeſimum octavum Regni Græcorum præfixerunt. Hæc autem Epiſtola, quam totus Judæorum Populus, Duce *Joanne Hircano*, anno Regni Græcorum centeſimo octogeſimo octavo ſcripſit, præmittitur ab Auctore lib. 2. Machabæorum capite 1. ante Epiſtolam a *Juda Machabæo* ſcriptam, quamvis prædicta illa Epiſtola poſterior ſit Epiſtola *Judæ Machabæi*, quippe quæ ſcripta eſt anno Regni Græcorum centeſimo octuageſimo octavo, Epiſtola vero *Judæ Machabæi*, ſcripta eſt anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo. Hinc doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes jure optimo inferunt, hæc verba: *Anno centeſimo octogeſimo octavo* non eſſe exordium Epiſtolæ, quam ſcribit *Judas Machabæus*, quamque poſteriori loco Auctor libri 2. Machabæorum c. 1. reponit, ſed eſſe finem alterius præcedentis Epiſtolæ, quam ibidem priori loco deſcribit idem Sacer Auctor, a toto Judæorum Populo *Hircani* temporibus ſcriptam, quæ licet capite 1. libri 2. Machabæorum præcedat ordine Epiſtolam a *Juda Machabæo* ſcriptam, revera tamen tempore ea poſterior eſt, utpote ſcripta anno Regni Græcorum centeſimo octogeſimo octavo. Teſtatur *Bellarminus*, hanc poſteriorem Epiſtolam, quæ a *Juda Machabæo* ſcripta eſt, in Codicibus Græcis non incipere ab illis verbis: *Anno centeſimo octogeſimo octavo*, ſed ab iſtis: *Populus, qui eſt in Judæa & Hieroſolymis*. Denique, reſpondent viri eruditi, hanc poſteriorem Epiſtolam (facta hypotheſi quod incipiat ab illis verbis: *Anno centeſimo octogeſimo octavo*) non fuiſſe ſcriptam a *Juda Machabæo*, ſed ab altero *Juda*, qui an fuerit *Judas Eſſenus*, magna tum temporis apud Judæos, teſte *Joſepho*, Hebræo, auctoritate pollens? vel alius *Judas*, nobis incognitus? incertum eſt, ſicut pariter incertum eſt, quiſnam fuerit ille *Ariſtobolus*, qui in prædicta Epiſtola appellatur *Magiſter Ptolomæi*, Ægyptiorum Regis; an videlicet fuerit *Ariſtobolus*, Philoſophus Peripateticus? an aliquis alius ejuſdem ætatis? Sed de Chronologicis diſſonantiis, quas in duobus prioribus Machabæorum libris reperiri effutiunt Hæretici, plura in præſentia non dicam (*a*).

„ (*a*) No-

„ (a) Nodos iſtos Chronologicos ad concordan-
„ dos geminos Machabæorum libros egregie ſol-
„ vit recentiſſimus ſcriptor P. Eraſmus Froelich
„ e Societate Jeſu poſtremis hiſce annis magna
„ literaturæ jactura defunctus Viennæ in Auſtria,
„ in ſuis annalibus Regum Syriæ excuſis Viennæ an.
„ 1744.& plenius iterum ibidem 1750. ex quo non-
„ nulla hic excerpere juvat. Monet Prolegom.
„ cap. II. auctorem lib. I. Machabæorum annum
„ ſuum incipere a Niſan, quod ſic evincit cit. I.
„ Machab. IV. 52. menſem Casleu nonum men-
„ ſem dici; eſt autem nonus ordine a Niſan in-
„ cœpto. Secundi vero Machabæorum auctor
„ a menſe Tiſri annum exorditur, ut utri-
„ uſque libri facta collatione intelligi poteſt.
„ Betſura obſeſſa an. 150. legitur I. Machab. VI.
„ idemque annus eſſe Sabbaticus ibidem adnotatur;
„ at anno Græcorum 149. & Sabbatico id actum
„ refertur 2. Machab. XIII. Annus ſabbaticus
„ exordium habebat a Tiſri, neceſſe proinde eſt
„ Betſuram obſeſſam fuiſſe anno Græcorum 150.
„ cum annus Sabbaticus cœptus in autumno anni
„ Græcorum 149. nondum deſiiſſet, nempe ante
„ autumnum ejuſdem anni.

„ Demum & ſine concurſu anni Sabbatici idem
„ anni exordiendi diſcrimen inter duos libros
„ Machabæorum demonſtrat annus Antiochi Epi-
„ phanis emortualis, qui in primo Machabæo-
„ rum ſtatuitur anno 149., in ſecundo vero extant
„ literæ Antiochi Eupatoris, qui Epiphani ſuc-
„ ceſſit jam regnantis, ſignatæ anno 148. die 15.
„ Xanthici, quæ rerum difficultas plane tollitur,
„ ſi ſtatuerimus auctorem I. Machabæorum an-
„ num 148. incepiſſe a Xanthico (qui idem eſt
„ menſis, ac Niſan apud Hebræos) anni præce-
„ dentis 147.adeoque in Xanthico anni 148. ince-
„ piſſe annum 149. cum viciſſim auctor II. Ma-
„ chabæorum annum 148. inceperit in Tiſri, ſeu
„ Septembri anni 147. adeoque nonniſi in Se-
„ ptembri anni 148. illum abſolverit.

„ Sed nodus eſt alter ex literis relatis in 2.
„ Machabæorum efformatus, qui ceteris pla-
„ ne eſt inextricabilior. Secundo Machabæorum
„ XI. cum Lyſias Eupatoris Præfectus multas
„ ex Hebræis clades retuliſſet, imparem ſe in-
„ telligens, ut illis reſiſteret, ad ſaniora ver-
„ ſus conſilia ſcripſit illis epiſtolam pacem of-
„ ferens, eidem epiſtolæ ſubſcriptus eſt annus
„ 148. *menſis Dioſcori die vigeſima, & quarta*.
„ Tum ejuſdem Regis epiſtola altera ad eoſdem
„ Judæos pacem offerentis ibidem legitur, quæ
„ ſignata eſt anno centeſimo quadrageſimo octa-
„ vo, quintadecima die menſis Xanthici. Qua ra-
„ tione inter ſe componuntur literæ iſtæ, vix in-
„ telligitur; nam anno 148. die illa Xanthici
„ Antiochus vix regnum acceperat; quomodo er-
„ go Lyſias pluribus cladibus a Judæis affici po-
„ tuit, quæ ſane clades regnante eodem Antio-
„ cho acciderunt, atque tunc demum Lyſias da-
„ re literas ad Judæos pacem offerens potuit, quæ
„ ſane literæ *die vigeſima quarta menſis Dioſcori*
„ anni centeſimi quadrageſimi octavi ſignarentur?
„ Hic nodus ita a viro docto explicatur. Menſis
„ Dioſcori nomen in Calendario menſium Syro
„ Macedonicorum, quo auctor ſecundi Macha-
„ bæorum utitur, nuſpiam occurrit. Statuit igitur
„ ille eo nomine deſignari menſem intercalarem;
„ nam & gentem illam intercalandi uſum ha-
„ buiſſe pluribus demonſtrat, ſicut habebant Græ-
„ ci, & Hebræi; ſedem vero menſis intercalaris
„ variam fuiſſe apud varias gentes ſtatuit; ſed
„ cum apud Hebræos poſt Tiſrim locari conſue-
„ viſſet, ex illis accepiſſe morem cenſet auctorem
„ Hebræum ſecundi Machabæorum, ut in fine anni,
„ ſicut illi in fine Tiſri reponerent. His ita ſtabilitis
„ cenſet Eupatorem in exordio regni ſui pacem ob-
„ tuliſſe Judæis, ut omnibus pacatis regimen ſuum
„ auſpicaretur datis ad eos literis menſe Xanthi-
„ co. Sed hanc turbavit Lyſias vir tumultuo-
„ ſus, ac Judæam armis hoſtilibus, diu multum-
„ que infeſtavit, nempe ſex menſium, & quod
„ excurrit, ſpatio. Igitur inter priorem pacem
„ ab Antiocho novo rege oblatam, & novam
„ hanc a Lyſia poſtulatam ſat ſpatii interceſſit
„ ad ea gerenda, quæ in ſcriptura narrantur.

D. Suntne majoris momenti alia argumenta, quæ Hæretici ad elevandam duorum priorum librorum Machabæorum auctoritatem proponere ſolent?

M. Ut intelligas, quam levia ac futilia ſint cætera Hæreticorum argumenta, ea ſummatim hic perſtringere, ac ſigillatim diluere non pigebit. Dicunt enim primo, in Epiſtola *Judæ Machabæi*, quæ cap. I. libri 2. Machabæorum deſcripta eſt, legi, *Antiochum Epiphanem*, Syriæ Regem, fuiſſe percuſſum & membratim diſcerptum in Templo Naneæ, quod erat *Veneri* aut *Dianæ* dicatum (utraque enim Dea in Perſide colebatur). Sed capite 9. ejuſdem libri dicitur, eumdem Regem *Antiochum* a Perſepoli fugatum, dum omnes ad unum Judæos internecione delendi nefarium mente volveret conſilium, maximis fuiſſe viſcerum doloribus excruciatum, & e corpore ſcaturientibus cum fœtore intolerabili vermibus, poſt criminum ſuorum ſeram agnitionem, & fucatam vitæ promiſſam emendationem, miſerabili morte in montibus occubuiſſe. Quæ diſcrepantia in deſcribenda morte *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, non poteſt, inquiunt Hæretici, cum Hiſtoriæ veritate cohærere. Sed plane commentitia eſt hæc diſcrepantia, quam Auctori libri 2. Machabæorum in deſcribenda morte *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, objectant Hæretici. At enim, capite primo libri ſecundi Machabæorum non expreſſe dicitur *Antiochum Epiphanem*, Syriæ Regem, occiſum fuiſſe in Templo Naneæ, ut patet e ſerie horumce verborum, quæ ibidem leguntur: *Clauſerunt Templum, cum intraſſet Antiochus, apertoque occulto aditu Templi, mittentes lapides percuſſerunt Ducem, & eos, qui cum eo erant, & membratim diviſerunt, & capitibus amputatis, foras projecerunt*. In his, inquam, verbis, percuſſio quidem reſpicit Ducem (tametſi ambiguum etiam videatur, an ille Dux, qui percuſſus eſt, fuerit *Antiochus Epiphanes*, Rex Syriæ, vel alius

ex

ex ejus Optimatibus ? ) At, membrorum diſcerptio, cujus in his verbis mentio fit, referenda non eſt ad Ducem, ſed reſtringi debet ad eos, qui cum Duce erant. Quocirca, cum ex hac clade, facta in Templo Naneæ in Perſide, evaſiſſet, fugamque arripuiſſet *Antiochus Epiphanes*, Rex Syriæ, mœrore poſtea vermibuſque corroſus, fœtidam animam in montibus exhalavit, quemadmodum legitur capite 9. libr. 2. Machabæorum, ſicque in fumum abit ea diſcrepantia, in quam Auctorem libri 2. Machabæorum in deſcribenda morte *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, impegiſſe mentiuntur hæretici. Sed alteram antilogiam in duobus prioribus Machabæorum libris expiſcantur Hæretici, ajuntque, Auctorem libri primi Machabæorum recta fronte pugnare cum Auctore libri 2. Machabæorum, quia Auctor libri primi Machabæorum capit. 4. narrat, purificationem Templi fuiſſe a *Juda Machabæo* celebratam paulo ante obitum *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ. Auctor vero ſecundi libri Machabæorum capite decimo refert, eamdem Templi purificationem factam eſſe biennio poſt mortem ejuſdem Regis *Antiochi*. Quæ narrationes, inquiunt Hæretici, ſunt e diametro oppoſitæ, & ſecum manifeſta antilogia colliduntur. Verum, ut candide dicam, deploranda ſane eſt cæcitas Hæreticorum, qui in Scriptura Sacra vident ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, & ea, quæ in illa ſunt, tanquam ea, quæ non ſunt. Nullum etenim extat veſtigium illius, circa purificationem Templi a *Juda Machabæo* factam, antilogiæ, quam in duobus prioribus Machabæorum Libris ſe videre dictitant Hæretici. Narratur quidem capite 9. libri 2. Machabæorum mors *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, poſt ejus e Perſide fugam; ſed tamen non dicitur capite decimo, ſicut falſo ſibi perſuadent Hæretici, Templum fuiſſe a *Juda Machabæo* repurgatum biennio poſt ejuſdem Regis *Antiochi* obitum. Hæc ſiquidem verba, quibus Sacer Auctor lib. 2. Machabæorum capite 10. verſ. 3. utitur: *Et purgato Templo poſt biennium*, non referuntur ad mortem Regis *Antiochi Epiphanis*, ita ut ſenſus ſit, purgationem Templi factam eſſe a *Juda Machabæo* biennio poſt mortem Regis *Antiochi Epiphanis*; ſed illud *poſt biennium*, denotat temporis intervallum, quod effluxit a profanatione Templi, uſque ad ejus purgationem, a *Juda Machabæo* factam, ita ut ſenſus ſit, Templum biennio poſt illum diem, quo fuerat a Gentibus prophanatum, repurgatum eſſe a *Juda Machabæo*. Purificatio igitur Templi, quod fuerat prophanatum anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo ſexto, facta eſt anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo, die vigeſima quinta menſis *Casleu*, qui noſtro menſi Novembri reſpondet, hoc eſt, inter fugam Regis *Antiochi Epiphanis*, & ejus mortem in montibus circa Babyloniam. Alia momenta, quæ Hæretici ad infirmandam ſacram duorum librorum Machabæorum auctoritatem obtrudere ſolent, tanti non ſunt, ut in his ſolvendis diutius immorari debeamus. Sufficiat obiter annotare primo, narrari capit. 12. lib. 2. Machabæorum, *Judam Machabæum* juſſiſſe, ut Hieroſolymis offerrentur Sacrificia pro illis Judæis, qui fuerant interfecti in prælio, & ſub quorum tunicis inventa fuerant donaria Idolorum, non quod iſti Judæi eſſent cultores Idolorum, ſed quia prædæ aviditate ejuſmodi donaria ex Templis Idolorum ſuſtulerant, & in hoc peccaverant, ſed ante mortem de peccato ſuo doluerant, quæ ratio movit *Judam Machabæum*, ut, abſque ulla pietatis violata regula, juſſerit, pro illis Judæis offerri preces & Sacrificia. Deinde, advertere debes cum *S. Auguſtino*, facinus *Raziæ*, qui ſibi necem conſcivit, laudari quidem cap. 14. lib. 2. Machabæorum, tanquam *generoſum & audax*, ſed non tanquam *juſtum & ſanctum*. Id autem ideo aſſerit *S. Auguſtinus*, quia Hæretici Donatiſtæ, contra quos diſputabat Sanctus ille doctor, Hiſtoriam *Raziæ*, ſe ipſum occidentis, jactare ſolebant, ut quorumdam ſuæ Sectæ furorem, qui violentas ſibi inferebant manus, *Raziæ* inſtigati exemplo, defendere & laudibus celebrare poſſent. Si tamen cum nonnullis Scripturæ Sacræ Interpretibus dicatur, *Raziam*, non ſecus ac *Samſonem*, divino inſtinctu impulſum, ſe ipſum occidiſſe, eo in caſu nulla omnino reprehenſione dignum videbitur *Raziæ* facinus. Vindicata hactenus contra Hæreticos ſacra duorum priorum librorum Machabæorum auctoritate ( nam duos alios Machabæorum libros, videlicet tertium & quartum, ad Apocryphorum claſſem ablegat Catholica Eccleſia, eoſque Scripturæ Sacræ Canoni nunquam accenſuit ); pauca nunc circa Auctores duorum priorum librorum Machabæorum obſervare non abs re erit. Quiſnam porro ſit Auctor libri primi Machabæorum ? incertum plane eſt. Sunt tamen nonnulli, qui *Joannem Hircanum*, Summum Judæorum Pontificem, & *Simonis*, fratris *Judæ Machabæi*, filium, qui diu apud Judæos Imperio & Pontificatu potitus eſt, putant eſſe hujuſce libri Auctorem. Hic primus Machabæorum liber, quem *Joſephus*, Hebræus, ferme integrum in ſuam Hiſtoriam *de Antiquit. Judaic.* convaſavit, primum Hebraica lingua fuit exaratus, ſed primigenium iſtius libri Exemplar Hebraicum omnino periit, & nunc dumtaxat ſupereſt Græcum. Alterum Machabæorum librum fuiſſe Græce ſcriptum, ex ipſa phraſi colligit S. *Hieronymus* in Prologo Galeato. Hujus ſecundi Machabæorum libri Auctor ignoratur, nec ſolidæ ſunt conjecturæ, quibus alii *Philoni*, alii *Joſepho*, alii *Judæ Eſſæo* hunc librum adjudicant. Hæc duo certiſſima apud omnes eſſe debent, primo, hunc ſecundum librum Machabæorum eſſe præcedentis libri repetitionem, ſeu eorum, quæ in eo aut omiſſa, aut nimis compendioſe dicta fuerant, expoſitionem, ſimul & Epitomen cujuſdam magni Voluminis a *Jaſone Cyrenæo* conſcripti. Quis autem ſit *Jaſon* iſte *Cyrenæus* ? incompertum eſt, quia Auctor libri 2. Machabæorum verſ. 24. ait dumtaxat, ſe in Epitomen redegiſſe Hiſtoriam a *Jaſone Cyrenæo* quinque libris comprehenſam: *Ab Jaſone*

*Cyrenæo quinque libris comprehenſa, tentavimus nos uno Volumine breviare*. Præterea, certum itidem apud omnes eſſe debet, Auctorem libri 2. Machabæorum fuiſſe Spiritu Sancto afflatum, adeoque jure optimo Facultates Lovanienſem, & Duacenſem inter cæteras propoſitiones, quas in ſuis Cenſuris anno MDLXXXVI. proſcripſerunt, iſtam damnaſſe his verbis conceptam : *Liber aliquis (qualis forte eſt ſecundus Machabæorum liber) humana induſtria ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſtea teſtetur, ibi nihil eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra*. Veniam quidem a Lectore deprecatur Auctor libri 2. Machabæorum ; ſed id non probat, hunc librum fuiſſe ab ipſo ſcriptum humana induſtria, & abſque ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti, quia, ut optime reſpondet *Bellarminus* lib. primo *De Verbo Dei* capite vigeſimo quinto. *Deus eſt Auctor omnium Scripturarum, ſed diverſa ratione. Nam Prophetæ non alium habuerunt laborem, quam ſcribendi quæ ſibi erant revelata. Aliis non ſemper Deus revelabat verba, ſed excitabat eos ut ſcriberent, & aderat ne fallerentur in ſcribendo. Et quidem hujus libri* (ſeu ſecundi Machabæorum) *nullam deprecatur culpam contra Hiſtoriæ veritatem, ſed de ſcribendi ratione tantum loquitur. Aliud eſt vere, aliud diſerte dicere. Deus autem ſic Auctores Sacros regebat, ut iis ſtyli libertatem, & ſcribendi modum relinqueret.*

D. Facile nunc intelligo, quam levia ac futilia ſint argumenta, quibus Hęretici Sacram duorum librorum Machabæorum auctoritatem fruſtra oppugnare moliuntur. Age modo, ſi placet, & ſummatim perſtringe pręclara Machabæorum facinora, quæ in duobus Machabæorum libris deſcripta leguntur.

M. Cum rerum, quas præclare geſſerunt pręſtantiſſimi apud Judæos Duces, dicti *Aſſamonæi*, ſeu *Machabæi*, narratio divelli nequaquam poſſit ab Hiſtoria Regum Syriæ, quibus ſtrenue reſtiterunt Machabæi, & periclitantem Judæorum libertatem, multis confertis præliis, egregie defenderunt ; præſtat ut in memoriam tuam revoces eam, quam in primo Colloquio in Hiſtoriam ſextæ hujus Mundi Ætatis dedimus, ſeriem duodecim priorum Regum, qui poſt obitum *Alexandri Magni* in Syria regnarunt. Hic autem deſcribemus Hiſtoriam Machabæorum, qui ſumma apud Judæos poteſtate potiti ſunt uſque ad Natale Chriſti Domini, eademque opera breviter referemus res geſtas ab aliis Regibus, qui, temporibus Machabæorum, regnarunt in Syria, uſque ad *Pompejum*, qui miſſus a Romanis in Aſiam, Regnum Syriæ armis ſubegit, occupavit, illudque in formam Provinciæ redactum Romano Imperio ſubjecit. Hiſtoria porro Machabæorum, quos ad defenſionem & liberationem Reipublicæ & Eccleſiæ Judaicæ excitavit Deus Optimus Maximus, incipit a *Mathathia*, Sacerdote, filio *Joannis*, & patre quinque filiorum, videlicet *Joannis*, *Simonis*, *Judæ*, *Eleazari*, & *Jonathæ*, qui *Aſſamonæi*, *ſeu Machabæi* dicti ſunt, & a patris ſui fortitudine, avitaque religione non degenerarunt. Floruit *Mathathias*, regnante in Syria *Ptolomæo IV.* dicto *Epiphane*, ſeu *Illuſtri*, Rege in Judæos iniquiſſimo, quippe qui ab Ægyptiaca Expeditione, quam in Regem Aegypti ſuſceperat, irrito conatu juſſu Senatus & populi Romani reverti coactus, efferato in Judæos animo, in eos vertit arma, Hieroſolymam hoſtiliter adiit, ingentem Civium ex omni ætate & ſexu ſtragem edidit, &, deducente *Menelao*, Judæorum Pſeudo-Pontifice, Templum & Sanctuarium ingreſſus, ſacra Vaſa ſacrilegis manibus contaminavit, comminuit, diripuit, prædamque talentorum mille & octoginta e Templo ſuſtulit, indeque Antiochiam reverſus eſt. Sed poſt biennium miſit impius ille Rex *Apollonium*, Ærario & Tributis Præpoſitum, qui viginti duorum millium armatorum Exercitu ſtipatus Hieroſolymorum urbem proditorie, ſimulata pace, ingreſſus eſt, eamque multis & promiſcuis cædibus vaſtavit. Neque hic ſubſtitit immanis Tyranni furor. Nam, ut ſacram Legem penitus everteret Rex ſceleſtiſſimus, Edictum promulgavit, ut omnes Judæi ad Deorum cultum adigerentur, & relictis Sacrificiis, Circumciſione, Sabbatorum obſervantia, aliiſque Moſaicæ Legis Ritibus, ac traditionibus, Gentilium more viverent. Tum vero, proh pudor ! per univerſam Hieroſolymorum urbem palam in plateis Diis impune litabatur, ſacri libri combuſti, Templum Hieroſolymitanum juſſu nequiſſimi illius Regis prophanatum, & *Jovi Olympio* dicatum ; Templum vero Garizitanum fuit *Jovi Hoſpitali* conſecratum. Sed dum crudeliſſimus ille Tyrannus exquiſitiſſimis tormentorum generibus ſæviret in Judæos, qui Legem Moſaicam obſervarent, emicuit zelus Sanctiſſimi Senis *Eleazari*, qui nec carnes porcinas manducare conſentiens, nec ſimulatione uti volens, glorioſam pro Dei Lege mortem oppetiit anno ætatis ſuæ nonageſimo. *Salomona* pariter heroici animi fœmina, cum ſeptem filiis ſuis Machabæis, ob eamdem cauſam, Martyrii palmam tulit, poſtquam illos ad mortem pro patriis Legibus conſtanter ſubeundam ipſamet impavida, aſpectante Tyranno, fuiſſet adhortata. Hac igitur truculentiſſima *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, graſſante in Judæos perſecutione, quæ cap. 1. lib. 1. Machabæorum deſcribitur, excitavit Deus ad Judæorum Reipublicæ defenſionem & liberationem *Mathathiam*, qui una cum filiis & aliis Judæis in oppidum Modin confugit, ibique a Præfecto Regis *Antiochi Epiphanis* ad Dei Legem ejurandam blanditiis & promiſſis tentatus, tantum abſuit ut ei morem gereret, ut divino zelo accenſus, & egregia conſtantia prophanum Regis Edictum contemnens, Judæum, Idolis ſacrificantem, ſuper ipſam Aram actutum trucidaverit, & regium Præfectum occiderit. Poſtea, *Mathathias* collegit Exercitum Judæorum, queis omnibus deſtinatum erat, religionem & libertatem armis tueri, adverſus prophanum Imperium fortiter dimicare, incurſiones in hoſtes agere, prophanas Aras evertere, & in bello potius occumbere, quam im-

impias cæremonias exercere. Obiit *Mathatias*, Heros religioſiſſimus, poſtquam per annum præfuiſſet Reipublicæ Judæorum, filioſque ſuos propediem moriturus ad Religionem ac Rempublicam ab hoſtibus vindicandam eſſet adhortatus.

D. Quis, poſt mortem *Mathatiæ*, Principatum obtinuit in Republica Judæorum?

M. Moriens *Mathatias* Exercitui, quem paraverat, Ducem ſubſtituit filium ſuum *Judam*, dictum *Machabæum*, qui adverſus Populi Judæi hoſtes frequentibus præliis proſpere pugnavit, & *Antiochi Epiphanis*, Syriæ Regis, fortiſſimos Duces, *Apollonium*, *Seronem*, *Lyſiam*, *Nicanorem*, & *Gorgiam*, qui contra ipſum magnis copiis in conflictum deſcenderant, exigua militum manu delevit, profligavit, victorque Templum Hieroſolymitanum, quod ab eodem Rege *Antiocho* everſum, prophanatumque a Gentibus fœdam ſui præbebat ſpeciem, ab Idolis purgavit, muro circumdedit, militeſque conſtituit, qui excubias agentes perpetuum præſidium armati agitarent. Dein, *Judas Machabæus* aggreſſus Idumæos, Sidonios, Ammonitas, Syros, & Samaritanos, qui conglomerato agmine contra Judæos conſpiraverant, illos cum omni Exercitu delevit, multas illorum urbes occupavit, mœnia & turres diruit, prophanas Aras evertit, Idola ſuccendit, & opimis hoſtium onuſtus ſpoliis in Terram Judæ reverſus eſt. Interea, Rex *Antiochus Epiphanes*, qui Templum *Naneæ* in Perſide opulentiſſimum, multoque auro refertum, diripere conatus, confluente undique ad defenſionem loci multitudine turpiter fugatus fuerat, acerbiſſimum accepit nuntium cladis ſuis Ducibus, & Exercitibus a *Juda Machabæo* illatæ, indeque ſummo mærore confectus, & e curru, in quo vehebatur, nimio impetu agitato, cadens, inſanabili plaga a Deo percuſſus eſt, diro ſcilicet viſcerum dolore, & ſcaturientibus ex ejus corpore vermibus, paucos poſt dies mortuus eſt. Notat quidem Scriptura Sacra lib. 2. Machab. cap. 9. v. 12. Regem *Antiochum*, paulo antequam moreretur, malorum, quibus populum Dei vexaverat, reminiſcentem, exclamaſſe: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*. Sed eadem Scriptura verſ. ſequenti ſubdit: *Sed orabat ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*, quia ex ſolo pœnæ timore, non ex amore juſtitiæ pœnitentia illius Regis proficiſcebatur, quæ ſubinde falſa fuit. Moriens *Antiochus Epiphanes*, Rex Syriæ, Imperium filio ſuo *Antiocho V.* dicto *Eupatori*, reliquit. Regnante in Syria *Antiocho V.* dicto *Eupatore*, ſtrenue admodum ſe geſſit *Judas Machabæus*, quippe qui *Lyſiam Gorgiam*, & *Timotheum*, Exercituum Regis *Antiochi Eupatoris* Duces, Deo pro Judæis pugnante, fudit, Gentes finitimas expugnavit, ipſumque Regem *Antiochum Eupatorem* cum ingenti Exercitu Hieroſolymam venientem, tot cladibus affecit, ut tandem Rex, ſuadente *Lyſia*, ſupremo Regni Adminiſtro & Exercituum Duce, pacem Judæis conceſſerit. Periit tum temporis *Eleazarus*, Judæi Machabæi frater, qui Elephantem, quo Regem *Antiochum Eupatorem* vehi exiſtimabat, interficiens, beſtiæ ſuper ſe cadentis mole oppreſſus eſt, & ob egregiam fortitudinem in Hiſtoria Sacra, & a Sanctis Patribus maxime commendatur. Non diu regnavit *Antiochus V.* Rex Syriæ, dictus *Eupator*. Nam anno ſecundo Regni ſui occiſus eſt a *Demetrio Sotere*, Regis Syriæ, *Seleuci IV.* dicti *Philopatoris*, filio, qui, perempto *Antiocho V. Eupatore*, Regnum Syriæ occupavit. Hoc regnante in Syria *Demetrio Sotere*, Judæi, præeunte Duce *Juda Machabæo*, Legationem ad Senatum Populumque Romanum miſerunt, ut cum illis fœdere, & amicitia jungerentur, ſicque Rex Syriæ *Demetrius Soter* a Judæorum infeſtatione, & a bellis, quæ contra illos per ſuos Duces gerebat, tandem aliquando cohiberetur. Ter autem cum *Juda Machabæo* per ſuos Duces prælium commiſit Rex *Demetrius Soter*. Primum per *Bacchidem*, & *Alcimum*, perfidum Judæum, ſummi Pontificatus apud Judæos obtinendi cupidum, quos Duces *Judas Machabæus*, divino fretus præſidio, vicit ac ſuperavit. Deinde, alterum Exercitum contra *Judam Machabæum* miſit Rex *Demetrius Soter*, eique præfecit *Nicanorem*. Sed collatis ſignis, hoſtilis ille Exercitus a *Juda Machabæo* profligatus eſt, triginta quinque hoſtium millia cæſa ſunt, *Nicanor* ipſe in prælio cccubuit, ejuſque caput ac dexteram amputari, & ad Arcem Hieroſolymitanam ſuſpendi, linguam etiam blaſphemam præcidi, & avibus in eſcam dari præcepit *Judas Machabæus*. Mortem *Nicanoris*, Ducis Exercitus, ægerrime tulit Rex *Demetrius Soter*, & ad eam vindicandam bellum redintegravit, miſitque in Judæam cum novo Exercitu *Bacchidem*, & *Alcimum*, qui, reſumptis viribus, auctiſque copiis contra *Judam Machabæum* conflixerunt, & in ea pugna, proh dolor! *Judas Machabæus*, multarum palmarum Dux, qui tot pericula evaſerat, toties e medio igni & ferro victor redierat, cecidit, magnumque poſt mortem reliquit in Republica Judæorum ſui deſiderium. In demortui *Judæ Machabæi* Principatum, ſummumque Sacerdotium ſucceſſit *Jonathas*, ejus frater, qui, collectis copiarum reliquiis, Rempublicam Judæorum adverſus *Bacchidem*, Exercitus Regis *Demetrii Soteris* Ducem, ſtrenue tutatus eſt. Contigit autem id temporis, ut quidam adoleſcens, Rhodi educatus, nomine *Alexander*, cognomento *Bala*, qui ſe Regis Syriæ *Antiochi IV.* dicti *Epiphanis*, ſeu *Illuſtris* filium, falſo jactabat, Ptolemaidem occuparit, & Exercitum ducens in Syriam, Regem *Demetrium Soterem* occiderit, & Regnum Syriæ obtinuerit. Hic *Alexander Bala*, priuſquam Regem *Demetrium Soterem* interimeret, *Jonatham* in ſuas partes allexerat, & fœdus cum ipſo pepigerat, eique fidem datam adeo conſtanter ſervavit, ut per quinquennium, quo Rex *Alexander Bala*, quamvis infititius, rerum in Syria potitus eſt, res Judæorum fuerint omnino tranquillæ. Cæſo *Alexandro Bala*, Rex Syriæ ſalutatus fuit *Demetrius II.* dictus *Nicanor*, filius Regis *Demetrii* Sote-

*Soteris*. Sed contra illum inſurrexit *Trypho*, unus ex Ducibus Regis *Alexandri Balæ*, & *Antiochum*, ejuſdem *Alexandri Balæ* filium, debellato Rege *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, eoque in Ciliciam fugato, Regem Syriȩ conſtituit, quem paulo poſt occidit, &, ut facilius, extincto illo *Antiocho*, quem Regem conſtituerat, Regnum Syriæ ipſe invaderet, *Jonatham* & duos ejus filios, quos nefariis illius conſiliis obſtituros probe norat, per ſummam perfidiam interfecit. Poſt *Jonathæ* ejuſque filiorum cȩdem, a ſceleſto *Tryphone* perpetratam, *Simon*, frater *Jonathæ*, & ultimus e *Mathatiæ* filiis ſuperſtes, totius Populi Judaici conſenſu, Principatum, ſummumque Sacerdotium conſecutus eſt, & ſtatim, ut *Tryphonem*, Tyrannum, & totius Gentis Judaicæ crudeliſſimum hoſtem, in ordinem redigeret, fœdus inivit cum *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, legitimo Syriæ Rege, qui in Aſia ſuperiori agebat, e Syria, ut mox diximus, pulſus. Hic eſt *Demetrius II.* dictus *Nicanor*, qui, ut oſtendimus ſub finem Colloquii primi in Hiſtoriam hujuſce ſextæ Mundi Ætatis, fuit duodecimus, poſt obitum *Alexandri Magni*, Rex Syriæ, quique anno ſecundo Regni ſui, id eſt, anno Regni Græcorum Seleucidarum centeſimo ſeptuageſimo, plenam Judæis conceſſit libertatem, & a Tributis immunitatem, in cujus rei perenne monumentum Populus Judaicus, nova inſtituta Epocha libertatem Reipublicȩ ſuȩ teſtatus eſt, cœpitque in Actis publicis ſcribere: *Anno primo ſub Simone Sacerdote, magno Duce, & Principe Judæorum*. Porro, *Simon*, Princeps ac Summus Judȩorum Sacerdos anno Regni Grȩcorum centeſimo ſeptuageſimo primo urbem Gazam expugnavit, & Arcem Hieroſolymitanam, quam a contaminationibus mundavit, munivit, & in ea habitavit, ſicut legitur cap. 13. lib. 1. Machabȩorum. Putabat *Demetrius I.* dictus *Nicanor*, Rex Syriæ, ſe facile Tyrannum *Tryphonem* e Regno Syriæ exturbaturum, ſed amiſſo ingenti, quem collegerat, Exercitu, vivus in poteſtatem hoſtis venit, & cuſtodiæ mancipatus eſt. Eo Rege captivo, *Antiochus*, appellatus *Sidetes*, ejus frater, poſtquam *Cleopatram*, uxorem fratris ſui captivi *Demetrii II.* dicti *Nicanoris*, matrimonio ſibi copulaſſet, venit in Syriam, eumque Exercitus Regem Syriæ proclamavit, *Tryphon* vero Tyrannus, qui in Syria regnabat, derelictus eſt ab omnibus fere copiis. Quocirca *Doram*, finitimam Phœniciæ urbem, fuga ſeſe recepit, dein, ad populares ſuos *Apamæam*, ubi interfectus eſt, ſicut teſtantur *Joſephus*, Hebræus, lib. 13. *Antiquitatum Judaicarum* capite duodecimo, & *Appianus* in Syriacis pag. 132. Interea temporis *Antiochus Sidetes*, Rex Syriæ, contra *Phraatem* Parthorum Regem, bellum movit, fratrem ſuum *Demetrium II.* dictum *Nicanorem*, captivum repetens, victorque tribus præliis Babyloniam occupavit, ſed poſtea a ſuis deſertus eſt, & in alio prælio a Parthis occiſus eſt, ejuſque frater *Demetrius II.* dictus *Nicanor*, dimiſſus e captivitate Parthica, in Regnum Syriæ, a quo a Tyranno *Tryphone* extruſus fuerat, reſtitutus eſt. Sacer Auctor libri 1. Machabæorum cap. 16. ſcribit, *Simonem*, Principem, ac ſummum Judæorum Pontificem, a genero ſuo *Ptolomæo* fuiſſe proditorie occiſum anno Regni Græcorum centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, additque *Simonis* filium *Joannem*, qui, ob devictos Hyrcanos, dictus eſt *Hyrcanus*, Pontificatum eodem anno cœpiſſe. Præfuit Reipublicæ Judaicæ *Simon* annis circiter novem, ſicut colligitur ex Hiſtoria Machabæorum, cujus primus liber, qui quadraginta annorum Hiſtoriam complectitur, hoc anno Regni Græcorum, ſeu Seleucidarum, centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo abſolvitur. Reſtitutus in Regnum Syriæ *Demetrius II.* dictus *Nicanor*, ita, propter mores improbos, ſeſe inviſum reddidit Syris, ut ad *Ptolomæum Phyſconem*, Ægypti Regem, Legationem miſerint, rogantes, ut aliquem ex *Seleuci* genere eis daret, quem poſſent ſibi Regem præficere. Annuit quidem ille, ſed compoſita fabula, miſit ad Syros juvenem quemdam Ægyptium, dictum *Alexandrum*, cognomento *Zabinam*, quaſi eſſet Regis *Antiochi Sydetis* filius, qui, devicto ac cæſo *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, vero Syriæ Rege, obtinuit Syriæ Regnum. Sed, mortuo *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, ejus filius, *Seleucus*, injuſſu matris ſuæ *Cleopatræ*, diadema ſumpſit, quo paulo poſt a matre ſua, ambitionis & iræ impotenti fœmina, exutus eſt, ejuſque juſſu ſagitta transfixus occubuit. Alterum filium ſuum Regina *Cleopatra*, ex Rege *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, ſuſceptum, Regem Syriæ conſtituit, videlicet *Antiochum Grypum*, qui prælium cum ſuo Regni æmulo *Alexandro Zabina* commiſit, in quo victus *Alexander Zabina*, Antiochiam profugit, & a latronibus captus, perductuſque ad *Antiochum Grypum*, interfectus eſt. Verum, poſtquam *Antiochus Grypus* per octo annos ſolus & tranquillus Regno Syriæ potitus eſſet, in eum inſurrexit alter Regni æmulus, ſcilicet *Antiochus Cyzicenus*, ejus frater, & filius Regis *Antiochi Sydetis* ex eadem *Cleopatra*. Conferto inter utrumque fratrem prælio, *Antiochus Cyzicenus* victor evaſit, fratremque ſuum *Antiochum Grypum*, Regno expulit. Bellum tamen *Antiocho Cyziceno* intulit *Seleucus*, filius, *Antiochi Grypi*, eumque in prælio vicit, & occidit. Sed non diu *Seleucus*, filius *Antiochi Grypi*, Regnum Syriæ obtinuit. Nam *Antiochus Euſebes*, ipſius patruelis, & filius *Antiochi Cyziceni*, impoſito ſibi diademate bellum ei intulit, eumque uno prælio victum e tota Syria fugavit. At, *Antiocho Euſebe* occiſo in prælio, quod cum *Galadenorum* Regina contra Parthos commiſit, Syriæ Regnum penes duos fratres *Antiochi Grypi* filios, videlicet *Philippum*, & *Demetrium Eucærum*, quem poſtremum *Ptolomæus Lathurus*, Ægypti Rex, jam Regem Damaſci conſtituerat, remanſit. Denique Syri, variorum bellorum & certaminum, quibus Reges Syriæ occaſionem dabant, omnino pertæſi, relictis Seleucidis, *Tigranis*, Armeniæ Regis, Imperio ſe ſubjecerunt, ſicut

initio

initio libri 40. ſcribit *Juſtinus* : Quapropter, ipſe hic cum *Euſebio*, Epiſcopo Cæſarienſi, in Chronico, ſeriem Seleucidarum, Syriæ Regum, claudam. Velim tamen advertas, Syriæ Regnum perſtitiſſe uſque ad *Pompejum*, qui anno urbis Romæ conditæ ſexcenteſimo nonageſimo, & ante Chriſtum anno ſexageſimo quarto, miſſus a Populo Romano in Aſiam, Ituræos, Arabeſque perdomuit, & poſtea deſcendens in Syriam, eam, juſto Rege vacantem, in formam Provinciæ redegit, poſſeſſionemque fecit Populi Romani, ut videre eſt apud *Strabonem* lib. 16. pag. 755. Nunc vero, ſi Tabulam Chronologicam, quam in primo Colloquio in Hiſtoriam hujuſce ſextæ Mundi Ætatis exhibui, duodecim priorum Regum Seleucidarum, qui, poſt obitum *Alexandri Magni*, in Syria regnarunt, præ oculis habeas, eidemque Tabulæ Chronologicæ, quæ incipit a *Seleuco Nicanore*, qui poſt mortem *Alexandri Magni* fuit primus Syriæ Rex, quæque producitur uſque ad *Demetrium II.* dictum *Nicanorem*, qui fuit, poſt obitum *Alexandri Magni*, duodecimus e Seleucidarum genere Rex Syriæ; ſi, inquam, huic Tabulæ Chronologicæ duodecim priorum Syriæ Regum adjicias alios Reges e genere Seleucidarum, quos mox percenſui, quique, poſt *Demetrium II.* dictum *Nicanorem*, duodecimum ab obitu *Alexandri Magni* Regem Syriæ, Regnum Syriæ occuparunt, accuratam ſeriem habebis Regum e genere Seleucidarum, qui ab obitu *Alexandri Magni* regnarunt in Syria, donec Syri dominii illorum pertæſi ob varia, quæ frequenter excitabant, bella, eis parere detrectarunt, ſeque *Tigranis* Armeniæ Regis Imperio ſubdiderunt.

D. Memoria jam teneo ſeriem Regum Seleucidarum, qui, poſt obitum *Alexandri Magni*, regnarunt in Syria. Proſequere nunc, quæſo, Hiſtoriam Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, qui ſub Regibus Syriæ, ad tutandam Judæorum Reipublicæ libertatem ac Religionem, res præclaras geſſerunt.

M. Mortuo, ut antea diximus, *Simone*, qui *Judæ Machabæi*, & *Jonathæ* frater erat, ſimulque Princeps ac Summus Judæorum Sacerdos, in ejus locum, ad regendam Judaicam Rempublicam, ſuffectus eſt ipſius filius, dictus *Joannes Hircanus*, hujus nominis primus, qui, ducto in Syriam Exercitu, aliquas Urbes occupavit, & præcipue Urbem *Garizim*, ubi, ſicut alibi diximus, Templum erat, inſtar Hieroſolymitani, a *Sanaballete* in gratiam *Manaſſis* ipſius generi, *Alexandro Magno* permittente, extructum. Hoc Templum, quod jam ducentis ab hinc annis fuerat excitatum, penitus evertit *Joannes Hyrcanus*, Princeps ac Summus Judæorum Sacerdos. Deinde, Idumæos debellavit, eoſque ad Circumciſionem recipiendam, & ad Moſaicæ Legis obſervantiam compulit, ut pote poſteros *Abrahami*, ab *Eſau* progenitos. Denique, *Joannes Hyrcanus* Romam Legatos miſit, ut fœdus cum Populo Romano renovaret, obtinuitque, ut Actis *Antiochi Sidetis*, Regis Syriæ, jam mortui, reſciſſis, omnia, quæ Judæis ab illo Rege fuerant ablata, in integrum reſtituerentur, omniaque Tributa, & onera, quæ impoſuerat, tanquam inconſulto Romanorum Senatu Sociis indicta, Senatuſconſulto tollerentur, ſicut teſtatur *Joſephus* libri decimi tertii *Antiquit. Jud.* capite decimo ſeptimo. Hunc *Joannem*, filium *Simonis*, ideo fuiſſe appellatum *Hyrcanum*, quod adverſum Hyrcanos, gentem validiſſimam, egregie pugnaſſet, ſuperius obſervavimus, idque contra *Druſium*, qui hoc in dubium revocat, confirmare poſſumus teſtimonio *Joſephi*, Hebræi, qui lib. 13. *Antiq. Jud.* cap. 16. ait, hunc *Joannem*, filium *Simonis*, ſecutum fuiſſe cum auxiliaribus copiis *Antiochum Sidetem*, Syriæ Regem, quando ille Rex Expeditionem ſuſcepit in Parthos, in quorum Exercitu erant Hyrcani: *Antiochus* (inquit *Joſephus*) *erecto trophæo ad Lychum fluvium, ubi Indantem, Parthorum Ducem profligaverat, hæſit ibi per biduum ad preces Hyrcani Judæi, quod in id tempus forte quædam Judæorum feſtivitas incurrerat, per quam non licebat eis iter facere.* Obiit *Joannes Hyrcanus* anno Principatus ſui trigeſimo, non vero (ut recte obſervat *Uſſerius* in Annalibus veteris Teſtamenti) anno trigeſimo tertio, ſicut perperam legitur in antiqua operum *Joſephi*, Hebræi, verſione, quam adornavit *Rufinus*, vel anno trigeſimo primo, ſicut nunc in editis ejuſdem *Joſephi* libris legitur. Mortuo *Joanne Hyrcano*, filius ejus natu maximus *Judas*, alio nomine *Ariſtobulus* dictus, Principatum ſimul & Pontificatum obtinuit. Sed nec Principis, nec Summi Pontificis appellatione contentus, Regium nomen & inſignia ſumpſit, primuſque, poſt reditum e captivitate Babylonica, diademate ſibi impoſito, Principatum apud Judæos in formam Regni tranſtulit, ſicut fidem facit *Joſephus* lib. 1. *De Bello Judaico* capite tertio, & lib. 13. *Antiquit. Judaic.* cap. 19. & lib. 20. cap. 8. Fuit quidem hic *Ariſtobulus* vir bellicoſus, quippe qui, illato *Itureæ* bello, Gentem illam Iſmaelitici generis debellavit, & ad Circumciſionem, & ad Legis Moſaicæ obſervantiam coegit; ſed in ſuos crudelis admodum fuit. Nam primo, Matrem ſuam, Principatus æmulam, quam ſcilicet *Hyrcanus* pater rerum Dominam conſtituerat, in carcerem conjecit, eoque crudelitatis progreſſus eſt, ut eam fame necarit. Præterea, fratrem ſuum *Antigonum*, quem ſibi in Regni Socium adſciverat, per ſicarios occidi juſſit; tres vero reliquos fratres ſuos in vinculis tenuit. Non diu tamen belluinam illam crudelitatem impune tulit. Anno ſiquidem dumtaxat uno Regni ſui elapſo, exhauſtus continuo ſanguinis vomitu, & diris conſcientiæ ſtimulis noctes dieſque miſere exagitatus ac dilaniatus, migravit e vita, ut refert *Joſephus* lib. 1. *De Bello Jud.* cap. 3. & lib. 13. *Antiq. Jud.* cap. 19. Poſt obitum *Ariſtobuli*, Regina *Salome*, ejus uxor, quam Græci *Alexandram* nuncupant, e carcere ſolvit mariti fratres, quos ipſe, dum viveret, in vinculis habuerat, eorumque natu maximum, *Alexandrum Jannæum*, Regem ac Pontificem conſtituit. At ille ſemel Regno ſummaque rerum potitus, in Principa-

cipatus exordio alterum fratrem, ſibi inſidiantem peremit; Alterum, contentum privata & otioſa vita, in honore habuit, ut aſſerit *Joſephus* lib. 13. *Antiq. Jud.* cap. 20. Bellum geſſit *Alexander Jannæus* cum *Ptolomæo Lathuro*, Ægypti Rege, qui ira percitus, quod *Alexander Jannæus* fœdus, quod cum ipſo percuſſerat, violaſſet, & *Cleopatram*, Reginam Ægypti, quam filio ſuo eidem Regi *Ptolomæo Lathuro* infenſam noverat, clam ad bellum concitaſſet, in Judæam, hac fraude retecta, cum Exercitu venit, collatiſque cum *Alexandro Jannæo* ſignis, magnam ei intulit cladem, triginta Judæorum millia in prælio cæcidit, Judæam devaſtavit, &, ut omnia terrore impleret, juſſit promiſcua cæde pueros jugulari, in fruſta concidi, ac in ollis coqui, quaſi ejus milites carnibus humanis veſcerentur. Poſt barbaram illam Expeditionem, Cyprum reverſo *Ptolomæo Lathuro*, Ægypti Rege, animum non deſpondit *Alexander Jannæus*, ſed immanitate illius Regis Ægypti audacior factus, Urbem *Gazam* oppugnavit, cepit, in prædam dedit, omneſque cives trucidavit. Deinde, vicit Arabes, Moabitas, & Galaaditas, eiſque tributa impoſuit. Reverſus Hieroſolymam *Alexander Jannæus*, odium ſibi conflavit Judæorum, eorumque variis factionibus fuit exagitatus, quos viciſſim crudeliter ultus eſt. Nam civili bello per ſex annos a Judæis vexatus, quinquaginta illorum millia interfecit. Quod facinus ita Judæorum odia accendit, ut ab *Alexandro Jannæo* penitus alieni, in auxilium advocarint *Demetrium Eucærum*, Syriæ Regem, qui, conferto prælio, *Alexandrum Jannæum* ad fugam in montes capeſſendam compulit, eumque omni procul dubio in ordinem redegiſſet, niſi Judæi, miſeram Regis ſui *Alexandri Jannæi* fortunam dolentes, ei opem tuliſſent, quorum ſubinde metu *Demetrius Eucærus*, deſperato belli eventu, terga vertit, ſicque ejus auxiliaribus copiis deſtitutus perduellium Judæorum Exercitus, ab *Alexandro Jannæo* debellatus eſt. Denique, *Alexander Jannæus*, poſtquam per annos viginti ſeptem cum ſumma fortunæ viciſſitudine regnaſſet, abiit e vivis. Regni adminiſtrationem moriturus reliquit uxori ſuæ *Alexandræ*, eique unum e filiis, quem vellet eligendi in Pontificem, arbitrium permiſit; ipſa vero filium ſuum *Hyrcanum* majorem natu, otio deditum, Pontificem declaravit, *Ariſtobolum*, alterum filium, ferventiori præditum ingenio, & rerum novarum cupidum, a Regni adminiſtratione ſemovit, & privatum agere voluit. Regnavit *Alexandra* pacifice per novem annos, eo potiſſimum nomine apud populum gratioſa, quod Phariſæos, quibus vulgus fidem maxime habebat, ſibi arctiſſime conciliaſſet. Sed hujus Reginæ gratia & auctoritate abuſi Phariſæi, in illos qui, regnante *Alexandro Jannæo*, eis moleſti fuerant, crudeliter ſævierunt, & plures e medio ſuſtulerunt.

D. Mortua Regina *Alexandra*, obtinuitne tandem Regnum *Hyrcanus*, ejus filius, qui toto eo tempore, quo in Judæa regnavit *Alexandra*, mater, Pontificatum dumtaxat geſſit?

M. Poſt Reginæ *Alexandræ* obitum, ejus filius *Hyrcanus*, hujus nominis II. Rex quidem Judæorum fuit ſalutatus, ſed *Ariſtobulus*, ejus frater, qui, ut mox diximus, ad res novandas propenſiſſimus erat, bellum ei intulit acerrimum, quod eleganter *Severus Sulpicius* libr. 2. *Hiſtoriæ Sacræ* deſcribit his verbis: *Poſt hujus* (ſeu Reginæ *Alexandræ*, matris) *obitum, fœda inter fratres* (nempe *Hyrcanum II.* & *Ariſtobulum*, *filios Reginæ Alexandræ*) *de Regno certamina orta. Ac primum Hyrcanus Imperium obtinebat, mox ab Ariſtobulo, fratre, pulſus, confugit ad Pompejum, qui tum Mithridatico bello confecto, pacataque Armenia & Ponto, victor omnium gentium, quas adierat, ultrorſum pergere, & vicina quæque Romano Imperio adjungere cupiens, cauſas belli & materiam vincendi quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit, ductuque ejus Judæos aggreditur; Urbe capta atque Arce, Templo pepercit. Ariſtobulum vinctum Romam mittit, Hyrcano jus Pontificatus reſtituit, impoſitoque Judæis ſtipendio, Procuratorem eis Antipatrum quemdam Aſcaloniten præpoſuit.* Hic *Antipater*, cujus hic meminit *Sulpicius Severus*, quemque genere *Aſcaloniten* fuiſſe ait, pater eſt *Herodis* qui poſtea fuit Judæorum Rex, &, quo regnante in Judæa, natus Chriſtus Dominus *Antipatrum* tamen non genere Aſcalonitam fuiſſe, ſed Idumæum, probabilius aſſerunt bene multi Sancti Patres. *Hyrcanum* itaque hujus nominis II. Regem Judæorum denuo a *Pompejo* conſtitutum tentarunt quidem e ſolio deturbare *Ariſtobulus*, ejus frater, Judæorum Regno privatus, & filii ejuſdem *Ariſtobuli*, ſcilicet *Alexander*, & *Antigonus*. Sed *Ariſtobulus* veneno extinctus eſt, *Alexandrum*, ejus filium, quod arma contra Romanos non ſemel cepiſſet, *Scipio*, juſſu Pompeji, Antiochiæ ſecuri percuti curavit, denique *Antigonus*, alter *Ariſtobuli*, Judæorum Regno privati, filius, ad *Cæſarem*, tunc in Syria degentem, venit, queſtuſque eſt de infortunio patris ſui *Ariſtobuli*, & *Hyrcanum*, patruum ſuum, atque *Antipatrum* accuſavit, quod per vim Regnum Judaicæ gentis gererent, nec ab ejus injuriis abſtinerent. Verum, nihil apud *Cæſarem* ſuis queſtibus promovere potuit *Antigonus*. Audita quippe Oratione, quam *Antipater* ad diluenda ſibi ab *Antigono* impacta crimina habuit, confeſtim *Cæſar* declaravit *Hyrcanum* Summum Judæorum Pontificem, & *Antipatro* Dynaſtiam, quamcumque ipſe optaret, obtulit, eumque Procuratorem Judææ conſtituit, ſicut prodit *Joſephus*, Hebræus, libro primo, *De Bello Judaico* cap. 8. & lib. 14. *Antiquit. Judaic.* cap. 15. Tum *Antipater* unum e liberis ſuis, natum videlicet maximum, dictum *Phaſaelum*, Hieroſolymis & circumjacenti Regioni Ducem conſtituit, & *Herodi*, filio ſuo ſecundo genito, viginti quinque annos nato (qui poſtea fuit Rex Judæorum, eoque Regnante in Judæa, natus eſt Chriſtus, Servator noſter)

Galilæam curandam commendavit, ſicut legere eſt apud *Joſephum* lib. 1. *De Bello Judaico* cap. 8. & lib. 14. *Antiq. Jud.* cap. 16. & 17.

D. Pervenimus tandem ad *Herodem*, Antipatris filium, quo in Judæa regnante, natus eſt Chriſtus Dominus. De hoc autem *Herode* in primis ſcire velim, quo pacto Judææ Regnum obtinuerit?

M. Seriem rerum, quas ad obtinendum Judææ Regnum geſſit *Herodes*, breviter hic deſcribam. Regnante in Judæa, ſicut mox diximus, *Hyrcano II.* omnem Regiam auctoritatem ad ſe traxit *Herodes*, cui pater ipſius *Antipater* Galilæam administrandi curam demandaverat. Id *Antigonus*, Hyrcani II. nepos, & cujus pater *Ariſtobulus* Regno Judææ privatus fuerat, ægerrime tulit, atque, ut paternum Regnum recuperaret, *Pacorum*, Parthorum Regem, multis promiſſis allexit. *Pacorus*, Rex, ſciens, *Hyrcanum II.* Judææ Regem, ſtare a partibus Romanorum, actutum ſuppetias *Antigono* tulit, & in Judæam cum duplici Exercitu venit. *Antigonus* vero cum copiis, quas privata pecunia collegerat, Hieroſolymam itidem perrexit, atque a civibus, quibus exoſum erat regimen *Herodis*, intra urbem facile admiſſus eſt, Regiam tamen occupare haud potuit, quod & ſitu munita, & valido inſtructa Exercitu ab *Herode* teneretur. At poſtquam *Pacorus*, Parthorum Rex, *Hyrcanum II.* Judææ Regem, ſubdole in colloquium vocatum, in vincula conjeciſſet, *Antigonus* Judæis Rex impoſitus eſt, & *Herodes*, qui in Regia remanſerat, accepto nuncio de captivitate Regis *Hyrcani*, relictis protinus Hieroſolymis, ſuos ſecum milites cum tota familia ducens, primum *Maſſadam*, munitiſſimum Oppidum, ſeſe recepit, mox magnis itineribus in Arabiam ſeceſſit, dein in Ægyptum iter intendens, venit Peluſium; poſtea Alexandriam, ubi Regina *Cleopatra* vicem ejus dolens, voluit illum Alexandriæ detinere. Sed *Herodes*, diuturnæ moræ impatiens, Romam properavit, quo ſtatim ac appuliſſet, narravit *M. Antonio*, quomodo *Antigonus* Palæſtinam invaſiſſet, & a *Pacoro*, Parthorum Rege, fuiſſet Judææ Regno donatus: *Hyrcanus* vero, legitimus Judææ Rex, e ſolio deturbatus eſſet, & in vincula conjectus: Quomodo etiam ipſe variis jactatus procellis Romam veniſſet, ut ejus pro afflicta atque ab hoſte obſeſſa familia patrocinium imploraret, atque poſt tot adverſos fortunæ caſus, meliora fata ſperare poſſet. *M. Antonius* miſeratione mutatæ fortunæ *Herodis* permotus, re cum Collega, Triumviro, ideſt, *Cæſare Octaviano Auguſto*, communicata, communi conſilio declaraverunt ambo, *Herodem* inſtituere Judææ Regem. Itaque, convocato Senatu, Regnum Palæſtinæ, ſeu Judææ, *Herodi* delatum eſt anno quinto Imperii *Cæſaris Octaviani Auguſti*, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo decimo quarto, & anno periodi Julianæ quater milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, a quo anno putari debent anni Regni *Herodis*, quemadmodum illos computarunt *Joſephus*, Hebræus, qui *Herodis* temporibus valde proximus fuit, *Philo*, etiam Judæus, qui *Herodis* temporibus fuit proximior, & *Nicolaus Damaſcenus*, qui *Herodi* coævus, ac familiariſſimus fuit, eidemque ſuperſtes. Regia dignitate auctus *Herodes*, Roma in Judæam reverſus eſt, & poſtquam cum *Antigono* bellum toto triennio geſſiſſet, tandem una cum *Soſio* Hieroſolymorum Urbem Kalendis Januarii, ſicut videtur *Uſſerio*, vel, ut putat *Bucherius* ſub finem menſis Junii anni Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimi decimi ſeptimi, & Periodi Julianæ quater milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi, *M. Agrippa*, & *Caninio Gallo* Conſulibus, expugnavit, hoc eſt, tribus annis, poſtquam ipſemet *Herodes* fuit a Senatu Romano Rex Judææ declaratus. Capta ab *Herode* Hieroſolymorum Urbe, *Antigonus* Romam ad *M. Antonium*, unum Triumvirum Collegam vinctus ductus eſt, quem *Herodis* ambitioni mactavit, & Antiochiæ ſecuri percuti juſſit. Fuit iſte *Antigonus* ex ſtirpe Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, apud Judæos ultimus Princeps, & in ipſo deſiit Machabæorum Principatus, qui, teſte *Joſepho*, Hebræo, duravit centum viginti ſex annis. Ab hac Hieroſolymorum Urbis expugnatione, & ab obitu *Antigoni*, ultimi Aſſamonæorum Principis, numerat etiam *Joſephus* annos Regni *Herodis* lib. 1. *De bello Judaico* cap. ultimo, ubi ait, *Herodem in Judæa annos quatuor ac triginta ab interfecto Antigono Regno potitum eſſe*. Duplex itaque diſtingui debet Epocha Regni *Herodis*. Prima cœpit anno Urbis conditæ ſeptingenteſimo decimo quarto, anno quinto Imperii *Octaviani Auguſti* Conſulibus *CN. Domitio Calvino*, & *C. Aſinio Pollione*, in Autumno, ſeu menſe Octobri, ſicut multis momentis evincit doctiſſimus Cardinalis *Noriſius* in *Cenotaphiis Piſanis* Diſſertatione ſecunda. Juxta hanc primam Regni *Herodis* Epocham, regnavit *Herodes* in Judæa triginta ſeptem annis, ut teſtatur *Joſephus*, Hebræus, lib. 1. *De bello Jud.* cap. ultimo, ubi ait, *Herodem regnaſſe in Judæa annos triginta ſeptem, poſtquam a Romanis Rex Judææ deſignatus eſt*. Altera Regni *Herodis* Epocha ducit exordium ab anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, hoc eſt, ab obitu *Antigoni*, ultimi Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum Principis, qui occiſus eſt triennio poſtquam *Herodes* fuiſſet a Romanis Rex Judææ declaratus, & juxta hanc ſecundam Regni *Herodis* Epocham, regnavit *Herodes* in Judæa triginta quatuor annis: *Regnavit Herodes in Judæa*, inquit *Joſephus*, loco mox a me laudato, *annos triginta quatuor ab interfecto Antigono*. Advertere tamen debes, *Herodem*, Judææ Regem, ubi primum intellexiſſet, *M. Antonium*, Patronum ac Mœcenatem ſuum, qui ſpreta *Octavia*, Sorore Imperatoris *Octaviani Auguſti*, quam, pace apud Brunduſium facta, uxorem duxerat, & deinde cum *Cleopatra*, Regina Ægypti, matrimonium inierat, profligatum fuiſſe ab eodem Imperatore *Octaviano Auguſto* in pugna Actiaca, quæ data eſt anno Imperii ejuſdem *Auguſti* decimo quarto, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, advertere, inquam,

quam, debes, *Herodem*, Judææ Regem, poſt illam pugnam Actiacam veniſſe ad Victorem Imperatorem *Octavianum Auguſtum*, tum temporis Rhodi degentem, & ab eo in Regno Judææ fuiſſe confirmatum. *Herodes* (inquit *Joſephus* cap. 10. lib. 15. *Antiq. Judaicarum*) *properavit Rhodum, ut illic Cæſari occurrat. Quo poſtquam appulit, poſito tantum diademate, de cætero apparatu Regio nihil mutavit, admiſſuſque ad colloquium, tum maxime oſtendit animi ſui magnitudinem, neque ad ſupplicationes* (*ut in tali forma mos eſt*) *verſus, neque preces adhibens, quaſi rogandi veniam, ſed facti ſui* (quod videlicet partes *M. Antonii* tuitus eſſet) *intrepide reddens*. Pertendit Eminentiſſimus Annalium parens Cardinalis *Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos*, *Herodem*, poſt obtentam ab Imperatore *Octaviano Auguſto* confirmationem Regni ſui in Judæa, numeraſſe annos Regni ſui, ab inſigni illa victoria, quam Imperator *Auguſtus* anno decimo quarto Imperii ſui, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, de *M. Antonio* in pugna Actiaca reportavit, multaſque ibidem doctiſſimus ille Cardinalis adducit conjecturas ad fidem elevandam *Joſephi*, Hebræi, qui annos triginta ſeptem Regni *Herodis* in Judæa numerat ab anno quinto Imperii *Octaviani Auguſti*. Sed, has Eminentiſſimi illius Annalium parentis conjecturas nec ſolidas eſſe, nec ullo probatæ fidei Scriptoris teſtimonio fultas, ſat copioſe oſtendi in Tractatu *De Myſteriis & annis Chriſti*, Diſſertatione ſexta *De anno Natalis proprii Chriſti*, ubi pluribus momentis probavi, nullam rationem proferri poſſe, cur *Herodes* annos Regni ſui numerarit ab illo anno, quo Imperator *Auguſtus* in pugna Actiaca *M. Antonium* expugnavit, ſubindeque ſtandum eſſe teſtimonio *Joſephi*, Hebræi, qui, poſt clariſſimos Scriptores *Nicolaum Damaſcenum*, intimum Regis *Herodis* Conſiliarium, & *Philonem*, Judæum, annos Regni *Herodis* numeravit ab anno quinto Imperii *Auguſti*. *Joſephum*, Hebræum, in hac Epocha Regni *Herodis* ſequuntur omnes periti hujus ætatis Chronologi *Antonius Pagius*, *Tilemontius*, *Natalis Alexander*, *Bernardus Lamy*, *Cardinalis Noriſius*, & alii. Fateor tamen, *Joannem Harduinum* tam in ſua *Chronologia Veteris Teſtamenti*, quam in Proluſione *De Nummis Herodiadum*, fidem omnem *Joſepho*, Hebræo, in deſcribenda Hiſtoria Herodiana abrogare pro viribus tentaſſe. Sed hic nuperrimus Scriptor, *Joannes Harduinus*, qui non ſolum Hiſtorici *Joſephi*, Hebræi, fidem, ſed & Sanctorum Patrum, & Hiſtoricorum auctoritatem abolere, atque nobiliſſima cum ſacræ, tum prophanæ Antiquitatis monumenta aut negare, aut in dubium revocare auſus eſt, male audit apud omnes viros eruditos, quorum plerique innumera & a ſæculis hactenus inaudita illius paradoxa, præclaris editis lucubrationibus, egregie confutarunt, indeque tandem compulſus eſt *Harduinus* palinodiam canere in publica Declaratione, quam dedit die vigeſima ſeptima menſis Decembris anni milleſimi, ſeptingenteſimi ſeptimi quæque inſerta eſt Tomo XVIII. *Bibliothecæ Selectæ Joannis Clerici* a pag. 252. uſque ad pag. 257.

D. Calculo *Joſephi* Hebræi, in præfigenda utraque Regni *Herodis* Epocha, lubentiſſime ſubſcribo. Sed quodnam jus ad Regnum Judææ haberet *Herodes*? nunc a te ſcire percupio.

M. Nullum omnino jus ad Regnum Judææ habebat *Herodes*, quia eum non fuiſſe genere Judæum, ſed alienigenam, multis, iiſque invictis momentis demonſtrari poteſt. Primo, quia mater *Herodis*, dicta *Cypros*, oriunda erat ex Arabia, ut fatentur omnes Hiſtorici, eratque Ethnicorum Religioni addicta. Præterea, *Joſephus* paſſim lib. 14. *Antiquit. Jud.* & lib. primo, *De Bello Judaico* cap. 5. diſerte aſſerit, *Herodem* non fuiſſe genere Judæum, ſed Idumæum. Tertio, omnes ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici *Herodem* fuiſſe *allophylum*, ſeu alienigenam, & extraneum a Gente Judaica, ſummo conſenſu pronuntiant, quamvis quidam illum Aſcalonitam fuiſſe, quidam vero Idumæum affirment. Quarto, *Herodes* nec poſtulato, nec expectato Judæorum conſenſu, ſed ſolum favore *M. Antonii*, & *Octaviani Auguſti*, atque ope Romanorum adjutus, Judææ Regnum anno quinto Imperatoris *Auguſti* obtinuit. Quinto, ea, quæ geſſit *Herodes*, poſtquam a Senatu Romano fuiſſet Rex Judææ declaratus, manifeſto probant, illum non fuiſſe genere Judæum. Nam (teſte *Joſepho* libr. 15. *De Antiquit. Jud.* cap. 11.) Inſtituta Judæorum peregrinis ritibus violavit, Athletica inſtituit certamina, quinto quoque anno, in honorem Imperatoris *Octaviani Auguſti*. Theatrum etiam in urbe, & Amphitheatrum in campo extruxit; urbem Samariam, dictam *Sebaſten*, Imperatoris *Auguſti* honori dicatam voluit; Sacerdotio aut abdicavit, aut ad illud, quos voluit, promovit; *Davidis*, Regis, ſepulchrum recluſit; eos omnes interemit, quos ſciebat ex ſtirpe regia eſſe oriundos, &, ne familiæ ſuæ Herodianæ, quæ nec ex *Davidis*, Regis, proſapia, nec ex judaico genere prodierat, aditus ad Regnum Judææ præcluderetur, juſſit omnes libros, qui de Regum Judææ genealogiis erant conſcripti, ſedulo conquiri & comburi, hoc pacto *exiſtimans* (inquit Euſebius, libro primo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capit. 6.) *ſe nobilem videri poſſe, ſi novitius eſſe & advena Iſraelitici generis nullis conſcriptionum Faſtis urgeretur*. Poſtremo, *Herodem*, non ex genere judaico ortum eſſe, ſed alienigenam, extraneum, & peregrinum fuiſſe, ſubindeque nullum plane jus ad Regnum Judææ ſibi aſſerere ac vindicare potuiſſe, probat non ſolum conſtans illa reſiſtentia Judæorum, quorum bene multi adduci nunquam potuerunt, ut in fidem *Herodis* jurarent, plurimi etiam tormentis & minis ad juramentum illud præſtandum fuerint compulſi; verum etiam illud odium, quo Rex *Herodes* ſemper Judæos proſecutus eſt, ita ut etiam in illos ultra funus ſuum ſævire voluerit, dum *Salomæ*, ſorori ſuæ, & *Alexæ*, marito ejuſdem *Salomæ*, ſe-

 rale

rale propediem moriturus mandatum dedit occidendi, poſtquam obiiſſet, omnes nobiles Judæos, quos in hunc finem crudeliſſimus ille poſt homines natos Rex in Circo concludi juſſerat. Si plura de Regis *Herodis* genere ſcire deſideres, legeſis Opuſculum, quod *Serarius* edidit *De Herode*. Lege etiam eruditum librum, quem gallice ſcripſit *Cl. Ferrandus*, in ſupremo Senatu Pariſienſi Cauſidicus, cuique titulus eſt: *Reflexions ſur la Religion Chretienne*, ſed præſertim ejuſdem libri tom. primum, qui complectitur doctiſſimam explanationem prophetiæ *Jacobi*: *Non auferetur ſceptrum de Juda &c.* & Prophetiæ *Danielis* de ſeptuaginta hebdomadibus, quibus circumſcribitur tempus de adventu & morte Meſſiæ. Hic autem duo dumtaxat velim breviter obſerves, primo, Regem *Herodem*, licet genus ſuum, ſeu originem non traxerit ex Judæis, ſed fuerit alienigena, ſicut mox oſtendimus, Religionis tamen profeſſione Judæum fuiſſe; erat quippe Rex *Herodes* genere Idumæus. Porro, Idumæi (quamvis in Scriptura Sacra appellentur *alienigenæ* reſpectu Judæorum: *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti ſunt*) ab eo tamen tempore, quo ab *Hyrcano* huius nominis Primo Summo Judæorum Pontifice ac Rege, debellati ac expugnati fuerunt, ad circumciſionem, & ad obſervantiam Legis Moſaicæ fuerunt obſtricti. Cum igitur Rex *Herodes*, genere Idumæus eſſet, vere quidem reſpectu Judæorum erat alienigena, more tamen judaico vivebat, id eſt, Ritus Moſaicæ Legis obſervabat, ſicut colligitur ex celebri illo Dicto Imperatoris *Octaviani Auguſti*, qui (ſicut refert *Macrobius* lib. ſecundo. *Saturn.* cap. 4.) poſtquam audiviſſet, Regem *Herodem* filio ſuo *Antipatro* necem intuliſſe, ait: *Melius eſt porcum Herodis eſſe, quam filium*. Eo namque Dicto alludere voluit Imperator *Auguſtus* ad Legem Moſaicam, quam obſervabat Rex *Herodes*, & ab eſu porcorum, aliorumque id genus animalium, quæ ab ea Lege prohibita erant, abſtinebat. Præterea, velim obſerves, regnante in Judæa *Herode*, cui, ut pote alienigenæ, nullum jus ad Regnum Judææ aſſertum erat, impletum fuiſſe illud Oraculum Patriarchæ *Jacobi* c. 49. lib. Geneſis: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*. Regnante ſiquidem in Judæa *Herode*, natus eſt Jeſus Chriſtus, Dominus ac Servator noſter, ſicut late probavi in Diſſertatione ſexta, & in Paragrapho primo Diſſertationis ſeptimæ, Tractatus, quem edidi, *De Vita, Miſteriis, & annis Jeſu Chriſti*. Certe, Judæi, velint nolint, inficiari haud poſſunt, regiam poteſtatem e tota Gente Judaica, regnante ſemel in Judæa *Herode*, fuiſſe ad peregrinum, ſeu alienigenam, omnino translatam, ſeque deinceps eam, nullo pacto recuperare potuiſſe, ſed potius poſt cladem Hieroſolymitanam, factam ab Imperatoribus Romanis, *Veſpaſiano*, & *Tito*, fuiſſe quoquo verſum miſere diſſipatos, alienis parere coactos Legibus, nihil eorum prorſus habentes, quibus conſtat regia poteſtas, puta monetam cudendi, Leges ferendi, Arces conſtruendi, belli denunciandi ac gerendi: id, inquam, inficias ire non poſſunt Judæi, quia tota Gens Judaica tempore Paſſionis, ſeu mortis Chriſti Domini palam exclamavit: *Non habemus alium Regem, niſi Cæſarem*, id eſt, Romanorum Imperatorem; cumque *Pilatus* Judæis, Chriſtum magnis clamoribus ad mortem poſtulantibus, dixiſſet: *Accipite eum vos & ſecundum Legem veſtram judicate eum*, incunctanter reſponderunt Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam*. Addo etiam, fateri ultro ipſoſmet Judæos in Talmude, Tractatu *Sanhedrin* cap. 5. quadraginta annis ante everſionem, ſeu devaſtationem Templi Hieroſolymitani, *judicium animarum*, ut loquuntur, ſeu poteſtatem judicandi in cauſis criminalibus Synedrio fuiſſe ablatam. Porro Templum Hieroſolymitanum a Romanis everſum eſt anno Aeræ Chriſtianæ ſeptuageſimo. Unde manifeſtum eſt, Judæos, ſemel nato Jeſu Chriſto, vero Meſſia, ſuprema poteſtate judicandi fuiſſe penitus exutos, nec aliam, ſi quam eis Romani permiſerunt, niſi umbratilem & precariam exercere potuiſſe.

D. Jam ſciebam, Jeſum Chriſtum, regnante in Judæa *Herode*, natum eſſe, cum expreſſe dicat Evangeliſta *Matthæus* cap. 2. *natum eſſe Jeſum in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis*. At, quoto anno Regni *Herodis* natus ſit Chriſtus Dominus? necdum ſatis compertum ac exploratum habeo.

M. Duplex Jeſu Chriſti Natale a Chronologis diſtingui ſolet, videlicet Natale Chriſti, quod dicitur *Vulgare*, *Commune*, ac *Dionyſianum*; & aliud Natale Chriſti, quod appellatur *Verum* ac *Proprium*. Natale *Vulgare* Chriſti, dictum etiam *Dionyſianum* a *Dionyſio*, Abbate cognomento *Exiguo*, natione Scytha qui circa initium ſexti ſæculi floruit, & auctor eſt Aeræ Vulgaris, ſeu Chriſtianæ, præfigitur ad diem vigeſimam quintam menſis Decembris anni quadrageſimi quarti Imperii *Octaviani Auguſti*, qui annus concurrit cum anno a creatione Mundi 4138. a condita Roma anno 753. Periodi Julianę anno 4713. & anno quarto Olympiadis 194. Conſulibus *Coſſo Cornelio Lentulo* & *L. Calpurnio Piſone*. Natale autem Chriſti, quod dicitur *verum* & *proprium*, illud eſt, quod revera contigit, dum adhuc *Herodes* regnaret in Judęa, quandoquidem jam a te laudatus Evangeliſta *Matthæus*, conceptis verbis dicat, *natum eſſe Jeſum in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis*. Hinc concors eſt omnium Chronologię peritorum ſententia, erraſſe Abbatem *Dionyſium* cognomento *Exiguum*, auctorem Aerę Vulgaris, ſeu Chriſtianę, dum ſibi perſuaſit, Chriſtum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi quarti Imperii *Auguſti*, cum certum ſit, *Herodem*, Regem, jam e vivis exceſſiſſe anno quadrageſimo quarto Imperii *Octaviani Auguſti*. Conſtat autem, Chriſtum Dominum natum eſſe, regnante adhuc in Judęa *Herode*. Quod autem *Herodes*, Rex Judęę, mortuus ſit

ante

ante annum quadrageſimum quartum Imperii Octaviani Auguſti, memini, me id multis, iiſque invictis momentis probaſſe in Tractatu *De Myſteriis & annis Chriſti*, Diſſertatione ſexta, ubi oſtendi, *Herodem*, poſtquam regnaſſet annis triginta ſeptem ex quo a Romanis fuerat declaratus Rex Judæorum, vel poſtquam a devicto *Antigono* regnaſſet in Judæa triginta quatuor annis, mortuum eſſe anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*. Erravit itaque Abbas *Dionyſius Exiguus*, auctor Æræ Vulgaris, ſeu Chriſtianæ, dum putavit, Chriſtum Dominum natum eſſe anno quadrageſimo quarto Imperii *Auguſti*, quo anno non ſolum jam e vivis exceſſerat *Herodes* Rex, ſed etiam immenſum in Germania erupit bellum, in quo *Cajus Cæſar* pugnavit adverſus Parthos, ſicut ex *Vellejo Paterculo* evincunt Cardinalis *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis, & *Antonius Pagius* ſub finem *Apparatus Chronologici ad Annales Baronii*. Porro, anno, quo Chriſtus, natus eſt, totum orbem fuiſſe in pace compoſitum, in confeſſo eſt apud omnes. Chriſtus igitur natus non eſt anno quadrageſimo quarto Imperii *Octaviani Auguſti*, ſicut perperam viſum eſt Abbati *Dionyſio*, cognomento *Exiguo*. Ex eadem Epocha mortis Regis *Herodis*, præfixa, uti præfigi debet, anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, manifeſtum itidem eſt, hallucinatum eſſe Eminentiſſimum Annalium parentem *Baronium*, qui aſſerit, Chriſtum Dominum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi ſecundi Imperii *Octaviani Auguſti*, quo tamen anno jam vita functus erat Rex *Herodes*, ut pote qui obiit, ut mox diximus, anno quadrageſimo primo Imperii *Octaviani Auguſti*, Chriſtum autem natum eſſe dum adhuc in Judæa regnaret *Herodes*, nemo, teſtante Evangeliſta *Matthæo*, inficias ire poteſt. Aſt, quoto anno Regni *Herodis* illigari debeat verum & proprium Natale Chriſti Domini? non convenit inter viros Chronologiæ peritos, qui, ſicut commonſtravi in prælaudata Diſſertatione ſexta, in varias ſuper hac reſcinduntur ſententias. Ipſe, æqua lance libratis omnibus ſententiis, longe probabilius arbitror, verum & proprium Natale Chriſti præfigendum eſſe ad annum quadrageſimum Imperii *Auguſti*, qui annus concurrit cum anno Regni *Herodis* trigeſimo ſexto, poſtquam a Romanis conſtitutus fuit Rex Judææ. Eo ſiquidem anno quadrageſimo Imperii Auguſti adhuc in vivis erat *Herodes* Rex, quippe qui abiit dumtaxat e vivis anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, ſeu anno trigeſimo ſeptimo, poſtquam a Romanis fuiſſet Rex Judææ declaratus, & anno, poſt devictum *Antigonum*, trigeſimo quarto. Præterea, eodem anno quadrageſimo Imperii *Auguſti* totus Orbis erat in pace compoſitus, Templumque *Jani* clauſum fuit ab Imperatore *Auguſto*, ſicut teſtantur Hiſtoriæ Romanæ Scriptores, quorum teſtimonia laudavi in Paragrapho ſecundo Diſſertationis ſeptimæ Tractatu *De Myſteriis & annis Chriſti*, ibidemque oſtendi contra *Joannem Maſſonum*, Presbyterum Anglicanum, nullum anno quadrageſimo Imperii *Auguſti*, quo Jeſum Chriſtum natum eſſe affirmo, erupiſſe bellum, ſed per totum Orbem altiſſimam pacem floruiſſe. Has itaque Diſſertationes Tractatus *De annis & Myſteriis Jeſu Chriſti*, quas mox indicavi, ſi legere haud graveris, planiſſime probatum invenies, verum & proprium Natale Chriſti Domini incidiſſe in diem vigeſimum quintum menſis Decembris annis quadrageſimi Imperii *Octaviani Auguſti*, qui annus concurrit cum anno trigeſimo ſexto Regni *Herodis*, ex quo fuit a Romanis Rex Judææ declaratus, & cum anno trigeſimo tertio Regni ejuſdem *Herodis* poſtquam *Antigonum*, ultimum apud Judæos ex ſtirpe Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, Principem, deviciſſet.

D. Nondum, ut candide fatear, intelligo, quid ſibi velit iſta Æra Vulgaris, ſeu Chriſtiana, quam a *Dionyſio*, Abbate, cognomento *Exiguo*, excogitatam fuiſſe, mox ajebas?

M. Æra Vulgaris, ſeu Chriſtiana, dicta etiam Dionyſiana, a ſuo auctore Abbate *Dionyſio*, ea eſt, quam Eccleſia Latina in numerandis annis, qui effluxerunt ab Incarnatione Chriſti Domini, uſurpat, dum hunc, quem auſpicamur, annum ait eſſe ab Incarnatione Chriſti milleſimum ſeptingenteſimum vigeſimum ſeptimum, cum enim, ut mox diximus, Abbas *Dionyſius*, cognomento *Exiguus*, putarit, Chriſtum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi quarti Imperii *Octaviani Auguſti*, inde annum primum ſuæ Æræ quæ dicitur *Vulgaris*, ſeu *Chriſtiana*, incepit Kalendis menſis Januarii anni ſequentis, ſeu anni quadrageſimi quinti Imperii *Auguſti*, Conſulibus *Cajo Cæſare*, nepote Imperatoris *Auguſti*, & *L. Æmilio Paulo*. Ab anno autem quadrageſimo quinto Imperii *Auguſti*, (cui anno *Dionyſius*, Abbas, annum primum Æræ ſuæ, dictæ *Vulgaris*, ſeu *Chriſtianæ*, illigavit) numerantur uſque ad præſentem, quem decurrimus, annum, mille ſeptingenti & viginti ſeptem anni. At, fatentur omnes hujus temporis periti Chronologi, Abbatem *Dionyſium* in aſſignando anno natalitio Chriſti Domini erraſſe quadriennio ſolido, ac ſubinde novam illam, quam ab Incarnatione Chriſti Domini excogitavit, Æram, quæ dicitur *Vulgaris*, & *Chriſtiana*, non eſſe accuratam. Chriſtus enim, ut antea diximus, natus non eſt die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi quarti Imperii *Auguſti*, ſicut falſo ſibi perſuaſit Abbas *Dionyſius*, ſed natus eſt die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi Imperii *Auguſti*. Quo fit, ut verum & proprium Natale Chriſti Domini anteverrat quadriennio ſolido Æram Vulgarem, ſeu Chriſtianam, cujus auctor eſt Abbas *Dionyſius*. Eccleſia tamen Latina hanc Æram Dionyſianam in numerandis annis ab Incarnatione Chriſti Domini in communem uſum tranſtulit, non quod putet Eccleſia Latina, hanc Æram Dionyſianam eſſe accuratam, ſed quia hæc Æra Diony-

ſiana, communi Chriſtianorum uſu, inducta & recepta fuit. Nec enim ejuſmodi temporum minutias moratur Eccleſia, ſed eas Chronologis diſcutiendas ac dirimendas permittit. Addo etiam, morem illum ſubducendi annos ab Incarnatione Chriſti Domini, juxta hanc Æram Dionyſianam, non ſemper in Eccleſia obtinuiſſe. Nam, ante Abbatem *Dionyſium*, mos in Eccleſia vigebat notandi annos per Olympiades Græcorum, per annos Imperatorum, & Conſulum Romanorum, ſed potiſſimum per Aeram Alexandrinorum Martyrum, ſeu per Aeram crudeliſſimi Imperatoris *Diocletiani*, qui maximam Chriſtianorum ſtragem edidit. Tardius autem invaluit uſus numerandi annos ab Incarnatione Chriſti Domini juxta Aeram Dionyſianam. Obſervat quippe doctiſſimus *Antonius Pagius* in ſua Diſſertatione *De Periodo Græco-Romana*, in Galliis, prima dumtaxat ſtirpe Francorum Regum deficiente, hanc Aeram Dionyſianam in vulgarem uſum fuiſſe vocatam, ſicut videre eſt in *Capitularibus* Regum Francorum ab erudito *Baluzio* publicatis, & quorum multa etiam exhibet *Cl. Mabillonius* in doctiſſimo, quem edidit, libro *De Re Diplomatica*. Hiſpani quoque & Luſitani nonniſi paucis abhinc ſæculis Aeram, quam ſectabantur, Hiſpanicam antiquarunt, & in ejus locum Aeram Dionyſianam, ſeu Vulgarem, & Chriſtianam, ſuffecerunt. Quin, & Summi Pontifices hac Aera Dionyſiana tardius in ſuis Diplomatibus uſi ſunt. *Eugenius* quippe *IV.* Pontifex Maximus ſæculo Eccleſiæ decimo quarto ſuaſu *Blondi* Aeram Dionyſianam adhibere cœpit (*a*). Denique, circa hanc Aeram Dionyſianam, advertere debes, Cardinalem *Baronium*, virum alioqui de Hiſtoria Eccleſiaſtica optime meritum, biennio erraſſe in præfigendo exordio Aeræ Dionyſianæ. At enim, *Baronius* exiſtimans, ſicut antea diximus, Chriſtum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi ſecundi Imperii *Auguſti*, orſus eſt annum primum Aeræ Dionyſianæ Kalendis menſis Januarii anni ſequentis, ſeu anni quadrageſimi tertii Imperii *Auguſti*, Conſulibus *Cæſare Auguſto XIII. & M. Plautio Silvano*, cum tamen fateantur omnes ad unum periti Chronologi, annum primum Aeræ Dionyſianæ cœpiſſe Kalendis menſis Januarii anni quadrageſimi quinti Imperii *Auguſti*, Conſulibus *Cajo Cæſare*, nepote Imperatoris *Auguſti*, & *L. Æmilio Paulo*. Hinc Eminentiſſimus ille Annalium parens in præfigendo anno primo Aeræ Dionyſianæ erravit duobus integris annis. Quem errorem animadvertens *Baronius*, ut in viam redire, & Aeram Dionyſianam, a qua duobus annis deflexerat, aſſequi poſſet, quoſdam e Faſtis Conſularibus expunxit Conſulatus, ac tandem ad annum Chriſti 280. Aeram Dionyſianam aſſecutus eſt, a qua deinceps in ſuis Eccleſiæ Annalibus nunquam diſceſſit. Obſervant etiam periti hujus ætatis Chronologi, eundem Cardinalem *Baronium* in alium impegiſſe errorem, dum in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis annum quadrageſimum quintum Imperii *Auguſti*, a quo incipit annus primus Aeræ Dionyſianæ, ſeu Vulgaris, & Chriſtianæ dictæ, conſignavit per Conſulatum decimum quartum Imperatoris *Auguſti*, & *Æmilii Pauli*. Hunc *Baronii* errorem refellit Cardinalis *Noriſius* Diſſertatione 2. *De Cenotaphiis Piſanis* cap. 13. ubi invictis demonſtrat momentis, Imperatorem *Auguſtum* tredecim dumtaxat Conſulatus egiſſe. Doctiſſimus itidem *Antonius Pagius* in ſua *Critica Baronii ad annum primum Æræ Chriſtianæ*, multis pariter argumentis probat, Conſulatum decimum quartum Imperatoris *Auguſti* eſſe omnino commentitium, & in vetuſtis emendatiſque *Dionis* Codicibus legi, *Cajum Cæſarem*, nepotem Imperatoris *Auguſti*, fuiſſe Conſulem cum *Æmilio Paulo* anno quadrageſimo quinto Imperii *Auguſti*. Unde facile infertur, corrupta & interpolata fuiſſe illa *Dionis* Exemplaria, quæ conſulit Cardinalis *Baronius*, & in quibus legit, Imperatorem *Auguſtum* anno quadrageſimo quinto Imperii ſui egiſſe Conſulatum decimum quartum cum *Æmilio Paulo*.

„ (*a*) Eccleſiam Romanam non adoptaſſe uſum „ adſcribendi in Bullis ſuis annos Aeræ vulgaris, „ niſi ſero, tempore Blondi Foro-Livienſis, qui „ ſæculo XV. vivebat, non eſt uſque adeo ve„ rum; nam & per multa ante ſecula id moris „ invaluiſſe ſatis conſtat, ut apparet in Bullis „ Pontificum ſæculi ſaltem XII. Innocentii II. „ Lucii III. & aliorum.

D. *Herodem* mortuum eſſe anno trigeſimo ſeptimo poſtquam Rex Judææ a Romanis fuiſſet declaratus, jam inſinuaſti; ſupereſt nunc ut breviter exponas quodnam mortis genus truculentiſſimus ille Rex fuerit expertus.

M. Multis flagitiis infamis Rex *Herodes*, ſed potiſſimum Innocentium infantium Bethleemitarum cæde, quam, naſcente Chriſto Domino, edidit, execrandus; tandem ultricem Dei manum, cujus iram tamdiu provocaverat, ſenſit in morte. Poſtquam enim duos filios *Alexandrum*, & *Ariſtobulum*, quos e ſua conjuge *Mariamne* ſuſceſceperat, necari juſſiſſet *Herodes*, in gravem ac fœdum incidit morbum, quem in dies ingraveſcentem cum nullis adhibitis remediis delinire poſſet, deploratę ſuæ valetudini conſulturus, profectus eſt ultra Jordanem, ubi calidis ſeſe fovebat aquis. Inde Hiericuntem repetiit, illucque per ſummam immanitatem accerſitos Judæos, qui erant ex illuſtrioribus familiis oriundi, in Circo concluſit, ut trucidarentur ſtatim ac ipſe fato ceſſiſſet, ſicque eorum morte ac luctu temperaretur illud gaudium, quod Judæos in ejus obitu habituros prævidebat. Interim, *Herodes* Rex, multis contaminatus ſceleribus, divinæ juſtitiæ calicem quaſi guttatim ſorbebat. Inteſtinum ignem ad viſcera populanda, intimis fovebat medullis. Horrenda voracitate, & dyſenterico morbo laborabat, ulcera, & colicos dolores graviſſimos patiebatur, pedes ex acerrimo pravorum humorum defluxu intumeſcentes, nervos ad convulſionem uſque contrahi, computreſcere genitalia, & ex toto corpore vermes ac intolerabilem erumpere fœtorem ſentiebat. Ad has morborum, & pœ-

& pœnarum corporis anguſtias accedebat perpetuus, & incredibilis animi dolor, quo crudelis ille & undecumque infelix tyrannus Regni ſui jacturam, domeſticorum diffidia, infamem vitæ exitum, omnium Judæorum in ſe unum concitata odia, imminens ab ira divina damnationis æternæ fulmen, tanquam damna irreparabilia noctu diuque cum ſumma anxietate perpendebat. Tot malis vexatus, & tantum non cadaveri, quam ſpiranti ſimilior *Herodes*, literas Roma recepit, quibus Imperator *Auguſtus* poteſtatem ei permittebat animadvertendi in filium *Antipatrum*, quem contra ipſius vitam conſpiraſſe cauſabatur. Hoc unico tantiſper recreatus eſt *Herodes*, ſed paulo poſt acutiſſimis doloribus vehementius quam antehac excruciatus, in furias actus eſt, voluit ſibi conſciſcere necem, a quo ſcelere impeditus a ſuis domeſticis, indoluit ſceleſtiſſimus ille Rex, quod ſibi violentas manus inferre haud potuiſſet. Sparſus tamen eſt per Palatium rumor, auditusque de morte *Herodis* clamor, qui ad aures *Antipatri*, ejus filii, cum perveniſſet, fugam e carcere, in quem a patre conjectus fuerat, moliri cœpit. Quod cum *Herodi*, Regi, fuiſſet renunciatum, ſtatim filium ſuum *Antipatrum* occidi juſſit. Vivos etiam truculentiſſimus ille tyrannus comburi præcepit *Judam*, & *Mathiam*, nobiles juvenes Judæos ac Legisperitos, quorum ſuaſu quidam Aquilam auream, quam ipſe in frontiſpicio Templi per turpem adulationem Imperatori *Auguſto* dicaverat, Religionis Legiſque zelo detraxerant. Poſtremo, die quinta ab occiſione filii ſui *Antipatri*, & poſt Eclipſim Lunæ, quæ Hieroſolymis, teſte *Joſepho* lib. 17. *Antiq. Jud.* capite 7. conſpicua viſa eſt anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, annos natus ſeptuaginta, fœtidam animam exhalavit Rex *Herodes*, vermibus corroſus, domi exacerbatus a ſuis, criminum furiis exagitatus, Deo, & cunctis mortalibus exoſus, & malorum caterva undecumque oppreſſus. Obſervare tamen debes cum doctiſſimo *Schelſtrato* in Libro *De Antiquitate Eccleſiæ illuſtrata*, duas Lunæ Eclypſes Hieroſolymis anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti* (quo anno Rex *Herodes*, ut diximus, mortuus eſt) contigiſſe. Primam Eclipſim laudatus ille Auctor aſſerit incidiſſe in diem XII. menſis Martii anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, non vero in diem XIII. menſis Martii, ut *Petavio*, aliiſque Chronologis viſum eſt. Alteram autem Lunæ Eclipſim cenſet *Schelſtratus* accidiſſe die quinta menſis ſeptembris ejuſdem anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, & poſt illam ſecundam Lunæ Eclipſim vita functum eſſe *Herodem*, Regem, die XXV. menſis Novembris ejuſdem anni Imperii *Auguſti*. Hæc *Schelſtrati* Sententia mihi probabilior videtur opinione illorum, qui volunt Regem *Herodem* mortuum eſſe circa Paſchatis Feſtum, hoc eſt, poſt primam Lunæ Eclipſim. Nam primo, ut obiter dicam, Judæi mortem Regis *Herodis* in *Volumine jejunii* aſſignant diei ſeptimo menſis *Casleu*, ideſt, diei XXV. menſis Novembris, quæ dies a Judæis feſtiva habetur, quod in ea *Herodes*, qui in eos ſæviit, mortem oppetiit. Porro hujus Judæorum *Voluminis jejunii* auctoritatem & antiquitatem maxime commendant *Uſſerius* Tomo ſecundo ſuorum Annalium, & *Schelſtratus* in libro mox a me laudato. Præterea, ſi Rex *Herodes* mortuus fuiſſet circa Feſtum Paſchatis anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, non ſibi conſtaret *Joſephus*, Hebræus, dum ſcribit, *Herodem*, poſtquam a Romanis fuit creatus Rex Judææ, regnaſſe annis triginta ſeptem. *Herodes* namque, ut jam obſervavimus, a Romanis renunciatus eſt Rex Judææ menſe Octobri anni quinti Imperii *Auguſti*, ac ſubinde annus Regni *Herodis* trigeſimus ſeptimus inire dumtaxat potuit menſe Octobri anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*. Si ergo *Herodes* mortuus fuiſſet circa Feſtum Paſchatis anni quadrageſimi Imperii *Auguſti*, non attigiſſet annum trigeſimum ſeptimum Regni ſui, immo, nec annum trigeſimum ſextum omnino compleviſſet. Probabilius itaque eſt, Regem *Herodem* mortuum eſſe non poſt primam Lunæ Eclipſim, quæ Hieroſolymis accidit menſe Martio anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, ſed illum fuiſſe e vivis ſublatum die XXV. menſis Novembris ejuſdem anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, poſt ſecundam Lunæ Eclipſim, quæ eodem anno contigit Hieroſolymis die quinta menſis Septembris. Teſtamentum, antequam moreretur, condidit Rex *Herodes*, quo filio *Archelao* Judææ Regnum, *Antipæ*, alteri filio, Galilæam, & *Philippo*, tertio filio, Trachonitidem, Galaaditidem, Bathanæam, & Paneadem, Tetrarchiæ nomine, reliquit.

D. Hactenus juxta calculum *Joſephi*, Hebræi, præfixiſti annum obitus Regis *Herodis*. Aſt, Cardinalis *Baronius* in ſuo ad Annales Eccleſiaſticos Apparatu, quem nuperrime legebam, pertendit, falſum eſſe hunc *Joſephi* calculum, Regemque *Herodem* non eſſe mortuum anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, ſed anno quinquageſimo Imperii ejuſdem *Auguſti*, idque adeo verum eſſe exiſtimat ille Eminentiſſimus Annalium Parens, ut ibidem in *Joſephum*, & in alios, qui hujus Hiſtorici, Hebræi, calculum de anno mortis Herodis, Regis, ſectantur, acriter invehatur his verbis: *Si* Joſephum, Hebræum, *quis ſibi ſequendum proponat, deſerat neceſſe eſt Evangelicam veritatem, ut pote qui Judæus Auctor (ut oſtendimus) ante Chriſtum natum ponat Herodis Senioris obitum. Sed redarguimus ejuſdem Auctoris levitatem & inconſtantiam ex ipſiuſmet ſcriptis ſuperius recitatis. Porro, ſi quis eidem ita ſecum pugnanti, & Evangelicæ veritati penitus repugnanti, fidem adhibendam putaverit, hac ex parte Celſum, Porphyrium, & Julianum ſe ſuperare cognoſcat; cum iidem, licet Chriſtianæ Religionis hoſtes infenſiſſimi, & contradictores acerbiſſimi, nunquam tamen auſi reperiantur præponere Joſephum Evangeliſtis. At, cum non ſolum (quod ſatis erat) Evangelica veritate redarguerimus Judæum Hiſtoricum,*

*ricum*, *ſed ex ſuis ipſius ſcriptis ſæpenumero aperta luce eum mendoſiſſimum oſtenderimus*, *& in hoc ipſo de annis Herodis adeo diverſa & plane contraria locutum viderimus : quomodo non magis ſequendus nobis fuit Euſebius &c.* Poteratne Cardinalis *Baronius*, cujus auctoritas magni apud omnes ponderis eſſe debet, acriori Cenſura *Joſephum*, Hiſtoricum Judæum, percellere, ejuſque calculum de anno obitus Regis *Herodis* evidentius reprobare?

M. Bona verba, quæſo : Huic Cenſuræ, qua Cardinalis *Baronius* perſtringit *Joſephum*, Hiſtoricum Judæum, quæque ſale ac pipere ſatis aſperſa videtur, oppono primo judicium omnium virorum eruditorum hujus temporis, inter quos convenit *Joſephum*, Hebræum, immerito vapulare a *Baronio* tanquam imperitum temporum, cum potius fuerit Hiſtoricus diligentiſſimus, cujus magna fides, & eximia eruditio in his, quæ ſpectant Hiſtoriam & annos Regni *Herodis*, maxime elucent. Hinc clariſſimi omnes hujus ætatis Scriptores, in ſacra & prophana Chronologia verſatiſſimi, calculum *Joſephi* tam circa initium Regni *Herodis*, quam circa annum ejuſdem Regis obitus, tanquam accuratiſſimum, ſequuntur, multiſque luculentiſſimis momentis (quæ nos in Diſſertatione ſexta *Tractatus de Myſteriis & annis Chriſti* expendimus) probant, *Herodem* fuiſſe a Romanis creatum Regem Judææ anno Imperii *Auguſti* quinto, qui concurrit cum anno ſexto Juliano, & cum anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo decimo quarto, Conſulibus *Cn. Domitio Calvino*, *& C. Aſinio Pollione*; Herodem vero, poſtquam regnaſſet annos triginta ſeptem, (ex quo videlicet a Romanis Rex Judææ fuerat creatus) mortuum fuiſſe anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, qui annus concurrit cum anno Juliano quadrageſimo ſecundo, cum anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo, Conſulibus *C. Calviſio Sabino*, & *Rufo*, ſeu *Rufino*, ut habet *Severus Sulpicius*. Præterea, Viri hujus temporis undecumque doctiſſimi duplicem aſſignant cauſam, cur Cardinalis *Baronius* calculum *Joſephi* in deſcribenda Herodiana Hiſtoria improbarit. Prima cauſa eſt, quod *Baronius* annos triginta ſeptem Regni *Herodis* putandos eſſe duxerit poſt pugnam, ſeu victoriam Actiacam, quam Imperator *Auguſtus* de *M. Antonio*, & de *Cleopatra*, Regina Ægypti, retulit die ſecunda menſis Septembris anni ſui Imperii decimi quarti, ſeu anni Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimi vigeſimi tertii. Qua ſemel a *Baronio* poſita Epocha exordii Regni *Herodis*, coactus eſt Eminentiſſimus ille Annalium parens mortem *Herodis*, qui triginta ſeptem annos regnavit in Judæa, detrudere ad annum Imperii *Auguſti* quinquageſimum, ſeu ad annum Urbis Romæ ſeptingenteſimum ſexageſimum. Sed hallucinatum fuiſſe Cardinalem *Baronium*, dum initium triginta ſeptem annorum, per quos regnavit *Herodes* in Judæa, putavit petendum eſſe ab illo anno, quo Imperator *Auguſtus* in pugna Actiaca *M. Antonium* ſuperavit, duæ invictæ rationes demonſtrant. Nam primo, antiqui Hiſtoriæ Herodianæ Scriptores diſerte aſſerunt, *Herodem* annos triginta ſeptem Regni ſui in Judæa computaſſe ab anno quinto Imperii *Auguſti* (quo anno *Herodes* a Romanis fuit creatus Rex Judææ) nullus autem Herodianæ Hiſtoriæ Scriptor meminit iſtius triginta ſeptem Regni *Herodis* annorum ſupputationis, quam proprio marte adinvenit Cardinalis *Baronius*, quamque dumtaxat poſt pugnam, ſeu Victoriam Actiacam, ab Imperatore *Auguſto* anno decimo quarto Imperii ſui de *M. Antonio* reportatam, initium habuiſſe affirmat. Deinde, ſi poſt pugnam, ſeu Victoriam Actiacam, *Herodes*, qui in Regno Judææ ab Imperatore *Auguſto* fuit confirmatus, Regni ſui triginta ſeptem annorum initium duxiſſet, ſicut pertendit *Baronius*, non vero ab anno quinto Imperii *Auguſti* (quo anno idem *Herodes* a Romanis renunciatus eſt Rex Judææ) ſequeretur, annum trigeſimum ſeptimum Regni *Herodis* concurrere, juxta calculum Cardinalis *Baronii*, cum anno quinquageſimo Imperii *Auguſti*, a quo anno Imperii *Auguſti* uſque ad annum quinquageſimum ſeptimum, qui fuit Imperii ejuſdem *Auguſti* poſtremus, ſeptem dumtaxat numerabis annos. Quomodo igitur, juxta illum calculum, quem ſequitur *Baronius*, verum erit id, quod poſt *Joſephum*, Hebræum, aſſerunt omnes ad unum Scriptores Hiſtorici, videlicet *Archelaum*, filium Regis *Herodis*, poſtquam per novem annos Judæam non tanquam Rex, ſed tanquam Ethnarcha, rexiſſet, a Proceribus Judæorum, & Samaritanorum, qui ejus tyrannidem ferre haud poterant, accuſatum apud Imperatorem *Auguſtum*, omni ditione & pecunia mulctatum eſſe, & ab eodem Imper. *Auguſto* Viennam in Galliis in exilium miſſum fuiſſe. Certe illius Facti Hiſtorici veritas, quæ apud omnes Scriptores indubitata eſt, nullatenus cum calculo Cardinalis *Baronii* de obitu *Herodis* cohærere poteſt.

Altera cauſa, propter quam Cardinalis *Baronius* calculum *Joſephi*, Judæi, in deſcribenda Hiſtoria Herodiana vehementer improbavit, hæc eſt : ſibi perſuaſit Eminentiſſimus juxta ac doctiſſimus ille Annalium parens, *Joſephum* in deſcribenda Hiſtoria Herodiana hunc poſuiſſe calculum, ex quo neceſſario ſequebatur, Chriſtum Dominum natum eſſe poſt Regis *Herodis* mortem. Verum, cum nunc apud omnes viros eruditos certiſſime conſtet, ea, quæ *Joſephus*, Hiſtoricus Judæus, de *Herode* ſcripſit, Evangelicæ veritati non adverſari, ex iiſque nullo modo ſequi, Regis *Herodis* obitum anteceſſiſſe Nativitatem Chriſti, ſtandum eſt *Joſephi* calculo, a quo dum receſſit Cardinalis *Baronius*, in aliquot Chronologiæ impegit errores, quos retexerunt & emendarunt Cardinalis *Noriſius* in *Cenotaphiis Piſanis*, & *Antonius Pagius* in *Critica Baronii*, & in ſua *Diſſertatione Hypatica*, ſeu *De Cæſareis Conſulibus*, quos, ſi tibi per otium liceat, adire poteris. Hoc unum dumtaxat hic breviter annotabo, nimirum viris eruditis jure optimo non probari opinionem Cardinalis *Baronii*, aſſerentis, Regem *Herodem*, anno quo mortuus eſt, occi-

occidiſſe in ea , quam edidit , puerorum Bethleemitarum ſtrage , filium ſuum bimulum . Hæc , inquam , Cardinalis *Baronii* opinio graviſſimis momentis a viris eruditis confutatur . Primo , quia licet ex *Joſepho* Hebræo certum ſit , Regem *Herodem* morti addixiſſe tres filios ſuos *Alexandrum* , *Ariſtobulum* , & *Antipatrum* , nullus tamen ex his tribus Herodis filiis erat bimulus , ſed omnes erant grandævi . Immo, Rex *Herodes* eo tempore , quo in pueros Bethleemitas gladio ſæviit , nullum filium bimulum habebat , nec habere poterat , quippe qui , teſte *Joſepho*, jam ſenio confectus erat , & ſeptuageſimum ætatis ſuæ jam attigerat annum . Sed ut dem , Regi *Herodi* tum temporis fuiſſe filium bimulum , nihil tamen cauſæ erat , cur illum una cum pueris Bethleemitis trucidari juberet . Nam *Herodes* eo conſilio horrendam illam puerorum Bethleemitarum ſtragem edixit, ut Chriſtum , quem natum Judæorum Regem a Magis inaudiverat , in cunabulis de medio tolleret, timens , ne Chriſtus ei , ejuſque poſteris ſceptrum Judææ eriperet . At, tantum abeſt, ut *Herodes* occaſionem habuerit timendi ne ſibi, ſuiſque poſteris ſceptrum Judææ proprius filius tenellus adhuc & ad ubera appenſus eriperet , ut potius per hunc puerulum, filium ſuum , Judææ ſceptrum in ſua Herodiana familia ſervatum iri, ſperare potuiſſet, ac debuiſſet . Denique , Rex *Herodes* juſſit tantum occidi pueros, qui erant in Bethleem & in finibus ejus, ut ait Scriptura Sacra ; ſi quem autem *Herodes* tunc habuiſſet filium bimulum ac tenellum, hunc certe non Bethleemi, ſed Hieroſolymis in Regia genuiſſet , aluiſſet , educaſſet : Nihil igitur cauſæ erat , cur pater *Herodes* lactentem adhuc filium ſuum cum cæteris pueris Bethleemitis occidi juberet . Edictum itaque Regis *Herodis* de occidendis pueris Bethleemitis confundi non debet primo cum Edicto ejuſdem Regis de trucidandis filiis ſuis *Alexandro* , *Ariſtobulo* , & *Antipatro* , quia tres illi filii *Herodis* erant ætate grandævi , quando, juſſu patris, fuerunt mortis ſupplicio affecti ; pueri vero Bethleemitæ , qui juſſu impii illius Regis fuerunt occiſi , tenelli adhuc erant , quos inter aliquis filius *Herodis* , qui bimulus eſſet , numerari non poteſt . Secundo , iſtud Edictum Regis *Herodis* de ſtrage puerorum Bethleemitarum confundi etiam non debet cum Edicto, quo crudeliſſimus ille Rex, ingraveſcente ſuo morbo, ſicut ſuperius ex *Joſepho* obſervavimus, nobiliſſimos viros inter Judæos Hiericuntem accivit , & in Hypodromo concluſit , datis mandatis ſorori ſuæ *Salome*, ejuſque viro *Alexæ*, ut, ſe extincto, per milites interficerentur . Hoc etenim ſæviſſimum Regis *Herodis* Edictum non fuit executioni mandatum, quia, teſte eodem *Joſepho* , *Salome*, mortuo *Herode*, fratre ſuo , nobiliſſimos illos Judæos, in Hypodromo concluſos , dimiſit incolumes, dicendo, ita *Herodem* juſſiſſe. At, Edictum Regis *Herodis* de jugulandis pueris Betehlemitis , vivente adhuc *Herode* , executioni traditum fuiſſe ait Scriptura Sacra cap. 2. *Matthæi*. Poſtremo , cædes puerorum Bethleemitarum confundi minime debet cum illa cæde , qua Rex *Herodes* , paulo antequam moreretur, *Judam* , & *Mathiam Margolothum* , eorumque Socios , vivos exuri juſſit , ob deturbatam ab ipſis Aquilam auream , quam ſupra majorem Templi Hieroſolymitani portam idem Rex *Herodes* contra Legem poſuerat ; cum enim *Judas* , & *Mathias Margolothus* , Judæi , eorumque Socii jam ætate provecti eſſent , eorum cædes , juſſa a Rege *Herode* , nihil commune habere potuit cum ſtrage infantium , quos Bethleemi in omnibus finibus ejus a bimatu & infra truculentus Rex *Herodes* occidi juſſit .

D. Inter Judæorum Sectas, quæ in ſexta Mundi Ætate emerſerunt, & de quibus hoc in Colloquio ſermonem te habiturum ſpopondiſti, una eſt, quæ, ſicut nuperrime dicebat mihi vir eruditus, appellabatur Secta *Herodianorum* . Sed undenam illi Sectarii id nominis traxerint, vel ab *Herode*, Rege Judææ , vel ab altero *Herode* ? & quoſnam diſſeminarint errores ? a te nunc ſcire deſidero.

M. *Herodianorum* meminere quidem Sacri Evangeliſtæ, nimirum *Matthæus* cap. 22. v. 16. & *Marcus* cap. 8. v. 15. & cap. 12. verſ. 13. Sed utrum hoc nomen vel ab *Herode* , Rege Judææ, vel ab alio *Herode* ſortiti ſint ? Quoſnam etiam errores ſparſerint iſti *Herodiani* ? non ſatis adhuc liquet. Alii exiſtimant , hanc Sectam *Herodianorum* conflatam fuiſſe ex quibuſdam viliſſimis Judæis, qui dicti ſunt *Herodiani*, eo quod *Herodem*, Regem Judææ, quamvis non eſſet genere Judæus, colerent pro Meſſia , quod putarent in eo impletum eſſe Patriarchæ *Jacobi* morientis vaticinium : *Non auferetur ſceptrum de Juda , donec veniat qui mittendus eſt* , &c. Sic ſentit antiquus Scriptor *Tertullianus* , ſive Auctor , quiſquis eſt , *Supplementi* libri ipſius *De Præſcriptionibus* . Sed hanc Sententiam tanquam ridiculam explodit *S. Hieronymus* Commentario in caput vigeſimum ſecundum *Matthæi* , ubi hæc habet : *Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant , qui Herodem Chriſtum eſſe credebant , quod nuſquam omnino legimus*. Alii probabilius , mea quidem Sententia , cum *S. Hieronymo*, loco mox a me laudato, cenſent, iſtos *Herodianos* non fuiſſe Judæos , ſed milites & ſervos *Herodis*, Tetrarchæ Galilææ . Vocabantur autem illi milites & ſervi *Herodiani* a Phariſæis , qui eos ſolventes Tributa Romanis eo nomine irridebant, quia *Herodes* , Tetrarcha Galilææ, cujus erant milites ac ſervi, Præfectus erat a Romanis ipſis Tributis recipiendis . Hi *Herodiani* inſidiabantur Chriſto, qui ideo ſuos Diſcipulos præmonebat , ut ſibi caverent a fermento Phariſæorum, & a fermento *Herodis* : *Et præcipiebat eis, dicens : Videte , & cavete a fermento* ( ideſt, a doctrina , quæ malitiæ & corruptionis plena erat ) *Phariſæorum , & fermento Herodis* , cap. 8. v. 15. Evangelii *Marci*.

D. In quo potiſſimum ſita erat *Phariſæorum* doctrina , quam Chriſtus Dominus nomine *Fermenti* indigitat ?

M. Phariſæi Sectam apud Judæos conflarunt , quæ jam temporibus Machabæorum ſub Regno *Alexandri Jannæi* maxima auctoritate pollebat . Præ-

cipua eorum doctrinæ dogmata erant iſthæc: primo, variis conſtitutiunculis, ad quæſtum ac tyrannidem excogitatis, irretiebant populum, & præcepta Legis Moſaicæ pravis interpretationibus pro ſuo arbitrio reſtringebant, & ſpuriis traditionibus corrumpebant. Secundo, Fatum admittebant, quod tamen liberum arbitrium non adimeret, ſicut teſtatur *Joſephus*, Hebræus, libri 2. *De Bello Judaico* cap. 7. & lib. 13. *Antiquit. Jud.* cap. 9. Tertio, immortalitatem Animarum credebant quidem Phariſæi, ſed bonarum Animarum Metempſychoſim, ſeu migrationem in alia corpora defendebant, ut fidem facit idem *Joſephus*, Secta Phariſæus, lib. 18. *Antiquit. Jud.* cap. 2. Denique, Phariſæi erant veri Hypocritæ, qui omnia ad pompam externam, ad publicum ſimulatæ pietatis ſpectaculum faciebant, affectabant Cœlibatum, venditabant jejunia ſua bis in Sabbato, ideſt, in hebdomada; preces, eleemoſynas, & ſuperſtitioſas lotiones plenis ac crepitantibus buccis in publico, arrogantique ſupercilio prædicabant, dilatabant Philacteria ſua, & ut viderentur Legis Moſaicæ admodum obſervantes, ſcribebant Decalogum in membranis, ceu duobus Voluminibus, quorum alterum fronti, coronæ vice, circumponebant, alterum brachio: ut ſive quo manum porrigerent, eſſent in conſpectum, ſive caput moviſſent, ob oculos eſſent. Inde illi Hypocritæ captantes auram popularem, atque ex miraculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & quo quiſque latiores fimbrias circumferebat, hoc religioſior habebatur apud ſuperſtitioſos & ſimplices. Hi ſunt Phariſæi, qui in Jeſum Chriſtum ſtimulati ac livore perciti, quod, certatim ad illum confluente populo, contemni ac deſeri ſe viderent, Chriſti doctrinæ totis ſuis viribus repugnabant, eum acriter inſectabantur, conviciis proſcindendo, inceſſendo dicteriis, fodicando actiones, miracula eludendo. At, Chriſtus Dominus illis hypocritis, qui ſanctitatis famam apud homines captabant, larvam detraxit, artemque detexit pſeudo illorum Doctorum, qui per illam externam pietatis, & ſanctimoniæ ſpeciem in animos plebis invadebant, cumque a Diſcipulis ſuis monitus fuiſſet, quod Phariſæi verbis ejus fuiſſent offenſi, actutum reſpondit Chriſtus: *Sinite illos, cæci ſunt, & Duces cæcorum: Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent*. Qua reſponſione aperte ſignificavit Chriſtus, ſe contemnere offenſionem Phariſęorum, quia veritate offendebantur, ſuiſque ſuperſtitioſis traditionibus adducti, gratiæ Myſteria pro nihilo habebant, & plebem a via ſalutis abducebant. Huic Phariſæorum Sectæ e diametro oppoſita erat altera apud Judæos Secta *Sadducæorum*.

D. Oſtende, ſi placet, quo pacto Sadducæorum Secta diſcrepet a Secta Phariſæorum?

M. Phariſæi, ut mox diximus, Fato omnia regi, illæſa tamen ſtante hominum libertate, arbitrabantur; at, Sadducæi (ut teſtatur *Joſephus* libri 2. *De Bello Jud.* capite 7.) Fatum omnino negantes, & Deum extra omnem mali patrationem inſpectionemque conſtituentes, omnia hominum ſubjiciebant poteſtati, eoſque ſolos bonarum, vel malarum ſuarum actionum auctores eſſe affirmabant. Secundo, Phariſæi Animarum immortalitatem, exiſtentiam ſpirituum, & corporum reſurrectionem confitebantur: Sadducæi vero hæc omnia inficiabantur, aſſerentes animas hominum cum corporibus interire, nec eſſe aliquos Spiritus, ſive Angelos bonos aut malos. Tertio, Phariſæi Sacros omnes libros recipiebant: Sadducæi autem Sacros omnes Libros, præter Pentateuchum *Moyſis*, repudiabant. Denique, Phariſæi non tantum Legem ſcriptam, ſed etiam Legem oralem, ſeu traditiones excipiebant, & probabant: Sed Sadducæi ſoli Scripturæ Sacræ Textui, rejectis omnibus Traditionibus, quaſi polypi ſaxo immobiliter affixi, adhærebant. Hæc infecta Sadducæorum Dogmata ſi ſedulo expendas, fateberis ultro, Phariſæos ſaniora Sadducæis ſenſiſſe atque docuiſſe. Hinc Chriſtus Dominus de Phariſæis ait: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcumque ergo dixerint vobis, ſervate & facite*. Et *S. Paulus* (ut legitur cap. 23. Actor. Apoſt.) in jus vocatus coram Judæorum Senatu, *ſciens quia una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in Concilio: Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe & Reſurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hoc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo*. Sed de his duobus apud Judæos præcipuis Sectis Phariſæorum, & Sadducæorum, hæc levi brachio attigiſſe ſufficiat.

D. Prodieruntne apud Judæos in ſexta Mundi Ætate aliæ Sectæ?

M. Præter has duas *Phariſæorum*, & *Sadducæorum* Sectas, aliæ apud Judæos in ſexta Mundi Ætate eruperunt Sectæ, videlicet *Eſſæorum*, ſeu *Eſſenorum*: *Hemerobaptiſtarum*, *Samagitanorum*, *Galilæorum*, *Garaitarum*, & *Rabbaniſtarum*, de quibus hic pauca dicam. In primis *Eſſæi*, ſeu *Eſſeni*, erant Sadducæis e fronte oppoſiti, quippe qui de providentia Dei, de animarum immortalitate, & de exiſtentia Spirituum, ſeu Angelorum, recte ſentiebant, ut teſtatur *Joſephus*, Hebræus, lib. ſecundo, *De Bello Judaico* cap. 7. & lib. 18. *Antiq. Judaic.* capit. ſecundo. A cæteris Judæis puriori quodam vivendi genere, ſeu Aſceticæ vitæ ſtudio dumtaxat diſcrepabant, cælibatum ſervabant, Sabbatum aliis Judęis ſcrupuloſius obſervabant, victu parco & auſtero utebantur, omnia bona erant illis communia. Habebant inſuper ſtatas horas ad orandum, variaſque artes & occupationes, in quibus ſeſe, citra ullam cupiditatem, exercebant. Apud eos nemo ſervus, omnes liberi. A juramento, quaſi a perjurio, penitus abhorrebant. Severi erant criminum vindices. Lectioni Scripturę Sacrę deditiſſimi, pietatis, puerorum inſtitutionis, beneficentię, hoſpitalitatis ſtudioſiſſimi, ſolitudinis & ſilentii obſervantiſſimi, adverſa quęque, etiam mortem, exquiſitiſſimoſque cruciatus, pro Religionis defenſione ęquanimiter, & alacriter tolerabant. Iſti Judęi, dicti *Eſſei*, & *Eſſeni*, confundi non debent cum *Therapeutis*, qui, ſicut deſcripſit *Philo*, Judęus, in libro

bro *De Vita Contemplativa*, relictis civitatibus, in agro & ſolitudine degentes, orationi, & contemplationi jugiter vacabant, & durum auſterumque vitæ genus ducebant; hos ſiquidem *Therapeutas* non fuiſſe Religione Judæos, ſed Chriſtianos, memini, me jam oſtendiſſe in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam trium priorum Eccleſiæ ſæculorum, quod, ſi tibi per otium liceat, lectitare poteris. Venio nunc ad Sectam *Hemerobaptiſtarum*, qui ita apud Judæos appellabantur, quod ſingulis diebus Baptiſmo, ſeu Lavacro ſe abluerent, dicerentque, hominem ſine quotidiano illo Baptiſmo probe, ſancteque vivere haud poſſe. Cum Sadducæis negabant iſti *Hemerobaptiſtæ* reſurrectionem mortuorum, ſed in aliis Religionis dogmatibus plane cum Phariſæis conſentiebant. Plura de his *Hemerobaptiſtis* legeſis apud *S. Epiphanium* Hæreſi 17. Quod ſpectat Samaritanorum Sectam, jam obſervavimus in noſtris præcedentibus Colloquiis, decem Iſraelitarum Tribus, poſt earum deportationem in Samariam a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, diro Schiſmate a Judæis fuiſſe ſeparatas, illudque Schiſma eo præſertim tempore invaluiſſe, quo *Sanaballetes*, Samariæ Præfectus primum a *Dario*, Perſarum Rege, deinde ab *Alexandro Magno* veniam impetravit ædificandi Templum in monte *Garizin*, æmulum Templo Hieroſolymitano, eidemque Templo Garizitano Sacerdotem præfecit *Manaſſen*, ſocerum ſuum, & fratrem *Jadduæ*, Summi Pontificis Judæorum. Poſt extructum illud in monte *Garizin* Templum, in quo Samaritani, juxta ritus ac cæremonias Judæorum, Sacra faciebant, erupit Samaritanos inter & Judæos implacabile odium, quamvis Samaritani unum Deum Iſraelis adorarent, Meſſiam expectarent, & in Circumciſione, Sacrificiis, obſervatione Feſtorum, Purificationibuſque Legalibus cum Judæis convenirent. In tribus tamen potiſſimum capitibus Samaritani diſcrepabant a Judæis. Primo, quia Samaritani Deum Iſraelis colebant in Templo *Garizin*: Judæi vero Deum adorabant in Templo Hieroſolymitano, ſicut ipſemet Deus in Lege præcepit. Secundo, Judæi non ſolum Pentateuchum *Moyſis*, ſed & in Libros Propheticos, & alios, qui in Canone Eſdrino erant conſcripti, ceu Sacros & Canonicos recipiebant. At, Samaritani Pentateuchum dumtaxat *Moyſis*, ceu Sacrum, admittebant, repudiatis aliis libris, quos in ſuo Canone habebant Judæi. Denique, Samaritani Traditiones, per Phariſæos invectas, quas ſectabantur Judæi, omnino repudiabant, & unico puro Scripturæ Sacræ Textui adhærebant. Pentateuchum Samaritanum vetuſtiſſimum, & antiquis characteribus Hebræis exaratum fuiſſe, atque etiamnum extare integrum ac ſincerum, memini me alibi ex ſanctis Patribus obſervaſſe; qua de re ſi plura ſcire deſideres, legeſis doctiſſimum *Joannem Morinum*, Congregationis Oratorii Presbyterum, in *Exercitatione*, quam edidit *in Samaritanum Pentateuchum*. Conſule etiam *Capellum*, *Waltonum*, Prolegomeno undecimo in Biblia Polyglotta Londinenſia. Nunc ipſe ab aliis Judæorum ſectis, quas mox indicavi, breviter me expedio. Secta *Galilæorum*, quam *Joſephus*, Hebræus, Sectis Judæorum accenſet, originem dediſſe videtur *Judas Galilæus*, ex oppido *Gamala*, qui, dum *Quirinius* in Judæam, tum temporis in Provinciam a Romanis redactam, ab Imperatore *Auguſto* miſſus fuiſſet, ut cenſum a Judæis exigeret; auctor erat Judæis, ut a Romanis impoſitum Tributum non perſolverent, eoſque ſuapte natura jam ad defectionem proclives, omni, qua valebat, eloquentia hortabatur, ut excuterent Romanorum jugum, ſuæque priſtinæ libertati reſtituti ea denegarent tributa, quæ ab ipſis nomine Imperatoris exigebantur. Sed brevi diſſipata eſt hæc Galilæorum Secta. Nam capto a Romanis ac cæſo illo *Juda Galilæo*, duobuſque ejus filiis in crucem actis, domiti ſunt Judæi, ſuiſque ingratiis colla jugo Romanorum ſubdere coacti ſunt. Secta *Caraitarum* conflata erat ex illis Judæis, qui Legem Oralem, ſeu Traditiones Phariſæorum & Rabbinorum reſpuebant, & uni tantum Scripturæ Sacræ Textui inhæren, dum eſſe pertendebant. Multi adhuc in Oriente Judæi Caraitæ reperiuntur. Poſtremo, Secta *Rabbaniſtarum* ex his coaluit Judæis, qui præter Legem ſcriptam, excipiebant Legem oralem, ſeu Phariſæorum & Rabbinorum Traditiones, atque Sacrarum Scripturarum expoſitiones in maximo pretio & honore habebant, ideoque *Rabbaniſtæ* fuerunt appellati. Horumce Rabbaniſtarum Secta adhuc perſeverat in Judæis, qui per totam Europam ſunt diſperſi, & acerrimo odio Judæos Caraitas proſequuntur. His, quas hactenus retuli, Judæorum Sectis, ſunt qui addunt Sectam *Scribarum*, ſed perperam. *Scribarum* quippe nomen, ut memini, me in ſuperiori Colloquio obſervaſſe, non Sectæ, ſed ordinis & gradus fuit. Inter illos *Scribas*, alii erant *Politici*, alii dicebantur *Sacri*, & *Eccleſiaſtici*. Politicorum Scribarum apud Judæos duplex erat claſſis. In prima erant politici Scribæ Superiores, ſeu Regii, qui erant a Secretis, vel Conſiliis Regum, quique penes ſe aſſervabant inſtrumenta & acta publica, & rationem temporum, geſtorum, ac redditūum. In altera claſſe conſtituebantur politici *Scribæ* inferiores, qui erant Actuarii, & Notarii communes. At, *Scribæ*, qui dicebantur *Sacri* & *Eccleſiaſtici*, erant, ſicut jam oſtendimus, Doctores & Interpretes Legis, quibus ex officio incumbebat Legem interpretari, Sacras Scripturas in Templo & Synagogis populo prælegere, dubia diluere, obſcura dilucidare, indeque paſſim in Evangelio *Legis Periti* nuncupantur. Horum *Scribarum* ordinem, qui a Phariſæis diſtinctus erat, poſt captivitatem tantum Babylonicam fuiſſe apud Judæos ortum, in ſuperiori Colloquio jam annotavi. Quamvis enim a *Moyſis* temporibus ſemper fuerint in Judæorum Synagoga viri Legis peritiſſimi, probabilior tamen opinio eſt, Scribas ſucceſſiſſe Prophetis, qui poſt captivitatem Babylonicam ceſſarunt, ac primum, cui *Scribæ* nomen in Scriptura Sacra tributum eſt, fuiſſe *Eſdram*.

D. Il-

D. Illuſtriores Philoſophos, Poetas, & Oratores, qui ſexta Mundi Ætate in Græcia floruerunt, accurate in præcedenti Colloquio percenſuiſti. Præclara etiam geſta Machabæorum, qui eadem Mundi Ætate, immortalem gloriam ſibi apud Judæos pepererunt, in iſto Colloquio plurimum commendaſti; debes nunc attexere ſeriem celebriorum Scriptorum Latinorum, qui in ſexta itidem Mundi Ætate, præſertim circa tempora Imperatoris *Auguſti*, Romæ, & in Italia præ cæteris inſigni Eloquentiæ, & Poeſeos laude claruerunt.

M. Antiqui Romani uſque ad tempora Imperii *Octaviani Auguſti* non tam literis, quam armis nomen ſuum ubique nobilitarunt, uti declarant tot bella, quæ geſſerunt, & victricia ſua arma in varias nationes intulerunt, nimirum Bella Gallicum, Macedonicum, Hiſpanicum, Numantinum, Mitridaticum, Jugurthinum, tria Bella Punica, quibus tandem urbs Carthago, Romæ æmula, omnino deleta eſt, ut nihil in præſentia dicam de bellis civilibus *Syllam* inter & *Marium*; *Cæſarem* inter & *Pompejum*, qui ab eodem *Cæſare* in pugna Pharſalica victus eſt, & de aliis id genus bellis, quæ felicem habuerunt exitum, & Romanorum Reipublicæ magnum attulerunt incrementum, ſicut legere poteris apud *Polybium*, *Titum Livium*, *Vellejum Paterculum*, *Florum*, *Eutropium*, alioſque Hiſtoriæ Romanæ Scriptores. Non defuerunt tamen in Romanorum Republica ante tempora Imperatoris *Auguſti* aliquot viri literis clariſſimi, quos inter cenſentur *Nævius*, Poeta, *Livius Andronicus*, Poeta, *Ennius*, Poeta, & plurimarum Tragædiarum Scriptor, *Cæcilius Statius*, Poeta Comicus, *Marcus Pacuvius*, Poeta Tragicus, & *Ennii* nepos, *Marcus Accius Plautus*, & *Terentius*, Poetæ Comici elegantiſſimi, & nonnulli alii. Aſt, poſtquam *Octavianus Auguſtus*, nepos *C. Julii Cæſaris*, devicto in pugna Actiaca *Marco Antonio*, Imperii Romani habenas ſolus moderari cœpit, multo plures viri doctrina præſtantes Romæ, & in Italia prodierunt, qui veteris Græciæ viris illuſtribus nihilo inferiores fuerunt. *Cajum Julium Cæſarem*, avunculum Imperatoris *Octavii Auguſti*, inſignem Hiſtoricum & Oratorem fuiſſe teſtantur hi, quos edidit, *De Bello Gallico* Commentarii, in quibus dilucide, copioſe, eleganter, vehementer, & appoſite ſcribit pro rei natura, pro argumenti, temporum ac perſonarum conditione. Facundos Oratores, qui Romæ, & in Italia palmam eloquentiæ tulerunt, & inter cæteros *Hortenſium*, percenſet *Cicero* in libro *De claris Oratoribus*. Sed unus omnium Scriptorum cum Græcorum, tum Latinorum ſplendorem obſcuravit eloquentiæ laude *M. Tullius Cicero*, dicendi artifex peritiſſimus, & in Cauſarum Civilium actionibus nulli ſecundus. *Ciceronis* ſtylum & eloquentiam in ſuis libris expreſſam imitantur etiamnum aliqui inter Chriſtianos Scriptores, qui hunc eximium Oratorem gaudent nocturna verſare manu, verſare diurna. Horum certe ſtudium non improbo, immo auctor ſum juvenibus ut libros *Ciceronis* in ſinu habeant, dummodo ſerio cogitent primo, huc humanas Diſciplinas, huc Philoſophiam, huc Eloquentiam tendere debere, ut Chriſtum intelligamus, ut Chriſti gloriam celebremus. Hic eſt enim totius eruditionis & eloquentiæ ſcopus. Præterea, in primis curent adoleſcentes, ut notitiam aſſequantur Myſteriorum Chriſtianæ Religionis, nec minore ſtudio Libros Sacros evolvant, quam *Cicero* libros Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum, & Juriſperitorum evolverat. In eos autem, qui eo dumtaxat fine libros *Ciceronis* legunt, ut ejus ſtylum ad vanam oſtentationem imitentur, vere quadrat iſtud Poetæ *Horatii* Diſtichon:

*O imitatores ſervum pecus, ut mihi ſæpe*
*Riſum, ſæpe jocum veſtri movere tumultus.*

*Marcus Tullius Cicero* juſſu *Marci Antonii* in in quem ſuas Orationes Philippicas in Senatu declamaverat, occiſus eſt, annos ſexaginta quatuor natus, olim Conſul, de Romana Republica optime meritus, ac Pater Patriæ appellatus, poſtquam *Catilinæ* conjurationem diſſipaſſet. *Marco Tullio Ciceroni* coævus fuit *M. Terentius Varro*, quem *virum undecumque doctiſſimum* jure optimo appellat *Terentianus*. Quadringentos & nonaginta libros a ſe fuiſſe ſcriptos, & ad annum ætatis octogeſimum quartum ſe vitam produxiſſe teſtatur ipſemet *Varro*. Eum maxime commendat *Cicero*, qui ipſi librum primum *Academicarum Quæſtionum* nuncupavit, illiuſque teſtimonio ſæpius *Sanctus Auguſtinus* in libris *De Civitate Dei*, præſertim cap. 2. lib. 6. ubi de Diis Gentium, & eorum Sacris agit, uſus eſt. Floruerunt circa idem tempus eximii Oratores, quos inter *C. Criſpus Salluſtius*. Sed aureum Imperatoris *Auguſti* ſæculum præcipue illuſtrarunt celeberrimi Poetæ Latini, quorum facile Princeps eſt *Virgilius*, patria Mantuanus, *Æmilius Macer*, Veronenſis, *Sextus Aurelius Propertius*, *Quintus Horatius Flaccus*, Lyricorum Princeps, *Tibullus* in ſuis Elegiis cultiſſimus, quas tamen caſtis auribus indignas obſcenitate reddidit, & *Ovidius*, cujus libros *Amorum* & *De Arte amandi*, qui caſtitati & bonis moribus peſtilentem afflant auram, nequidem ſummis digitis attingere, nedum legere, debent Chriſtiani. Quocirca, ut obiter dicam, nullo pacto ferre hactenus potui quoſdam Grammaticulos, munditiarum in ſtylo moroſos exactores, qui a Sacrorum Librorum lectione, ob ſermonis, quo ſcripti ſunt, ſimplicitatem, omnino abſtinent, libros etiam aſceticos, qui de rebus piis citra verborum cultum & elegantiam tractant, adductis labiis, faſtidiunt, & ſemper præ manibus habent Ethnicorum Poetarum libros, eoſque, quod gravius eſt, Chriſtianæ juventuti legendos obtrudunt. In hos Grammaticulos *Deſiderius Eraſmus*, vir licet purioris Latinitatis ſtudioſiſſimus, in ſuo Dialogo, cui titulus eſt: *Ciceronianus*, his verbis juſte invehitur: *Quale porro ſit, materiam piam ob hoc ipſum putere nobis, quod pie tractata ſit? At pie tractari qui poteſt, ſi nunquam dimoveas oculos a Virgiliis, Horatiis, aut Naſonibus? niſi forte quorumdam ſtudium approbes, qui fragmentis*

*tis Homericorum* , *aut Virgilianorum Verſuum undique decerptis* , *& in centonem conſarcinatis* , *Chriſti vitam deſcripſerunt* . *Operoſum quidem ſcribendi genus*, *ſed cui unquam iſta lacrymulam extuderunt* ? *Quem ad pietatem commoverunt*? *Quem ab impura vita revocarunt* ? .... , *Oportebat enim omnem Chriſtianorum orationem reſipere Chriſtum*, *ſine quo nec ſuave* , *nec ſplendidum eſt quidquam*, *nec utile* , *nec honeſtum*, *nec elegans*, *nec facundum*, *nec eruditum* . *In ſeriis*, *quodque gravius eſt* , *in piis materiis*, *quis ferat iſta paganica progymnaſmata*?

D. Tuo deinceps ſapientiſſimo utar conſilio, & valere juſſis Ethnicorum Poetarum libris, Sacros dumtaxat vel Aſceticos Libros in ſinu meo deinceps circumferam, atque in deliciis habebo : ſingula in his pia curioſitate cognoſcere, diſquirere , & excutere ſatagam, ut me in his ſedulo meditantem placida mors inveniat . Sed , cum videam , jam imminere horam , quæ Colloquio noſtro finem imponere debet , obſecro te , ut eam, quam promiſiſti , hic attexas ſextæ Mundi Ætatis Tabulam Chronologicam, quæ accuratum exhibeat calculum annorum , qui a captivitate Babylonica, ubi incipit ſexta Mundi Aetas, uſque ad Natale Chriſti Domini, ubi finem habet eadem ſexta Mundi Aetas, interfluxerunt .

M. Cum tres præcipuæ Epochæ , ſeu Aeræ , videlicet Epocha , quæ figit initium Olympiadum , & Aera, dicta *Nabonaſſaris*, Regis Chaldæorum , per quas Græci tempora notare ſolent , necnon Epocha de condita Roma , qua in ſubducendo annorum calculo utuntur Latini , ſuum in ſexta Mundi Aetate , ſicut jam in præcedentibus noſtris Colloquiis oſtendimus, habuerint exordium, ideo ipſe iſtam, quam hic ſubjicio, ſextæ Mundi Aetatis Tabulam Chronologicam ſic diſponam ac digeram, ut non ſolum tuos ob oculos ponam annos a creatione Mundi , ſed etiam annos Olympiadum, annos Aeræ *Nabonaſaris*, & annos a condita Roma , ſicque, uno quaſi intuitu , modum conſignandi tempora, tam apud Græcos, quam apud Latinos uſitatum, perſpectum atque exploratum facilius habere poſſis.

TA-

# TABULA CHRONOLOGICA

*Sextæ Mundi Ætatis, hoc eſt, a captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti Domini, non tantum per annos a creatione Mundi, ſed etiam per annos Olympiadum, Æræ* Nabonaſſaris, *& a condita Roma, accurate digeſta & ordinata.*

JOakin, Rex Juda, regnavit undecim annis, & anno illius Regni ultimo, qui concurrit cum anno octavo Regni *Nabuchodonoſoris*, accidit captivitas Babylonica anno Mundi 3536. anno 3. Olympiadis quadrageſimæ quartæ, anno a condita Roma centeſimo quinquageſimo ſecundo, Æræ *Nabonaſſaris* centeſimo quadrageſimo ſexto, ante Æram Vulgarem anno ſexcenteſimo ſecundo.

*Nabuchodonoſor*, Rex, poſt abductos Judæos in captivitatem Babylonicam, regnavit triginta ſex annis, & obiit anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, anno tertio Olympiadis quinquageſimæ tertiæ, anno a condita Roma centeſimo octogeſimo octavo, Æræ *Nabonaſſaris* centeſimo octogeſimo ſecundo, ante Æram Vulgarem quingenteſimo ſexageſimo ſexto anno, ab incepta captivitate Babylonica anno trigeſimo ſexto.

*Evilmerodachus*, filius *Nabuchodonoſoris*, regnavit duobus annis, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, anno primo Olympiadis quinquageſimæ quartæ, a condita Roma anno centeſimo nonageſimo, Æræ *Nabonaſſaris* anno centeſimo octogeſimo quarto, ante Æram Vulgarem anno quingenteſimo ſexageſimo quarto, ab incepta captivitate Babylonica anno trigeſimo octavo.

*Balthaſar* cum patre ſuo *Nirigliſſare*, genero Regis *Nabuchodonoſoris*, regnavit quatuor annis, & occiſus eſt anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ, a condita Roma anno centeſimo nonageſimo quarto, Æræ Nabonaſſaris anno centeſimo octageſimo octavo, ante Æram Vulgarem anno quingenteſimo ſexageſimo, ab incepta captivitate Babylonica anno quadrageſimo ſecundo.

*Darius Medus*, dictus *Nabonidus*, vel *Labynitus*, interfecto *Balthaſſare*, Rex a Babyloniis electus eſt, & poſtquam viginti ſeptem annos regnaſſet, e Solio a *Cyro*, Perſidis Rege, fuit deturbatus anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo quinto, anno quarto Olympiadis ſexageſimæ primæ, a condita Roma anno ducenteſimo vigeſimo primo, Æræ *Nabonaſſaris* anno ducenteſimo decimo quinto, ante Æram Vulgarem anno quingenteſimo trigeſimo tertio, ab incepta captivitate Babylonica anno ſexageſimo nono. In hoc *Dario Medo* finem habuit Babyloniorum Imperium.

Finis Babyloniorum Imperii.

Exordium Monarchiæ Perſicæ.

*Cyrus* anno vigeſimo ſeptimo Regni ſui in Perſide initi Babylonem occupavit, cœpitque imperare in Babylone, tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo ſexto, anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, anno a condita Roma ducenteſimo vigeſimo ſecundo, Æræ *Nabonaſſaris* anno ducenteſimo decimo ſexto, ante Æram Vulgarem anno quingenteſimo trigeſimo

ſecun-

ſecundo, ab incepta captivitate Babylonica anno ſeptuageſimo. *Cyrus* hoc anno primo Regni in Babylone initi laxavit captivitatem Babylonicam, &, poſtquam regnaſſet per tres annos in Babylone tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, occiſus eſt anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo octavo, anno tertio Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, a condita Roma anno ducenteſimo vigeſimo quarto, Æræ *Nabonaſſaris* ducenteſimo decimo octavo, ante Æram Vulgarem anno quingenteſimo trigeſimo, Monarchiæ Perſarum anno tertio.

*Cambyſes*, filius *Cyri*, regnavit ſeptem annis, & obiit anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto, anno ſecundo Olympiadis ſexageſimæ quartæ, a condita Roma ducenteſimo trigeſimo primo, Æræ *Nabonaſſaris* anno ducenteſimo vigeſimo tertio, Monarchiæ Perſicæ anno decimo.

*Smerdes Magus*, poſt obitum *Cambyſis*, imperavit per annum integrum, & occiſus eſt anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, anno tertio Olympiadis ſexageſimæ quartæ, a condita Roma anno ducenteſimo trigeſimo ſecundo, Æræ *Nabonaſſaris* anno ducenteſimo vigeſimo ſexto, ante Æram Vulgarem anno quingenteſimo vigeſimo ſecundo, Monarchiæ Perſicæ anno undecimo.

*Darius Hyſtaſpis* filius, poſt occiſum *Smerdem Magum*, regnavit triginta ſex annis, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ tertiæ, a condita Roma anno ducenteſimo ſexageſimo octavo, Æræ *Nabonaſſaris* anno ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, ante Æram Vulgarem anno quadringenteſimo octogeſimo ſexto, Monarchiæ Perſicæ anno quadrageſimo ſeptimo.

*Xerxes*, filius *Darii Hyſtaſpis*, regnavit annos viginti unum, & abiit e vivis anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ octavæ, a condita Roma anno ducenteſimo octuageſimo nono, Æræ *Nabonaſſaris* ducenteſimo octuageſimo tertio, ante Æram Vulgarem anno quadringenteſimo ſexageſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno ſexageſimo ſeptimo.

*Artaxerxes Longimanus* præfuit Monarchiæ Perſicæ annis quadraginta, & vita functus eſt anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, anno quarto Olympiadis octogeſimæ octavæ, a condita Roma anno trecenteſimo vigeſimo nono, Æræ *Nabonaſſaris* anno trecenteſimo vigeſimo tertio, ante Æram Vulgarem anno quadringenteſimo vigeſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo ſeptimo.

*Xerxes* hujus nominis *II.* & unicus *Artaxerxis Longimani* filius legitimus, ſucceſſit patri ſuo in Monarchia Perſica, ſed paucos poſt dies a *Sogdiano*, filio ſpurio *Artaxerxis Longimani*, occiſus eſt. *Sogdianus* vero, parricida, Perſico potitus Imperio, paulo poſt pariter trucidatus occubuit.

*Darius*, dictus *Nothus*, quod eſſet *Artaxerxis Longimani* filius ſpurius, proclamatus eſt Perſarum Monarcha eodem anno, quo ipſius pater *Artaxerxes Longimanus* mortuus eſt. Imperavit viginti annis, & vita functus eſt anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, anno quarto Olympiadis nonageſimæ tertiæ, a condita Roma anno trecenteſimo quadrageſimo nono, Æræ *Nabonaſſaris* anno trecenteſimo quadrageſimo tertio, ante Æram Vulgarem anno quadringenteſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo vigeſimo ſeptimo.

*Arta-*

*Artaxerxes*, dictus *Mnemon*, id eſt, memoria præditus, poſt *Darium Nothum*, Monarchiam Perſicam rexit annis quadraginta tribus, & migravit e vita anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, anno tertio Olympiadis centeſimæ quartæ, anno a condita Roma trecenteſimo nonageſimo ſecundo, Æræ *Nabonaſſaris* trecenteſimo octuageſimo ſexto, ante Æram Vulgarem trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo ſeptuageſimo.

*Artaxerxes*, dictus *Ochus*, regnavit annis viginti tribus, fuitque veneno ſublatus anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo nono, anno ſecundo Olympiadis centeſimæ decimæ, a condita Roma anno quadringenteſimo decimo quinto, Æræ *Nabonaſſaris* anno quadringenteſimo nono, ante Æram Vulgarem anno trecenteſimo trigeſimo nono, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo nonageſimo tertio.

*Arſes*, filius *Artaxerxis Ochi*, imperavit duobus annis, fuitque occiſus anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo primo anno quarto Olympiadis centeſimæ decimæ, a condita Roma anno quadringenteſimo decimo ſeptimo, Æræ *Nabonaſſaris* quadringenteſimo undecimo, ante Æram Vulgarem anno trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo nonageſimo quinto.

Finis Perſarum Monarchiæ, quæ duravit annis 202.

*Darius Codomanus* imperavit ſeptem annis, & anno ultimo Imperii ſui victus eſt ad Arbellam ab *Alexandro Magno* anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo octavo, anno tertio Olympiadis centeſimæ duodecimæ, a condita Roma anno quadringenteſimo vigeſimo quarto, Aeræ *Nabonaſſaris* anno quadringenteſimo decimo octavo, ante Aeram Vulgarem anno trecenteſimo trigeſimo Monarchiæ Perſicæ anno ducenteſimo ſecundo.

Exordium Monarchiæ Græcorum, quæ in obitu *Alexandri Magni* finem habuit.

*Alexander Magnus*, devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Monarcha, regnavit in Babylonia, tanquam ſupremus Græcorum Monarcha, annis ſex, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo decimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ, a condita Roma anno quadringenteſimo trigeſimo, Aeræ *Nabonaſſaris* anno quidringenteſimo vigeſimo quarto, ante Æram Vulgarem anno trecenteſimo vigeſimo quarto, Monarchiæ Græcorum anno ſexto.

Exordium Regni *Seleuci* in Syria, & Æræ Græcorum Seleucidarum.

*Seleucus*, dictus *Nicator*, vel *Nicanor*, ſeu *Victorioſus*, ab anno duodecimo poſt obitum *Alexandri Magni* Regni ſui in Syria Epocham duxit. Annus autem duodecimus poſt obitum *Alexandri Magni* incidit in annum Mundi ter milleſimum octingenteſimum vigeſimum ſextum, in annum primum Olympiadis centeſimæ decimæ ſeptimæ, in annum a condita Roma quadringenteſimum quadrageſimum ſecundum, in annum Aeræ *Nabonaſſaris* quadringenteſimum trigeſimum ſextum, & in annum ante Aeram Vulgarem trecenteſimum duodecimum. Eodem anno incipit Aera Græcorum Seleucidarum. Regnavit *Seleucus Nicator* in Syria annis triginta duobus, & trucidatus eſt anno trigeſimo ſecundo Regni Græcorum Seleucidarum.

*Antiochus I.* dictus *Soter*, ſive *Salvator*, ſucceſſit in Regno Syriæ *Seleuco Nicatori*, anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, anno quarto Olympiadis centeſimæ vigeſimæ quartæ, a condita Roma anno quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio, Aeræ *Nabonaſſaris* anno quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ante Aeram Vulgarem anno ducenteſimo octuageſimo primo, & poſtquam regnaſſet annos undeviginti, mortuus eſt anno Regni Græcorum Seleucidarum quinquageſimo primo.

*An-*

*Antiochus II.* dictus per adulationem *Deus*, regnare cœpit in Syria anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, anno tertio Olympiadis centeſimæ vigeſimæ nonæ, a condita Roma anno quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, Æræ *Nabonaſſaris* anno quadringenteſimo octogeſimo ſexto, ante Æram Vulgarem anno ducenteſimo ſexageſimo ſecundo. Regnavit quindecim annis, & mortuus eſt anno ſexageſimo ſexto Regni Græcorum Seleucidarum.

*Seleucus II.* dictus *Callinicus*, filius *Antiochi II.* ſucceſſit patri ſuo in Regno Syriæ anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo nonageſimo primo, anno ſecundo Olympiadis centeſimæ trigeſimæ tertiæ, a condita Roma anno quingenteſimo ſeptimo Æræ *Nabonaſſaris* quingenteſimo primo, ante Æram Vulgaren anno ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Regnavit viginti annis fuitque interfectus anno Regni Græcorum Seleucidarum octuageſimo ſexto.

*Seleucus III.* cognomento *Ceraunus*, filius *Seleuci II.* regnare cœpit in Syria anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo undecimo, anno ſecundo Olympiadis centeſimæ trigeſimæ octavæ, a condita Roma anno quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, Æra *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo vigeſimo primo, anno ante Æram Vulgarem ducenteſimo vigeſimo ſeptimo. Regnavit tribus annis, & mortuus eſt anno Regni Græcorum Seleucidarum octuageſimo nono.

*Antiochus III.* dictus *Magnus*, frater *Seleuci II.* regnare cœpit in Syria anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo decimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimæ trigeſimæ nonæ, a condita Roma anno quingenteſimo trigeſimo, Æræ *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo vigeſimo quarto, anno ante Æram Vulgarem ducenteſimo vigeſimo quarto. Regnavit annis triginta ſex, & interfectus eſt anno Regni Græcorum Seleucidarum centeſimo vigeſimo quinto.

*Seleucus IV.* dictus *Philopator*, filius *Antiochi III.* dicti *Magni*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Syriæ anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo quinquageſimo, anno primo Olympiadis centeſimæ quadrageſimæ octavæ, a condita Roma anno quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Æræ *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo ſexageſimo, ante Æram Vulgarem anno centeſimo octuageſimo octavo. Regnavit annis duodecim, & mortuus eſt anno Regni Græcorum Seleucidarum centeſimo trigeſimo ſeptimo.

*Antiochus IV.* dictus *Epiphanes*, ſeu *Illuſtris*, fratri ſuo *Seleuco IV.* in Regno Syriæ ſucceſſit anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, anno primo Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ primæ, a condita Roma anno quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Æræ *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ante Æram vulgarem anno centeſimo ſeptuageſimo ſexto. Regnavit duodecim annis, & obiit anno Regni Græcorum Seleucidarum centeſimo quadrageſimo nono.

*Judas Machabæus*, filius *Mathathiæ*, Principatum obtinuit in Republica Judæorum eodem anno, quo *Antiochus IV.* dictus *Epiphanes*, exceſſit e vivis, ſeu anno Regni Græcorum Seleucidarum centeſimo quadrageſimo nono, anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ quartæ, a Roma condita anno quingenteſimo nonageſimo, Æræ *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo octogeſimo quarto, ante Æram Vulgarem anno centeſimo ſexageſimo

**Exordium Principatus Machabæorum in Republica Judæorum.**

mo

mo quarto. Præfuit autem *Judas Machabæus* Reipublicæ Judæorum annis tribus.

*Jonathas* in Principatu Reipublicæ Judæorum ſucceſſit fratri ſuo *Judæ Machabæo* anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, anno' quarto Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ quartæ, a condita Roma anno quingenteſimo nonageſimo tertio, Æræ *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo octogeſimo ſeptimo, ante Æram vulgarem anno centeſimo ſexageſimo primo. Præfuit *Jonathas* Reipublicæ Judæorum ſeptemdecim annis.

*Simon* frater *Judæ Machabæi*, & *Jonathæ*, Principatum obtinuit in Republica Judæorum anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo nonageſimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ nonæ, a condita Roma anno ſexcenteſimo decimo, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo quarto, ante Æram vulgarem anno centeſimo quadrageſimo quarto. Præfuit autem *Simon* Reipublicæ Judæorum annis novem.

*Joannes Hyrcanus*, filius *Simonis*, in Principatu Judæorum ſucceſſit patri ſuo anno Mundi quater milleſimo tertio, anno ſecundo Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ primæ, a condita Roma anno ſexcenteſimo decimo nono, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo decimo tertio, ante Æram vulgarem centeſimo trigeſimo quinto. Principatum tenuit per triginta annos.

*Ariſtobulus*, filius *Joannis Hyrcani*, ſucceſſit patri ſuo in Principatu Judæorum anno Mundi quater milleſimo trigeſimo tertio, anno quarto Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ octavæ, a condita Roma anno ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, ante Æram vulgarem anno centeſimo quinto. Hic *Ariſtobulus* fuit primus, qui apud Judæos, poſt captivitatem Babylonicam, ſibi Regium Diadema impoſuit. Regnavit uno dumtaxat anno.

*Alexander Jannæus*, filius *Ariſtobuli*, regnare cœpit in Judæa anno Mundi quater milleſimo trigeſimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ nonæ, anno a condita Roma ſexcenteſimo quinquageſimo, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, ante Æram vulgarem anno centeſimo quarto. Regnavit annis viginti ſeptem.

*Alexandra*, uxor *Alexandri Jannæi*, mortuo marito, regnare cœpit anno Mundi quater milleſimo ſexageſimo primo, anno quarto Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ quintæ, a condita Roma anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Æræ *Nabonaſſaris* ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, ante Æram vulgarem anno ſeptuageſimo ſeptimo. Regnavit *Alexandra* annis novem.

*Hyrcanus* hujus nominis *II.* filius *Alexandri Jannæi*, mortua matre *Alexandra*, regnare cœpit in Judæa anno Mundi quater milleſimo ſeptuageſimo, anno primo Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ octavæ, a condita Roma anno ſexcentxeſimo octuageſimo ſexto, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo octuageſimo, ante Æram vulgarem anno ſexageſimo octavo. Regnavit *Hyrcanus II.* annos tres, ſed victus eſt ab *Ariſtobulo*, fratre ſuo, qui Regnum Judææ invaſit, illudque tribus annis occupavit. Tandem, *Ariſtobulo*, invaſore Regni, a *Pompejo* in ordinem redacto, denuo Judææ Regno potitus eſt *Hyrcanus II.* & adhuc regnavit annis viginti tribus.

*Antigonus* filius *Ariſtobuli* a *Pompejo* in ordinem redacti, devicto *Hyrcano II.* Judææ Regnum occupavit, cœpitque regnare anno Mun-

Mundi quater milleſimo nonageſimo octavo, anno primo Olympiadis centeſimæ octuageſimæ quintæ, a condita Roma anno ſeptingenteſimo decimo quarto, Aeræ *Nabonaſſaris* anno ſeptingenteſimo octavo, ante Aeram vulgarem anno quadrageſimo. Regnavit *Antigonus* in Judæa annis tribus, & menſibus tribus.

*Herodes*, natione Idumæus, tribus annis poſtquam a Romanis fuiſſet declaratus Rex Judææ, vicit *Antigonum*, ultimum apud Judæos ex ſtirpe Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, Principem, & ſolus in Judæa regnare cœpit anno Mundi quater milleſimo centeſimo primo, anno quarto Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quintæ, a condita Roma anno ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, Aeræ *Nabonaſſaris* anno ſeptingenteſimo undecimo, ante Aeram vulgarem anno trigeſimo ſeptimo. Regnavit Herodes in Judæa, poſt devictum *Antigonum*, annis triginta quatuor, ſed ab anno, quo a Romanis creatus eſt Rex Judææ, regnavit annis triginta ſeptem.

**Finis Principatus Machabæorum. Et initium Regni *Herodis*.**

Jeſus Chriſtus natus eſt in Bethleem die xxv. menſis Decembris anni a creatione Mundi quater milleſimi centeſimi trigeſimi quarti, ann. 4. Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ, a condita Roma ann. 749. Æræ *Nabonaſſaris* 743. Periodi Julianæ ann. 4709. ann. 40. Imperii *Octaviani Auguſti*, ann. 37. Regni *Herodis*, poſtquam fuiſſet a Romanis conſtitutus Rex Judææ, & anno trigeſimo tertio poſtquam deviciſſet *Antigonum*, Conſulibus *Auguſto Cæſare XII.* & *L. Cornelio Sulla*; quadriennio integro ante Æram vulgarem. Huic anno illigandum eſſe verum, & proprium Natale Chriſti Domini, multis momentis evici in Diſſertatione ſexta Tractatus, quem edidi, *De Myſteriis & annis Chriſti Domini*.

Natale vulgare Chriſti, hoc eſt, juxta Æram vulgarem, quam, ut ſuperius obſervavimus, excogitavit *Dionyſius*, Abbas, cognomento *Exiguus*, conſignari debet diei vigeſimæ quintæ menſis Decembris anni Mundi quater milleſimi centeſimi trigeſimi octavi, ann. 4. Olympiadis 194. Æræ *Nabonaſſaris* 747. Periodi Julianæ 4713. ann. 44. Imperii *Auguſti*, Conſulibus *Coſſo Cornelio Lentulo*, & *L. Calpurnio Piſone*. Hoc anno natum eſſe Chriſtum Dominum exiſtimavit *Dionyſius*, Abbas, dictus *Exiguus*, ſed illum in conſignando Natali Chriſti quadriennio ſolido fuiſſe hallucinatum, jam oſtendimus.

Annus primus Æræ vulgaris, quæ etiam *Chriſtiana* dicitur, vel *Dionyſiana* a ſuo Auctore Abbate *Dionyſio Exiguo*, auſpicatur Kalendis menſis Januarii ann. 45. Imperii Auguſti, ann. Mundi quater milleſimi centeſimi trigeſimi noni, a condita Roma ann. 754. Aeræ *Nabonaſſaris* ann. 748. ann. Periodi Julianæ 4714. ann. 1. Olympiadis 195. Conſulibus *Cajo Cæſare*, nepote *Auguſti*, & *L. Æmilio Paulo*. Ab hoc autem anno primo Aeræ vulgaris effluxerunt anni mille ſeptingenti viginti ſex & ideo, annum, quem modo decurrimus, diximus eſſe, juxta Aeram vulgarem, ſeu Dionyſianam, milleſimum ſeptingenteſimum vigeſimum ſeptimum. Sed hæc Aera vulgaris, ſeu Dionyſiana, aberrat a vero & proprio Natali Chriſti Domini quadriennio ſolido, ut jam advertimus.

Hic Colloquiis noſtris in univerſam Hiſtoriam Sacram Veteris Teſtamenti finem facere decrevi, ne modum excedant. Tu interim frequentiſſime lege Sacram Veteris Teſtamenti Hiſtoriam, quæ tota refertur ad Jeſum Chriſtum, qui, teſte Apoſtolo *Paulo*, *finis Legis eſt*. Cum enim Vetus Teſtamentum, ſicut ſæpius diximus, ſit umbra Hiſtoriæ Evangelicæ, maxime congruebat, ut nihil gereret, Chriſtus, cujus non aliqua vel umbra, vel ſcintilla præceſſiſſet in Veteris Teſtamenti Libris, quo protenſior eſſet omnium fides ad rem non omnino ſubitam atque expectatam. Hinc quidquid Chriſtus præſtitit, promiſſum eſt Sacrorum Vatum Oraculis, adumbratum eſt figuris & carptim etiam expreſſum eſt, veluti ſubinde promicantibus hinc atque hinc ſcintillulis aliquot, quæ lucem illam, poſt erupturam, toti Orbi portenderent. Hæc omnia Veteris Teſtamenti Symbola, & Oracula perfectiſſime adimplevit Chriſtus Dominus, qui vere eſt ſermo ille contractus, & in compendium redactus, quem tandem fecit Dominus ſuper terram, & in quo recapitulavit omnia, quæ in Cælis & in Terris, ut quæcumque e tot Libris, e tot Sanctis Viris Veteris Teſtamenti ante petebantur, nunc compendio ab uno Chriſto longe tum expreſſiora, tum abſolutiora ſumi poſſent. Hæc igitur omnia, quæ hactenus de Sacra Veteris Teſtamenti Hiſtoria delibavimus, dicta ſint in laudem & gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cui honos ſit & imperium in omne ævum. Si quid tamen nobis in hoc Opere vel per ignorantiam excidiſſet, vel per errorem obre-

obrepſiſſet, pro non dicto, & revocato habemus. Ignorare quippe, oblivisci, dormitare, falli, labi, ſunt humanæ naturæ, per peccatum *Adami* ſauciatæ, vitia, in quibus, quoniam nos nihil aliud quam homines eſſe meminimus, & quotidie experimur, facile veniam petimuſque damuſque viciſſim.

D. Rogaverat olim *S. Auguſtinum* Laurentius, ut ſcriberet aliquod *Enchiridion*, ſive Opuſculum mole exiguum, quo plane inſtrui poſſet, & inſtructus ex tempore de Deo recte colendo loqui valeret. Petitioni *Laurentii* annuit *S. Auguſtinus*, & Enchiridion ſcripſit, quod obviis ulnis excepit *Laurentius*, & a cujus lectione ægre divelli poterat. Sequar ipſe exemplum *Laurentii*, & Sacram Veteris Teſtamenti Hiſtoriam, quam meis exoratus precibus in variis Colloquiis a Creatione Mundi uſque ad Natale Chriſti Domini digeſſiſti, eo lubentius legam, quod illam ſtylo ſimplici, ſed citra barbariem, & compendioſe, citra tamen obſcuritatem, deſcripſeris. Quæ methodus, ut candide dicam, multum mihi ſemper arriſit, utpote ad ſtudioſæ juventutis captum magis accommodata, antiquo præſertim canente Poeta:

*Quidquid præcipies eſto brevis, ut cito dicta*
*Percipiant animi dociles, teneantque fideles.*

*Finis Hiſtoriæ Sextæ Mundi Ætatis, & totius hujus Operis.*

IN-

# INDEX RERUM TOMI PRIMI.


A

Ætas. Ætates Mundi ſex ab Orbe condito ad Chriſtum natum, earumque periodi. pag. 3. Ætas diuturna primorum hominum, non tam ob fructus terræ excellentiores, quam propter frugalitates. 51. *Vide Annus*.

Amor Dei, & proximi, cultus eſt interior Legis naturæ. 48

Angeli. Cur Moyſes ſiluerit creationem Angelorum. 8. Angelorum cognitio matutina in Verbo, Veſpertina in rebus. *ibid.* Angelis in via non fuit collata ſola gratia verſatilis. 27. Angelorum peccatum. 29. Corporis expertes ſunt. 57. Mulierum amore capti non ſunt ante diluvium. *Ibid.* Abſurdæ de Angelis ſententiæ Lactantii. *ibid.* Lothum e flammis eripiunt. 100. Cherubim præ foribus Paradiſi. 30

Animal. Nulla animalia, e putri materia, oriuntur, ſed ex ovis. 79. Animalia bruta non ſunt prædita ratione, ut ſenſerunt Origenes, & Lactantius. 81. Non ſunt pura automata. *ibid.* Quomodo in Americam adſportata fuerint poſt diluvium, maxime inſecta, quæ noxia ſunt. 79. & ſeq. 80. aves. *ibid.*

Annus. Annus antiquus Hebræorum, annus civilis, Sabbaticus, & Jubilæus ab æquinoctio autumnali computantur. 7. Anni initium poſtea ſumptum, Deo jubente, ab æquinoctio verno. *ibid.* Anni priorum Patriarcharum non erant menſtrui, ſed noſtris ſimiles. 51. Anni centum viginti, non vitæ hominum; ſed pœnitentiæ ſpatium ante diluvium. 69. *Vide Ætas*.

Antichriſtus interficiet Enochum in fine mundi, & hic poſt tres dies reſurget. 59

Antipodæ. 74

Arca Noe, ejuſque menſura. 52. 62. Fuit Eccleſiæ figura. 66 Arca fœderis. 94.

Aſtra non ſunt animata. 81

Atomi. Corpuſcula ſeu atomos mundum temere effeciſſe ſomniavit Epicurus. 33

Auxilia. *Vide* Gratia.

B

Baptiſmus concupiſcentiam ac fomitem non auſert. 40

Bella poſt diluvium prima. 74

Benedictio Melchiſedechi 91

Benignitas Dei. *Vide* Miſericordia.

Bonitas Dei, *Vide* Deus.

C

Captivitas Ægyptiaca quamdiu duraverit? 92

Carnes. Carnibus veſci an licitum ante diluvium. 50. 51. 60. Poſt diluvium. *ibid.* Suffocato & ſanguine interdictum hominibus poſt diluvium. 69. Eadem vetita initio Eccleſiæ Chriſtianæ. 70

Caſuiſtæ. Rejiciuntur placita nonnulla circa ignorantiam. Invecta in Chriſtianam Ethicen a laxioribus Caſuiſtis. 41

Chaos Poetarum. 7

Chriſtus. Ejus figuræ, Adam, Abel, Noe, 65. Melchiſedech. 91. Abraham. 102. Chriſti & ejus Sacrificii typus in Iſaaco. 98. Et in ariete. *ibid.* Chriſtianæ Legis & Chriſtianorum in Sara & Iſaaco. 102. Chriſtum prævidit Abraham. 98. Fides in Chriſtum omni ævo neceſſaria fuit ad juſtificationem. 94. *Vide* Meſſias.

Cibus hominum. *Vide* Carnes.

Circumciſio. Ejus origo. 94. A Deo Abrahamo præcipitur. *ibid.* Non eſt deſumenda ab Ethnicis, *ibid.* Circumciſione utebantur Ægyptii, aliique, ſeu Hebræorum circumciſio omnium vetuſtiſſima fuit & diverſa. 96. Aegypti fœminas quoque circumcidebant. *ibid.*

Concubinas. Uxores minus præcipuæ, quæ non erant matres familias, quandoque vocabantur concubinæ, vigente polygamia. *ibid.* 102

Concupiſcentia. Concupiſcentia contra rationem pugnans, mala eſt, malus nempe effectus peccati. 39. Pugna hujuſmodi non fuiſſet in ſtatu naturæ puræ, eſt enim contra naturam ex D. Thoma. 16. 38. 39. ſupereſt poſt Baptiſmum. 39. Non eſt peccatum ſed peccati pœna. *ibid.* & 40

Confirmatio. Ex clara Dei Viſione oritur confirmatio gratiæ. 20

Conjugium. *Vide* Matrimonium.

Creatio. Mundus e nihilo conditus, non ex præjacente materia. 7. Creationis opera ſex diebus confecta. *ibid.*

Crux Chriſti. Ejus figura fuerunt ligna quibus imponendus erat Iſaac. 94

D

Decimæ. Decimas ſolvit Melchiſedecho Abrahamus. 90. 91

Deus Unus eſt non duo, iſque ſumme bonus quicquid ſomniaverint Magi Perſarum, aliique. 105. 106. Ejus maxima miſericordia. 93. Ejus pœnitentia quæ ſit? 52. Ejus cultus, & nominis invocatio tribuitur Enos ob excellentem religionem. 58

Dies ſex creationis rerum. 7. veri extiterunt, non myſtici, neque cognitiones Angelicæ. 8

Diluvium. 52. Fuit univerſale. *Ibid.* Quandonam contigerit? 63. Octo tantum animæ ſervatæ fuerunt, non Mathuſalem, qui jam obierat. 60. 61. An ulli ex iis, qui diluvio perierunt pœnitentiam egerint? 63. Diluvium Ogygium, & Deucalionis idem ac Noeticum. 62

Dominica dies. Ejus Sanctitas. 59

Dominium. An locum habuiſſet in ſtatu innocentiæ? 24

E

EBrietas Noe ſecundum SS. Patres culpa vacavit. 70. Ebrietas Loth damnanda. 102
Eccleſia eſt a Chriſto, ut Eva ex Adamo. 32. Illius figura fuit arca Noe. 66
Errores varii. *Vide* Opinio.
Euchariſtiæ Sacrificii typus fuit Sacrificium Melchiſedechi. 91

F

FAbulæ Ethnicorum ex S. Scriptura detorta erutæ. 33. 82
Feſtorum dierum Sanctitas. 58
Fides fuit in ſtatu innocentiæ. 21. Fides mediatoris ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem poſt peccatum. 47. 94. Fides Abrahami, aliorumque quomodo ad juſtificationem pertineat? 93. Fides ſeu fiducia remiſſionis peccatorum ad examen vocatur. 94
Fomes peccati hæret in homine poſt baptiſmum. 34. 39. *Vide* Concupiſcentia.
Fortitudo Abrahami. 99
Fructus vetitus in Paradiſo. 32

G

GEneratio animalium e putri materia rejicitur. 79
Geſta Patriarcharum primæ ætatis. 53. Secundæ ætatis. 97
Gigantes. Fabulæ gigantum cum Diis pugnantium deſumptæ ex hiſtoria turris Babel. 82. Gigantes homines fuerunt, non dæmones. 57. 58
Gratia. Gratia ſanctificans collata fuit primo homini, dum conditus eſt; hoc tamen non pertinet ad fidem. 16. Certiſſimum eſt Adamum Sanctum fuiſſe ante lapſum. *ibid.* Gratia Sanctificans hominis lapſi mentem Deo ſubjicit, non vero appetitum, aut corpus menti, quemadmodum præſtitit juſtitia originalis. 19
Gratiæ Auxilia. Gratia pro ſtatu innocentiæ. 25. 26
Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem Thomiſtæ petunt tum ex naturæ lapſæ imbecillitate, tum ex Dei dominio, tum ex arbitrii indifferentia. 26. Gratiæ per ſe efficacis neceſſitas in ſtatu innocentiæ *ibid.* Rationes petitæ ex doctrina S. Auguſtini pro hujuſmodi gratia. *ibid.* An homo ſine gratia poſſit verum cognoſcere? 44. Homo in ſtatu naturæ puræ potuiſſet diligere Deum ut auctorem naturæ ſuper omnia cum ſolo concurſu generali. *ibid.* In ſtatu naturæ lapſæ non poteſt homo cum ſolo generali Dei concurſu Deum ſuper omnia diligere. *Vide* Originalis juſtitia. *Vide* Angelus.

H

HÆreſes variæ. *Vide* Opinio.
Hiſtoria. Hiſtoriæ prophanæ veritas poſt epocham Olympiadum. 12. Antiquitas fabuloſa plurimorum Orientalium. *ibid.* Multa e S. Scripturæ hiſtoria petita. 33. 82.
Holocauſtum. *Vide* Sacrificium.
Homicidium Caini. 54. Homicidii ſcelus. 70
Homo propter Deum conditus fuit, mundus propter hominem. 8. Homo cur erectus & ſurſum ſpectans? 15. Hominis maxime naſcentis ærumnas & imbecillitatem mirati ſunt philoſophi, quod ignoraverint peccatum originis a quo profluunt. 37. Homo lapſus, non Angelus reparatur variis de cauſis. 36. Homo tantæ eſt excellentiæ in comparatione pecoris ut vitium hominis ſit natura pecoris ex D. Auguſtino. 39. Omnes homines, ex Adamo orti. 12. Omnes homines, etiam Americani, ex Noe ſtirpe fluunt. 75. Homines in omnes mundi regiones poſt diluvium fuſi Phalegi ævo. 73. 74. Numerus hominum paucis poſt diluvium annis. 74
Humana Natura. *Vide* Status.

I

IDololatria. Idololatriæ ſeu Polytheiſmi origo poſt diluvium. 76. Vera religio prior fuit Idololatria. *ibid.* Ægyptii primi Idololatræ ex Lactantio. 75. Auctor Idololatriæ potius Ninus nepos Noe. *ibid.* Idololatriæ objectum, aſtra, heroes, feræ. 76. Idololatriæ bellum intulit Chriſtus. *ibid.* Thare Abrahami pater non fuit Idololatra. 89
Ignorantia. Ignorantia pœna eſt peccati originalis etiam poſt baptiſmum. 40. Cur dicta ſit peccatum a S. Auguſtino? *ibid.* Quando peccatum ſit? 41. Ignorantia invincibilis præcipuorum præceptorum juris naturalis non admittenda. 41. 42. In magnis jacet ignorantiæ tenebris qui ignorat peccari poſſe interdum per ignorantiam, ut ait S. Bernardus. 42
Imago. In quo ſita ſit Divina Imago in homine inſculpta. 15
Immortalitas. Status Integritatis non erat naturalis. 23. Quænam eſſet? *ibid.* Cibus requirebatur. *ibid.* Immortalitas hujuſmodi, & immortalitas Beatorum quomodo differant. 24
Inceſtus filiarum Loth. 102. An excuſari in eo poſſint? *ibid.*
Innocentiæ ſtatus. *Vide* ſtatus innocentiæ.
Inſecta. Eorum generatio. 79. Quomodo poſt diluvium propagata, etiam in America. 79. 80
Invidia Caini. 54
Iris fuit ante diluvium. 69. Poſt diluvium ſignum eſt fœderis. *ibid.*
Juſtificatio quomodo fidei adſcribatur. 93. Fiducia remiſſionis peccatorum caſtigatur. *ibid.* Fides in Chriſtum omni ævo neceſſaria fuit ad Juſtificationem. 94. Operum neceſſitas. 93
Juſtus. *Vide* Teſtamentum vetus.

L

LEx Naturæ invincibiliter ignorari non poteſt. 42. Ciceronis de lege naturali cuivis nota præclarum teſtimonium. *ibid.* mens S. Thomæ. *ib.* Quæ Legis naturalis ſunt non fiunt ſine Gratia Dei. *ibid.* *Vide* Matrimonium, Sacramenta, Sacrificia.
Liberum Arbitrium manet poſt peccatum. 44. Quomodo perditum ſit ſecundum S. Auguſtinum, nempe quantum ad perfectionem, non quantum ad ſubſtantiam. *ibid.* Periit libertas ut erat in Paradiſo. *ibid.* *Vide* Peccatum.
Libido & ſcelera Sodomitarum. 100
Lingua omnium una fuit ante turrim Babel. 73. Non fuit Cimbrica. 83. Neque Celtica vel Aremorica. *ibid.* Non fuit Caldaica, neque Syra

Cal-

Caldaica, neque Æthiopica, neque Sinenſis. *ibid.* Lingua illa prior fuit Hebraica. 73. 83. Lingua Hebraica conſervata fuit in familia Heber. 73. 84. Ex Hebraica lingua oriuntur Caldaica, Arabica, Phoenicia, ſeu Chananæa, Græca, Latina, Saxonica, Theutonica, Celtica, Aremorica, Gallica, Hiſpanica, Italica &c. 83. 85. Numerus linguarum poſt confuſionem. 73 84

M

Maledictio Noe. 71. Malitia hominum ante diluvium. 52

Malum. Malum eſſe naturam quandam ſubſiſtentem contendunt Philoſophi Magi Perſarum, & Manichæi hæretici. 38. Erroris arguuntur. *ibid.*

Materia a Deo creata eſt. 7. Deus non eſt. *ibid.*

Matrimonium Conjugatorum unio, & amor. 32. In ſtatu innocentiæ extitiſſet conjugalis concubitus. 14. Unica Adamo uxor a Deo data. 13. Matrimonii vinculum indiſſolubile. 44. *Vide* Polygamia.

Mendacium nunquam licitum. 92. Non eſt mentiri ſilere quod verum eſt. *ibid.* Abrahamus non eſt mentitus dum Saram ſororem vocavit, non uxorem. *ibid.* neque quum Iſaacum immolaturus dixit ſervis ſuis *revertemur ad vos*. 99. Mentitus non eſt Deus, quando Abimelecho, qui Saram ſuſtulit, mortem minatus eſt. 99. 100. Neque Iſaias dicens Ezechiæ, morieris. *ibid.* Neque Jonas dum civitati Ninive ruinam minatus eſt. *ibid.*

Meſſias. Meſſias venturus oſtenditur, dum ſerpenti Deus maledicit. 11. Meſſiæ fides ſemper fuit ad ſalutem neceſſaria. 47. Patriarcharum vota, Jacobi morituri Vaticinium. 11. Meſſias Abrahamo promiſſus. 90. *Vide* Chriſtus.

Miſericordia Divina maxima. 93. Miſericordia Dei erga primos parentes lapſos. 35

Montes. Quorundam montium fabuloſa ſublimitas. 52

Mors eſt pœna peccati. 22. Mors hominis ſtatim ſequuta eſt lapſum Adami, hoc eſt, lex, & neceſſitas moriendi. 36

Mulier. Mulieris procreatio ex Adami latere. 13. Fœminæ fuiſſent in ſtatu innocentiæ. 15. Non ſunt præter intentionem naturæ. *ibid.*

Mundus. Mundi creatio. 7. Non fuit temere productus ex corpuſculis. 33. Mundi æternitatem propugnat Ariſtoteles. *ibid.* Mundi æternitas, & antiquitas apud Ethnicos rejicitur. Præadamitarum inſulſum commentum. 13. Qua anni tempeſtate conditus fuerit mundus. 7. Vere creatum fuiſſe probabilius eſt. 34. &c. Mundus factus eſt propter hominem, homo propter Deum. 7. Sex diebus conditus eſt, non uno eodemque inſtanti. 8. Sapientiſſime a Deo productus. 9. Mundi ætates ſex a creatione ad Chriſtum natum, earumque periodi. 3. Mundi, ſive orbis terrarum diviſio Geographica. 76. Novi orbis incolæ quomodo deſcenderint ex Noe. 78. &c. Mundum poſt diluvium replent poſteri Noe. 73. Numerus hominum paulo poſt diluvium. 74

N

Natura humana. *Vide* ſtatus Naturæ humanæ.

Naturalis Lex. *Vide* Lex Naturæ.

Nigror quorumdam populorum unde oriatur. 78

Nuptiæ. *Vide* Matrimonium.

O

Obedientia Abrahami. 98. 99. Iſaaci. *ibid.* Opera præter fidem neceſſaria. 94

Opera creationis ſex diebus abſoluta. 7

Opiniones quædam vel impiæ, vel minus probabiles, variorum Scriptorum vel Ethnicorum, vel Hæreticorum, vel Catholicorum etiam, quæ in hoc tomo rejiciuntur. Aben-Eſræ de morte & propenſione ad malum Enochi. 59. Adamitarum turpium hæreticorum. 49. Ariſtotelis mundi æternitas. 33. Antipodæ rejecti, tum ab eodem, tum ab aliis. 77. Afferta antiquitas Zoroaſtri. 107. Baji de ſtatu naturæ puræ. 16. De libero arbitrio. 44. De ignorantia. 41. Barcephæ de fructu vetito conjugii. 32. Becani, & Torrentii de lingua Cimbrica omnium prima. 83. Beroſi Anniani de genitis a Noe Titanibus poſt diluvium. 11. Cajetani de genitis a Noe filiis poſt diluvium. 71. Cainitarum, Chainum colentium. 56. Calviniſtarum de concupiſcentia & baptiſmo ſententiæ. 39. Cani arguentis Abrahamum mendacii. 100. Caſuiſtarum laxorum de ignorantia. 41. Davidis de Dinanto impia ſententia de materia & Deo. 7. Democriti de Mundi & hominis origine. 33. Epicuri de Divina Providentia, Animi natura, Inferis, Mundo, & Homine. 9. 33. Hermogenis Hæretici de æterna materia. 7. Hugonis de S. Victore aliorumque veterum Scholaſticorum de Gratia ſanctificante non collata Adamo in creatione. 16. Janſenii Iprenſis Epiſcopi circa arbitrii libertatem. 44. Circa ignorantiam. 41. Circa ſtatum naturæ puræ. 17. Circa Gratiam Sanctificantem Adamo primum collatam. 16. Circa auxilia Gratiæ primi hominis & Angelorum. 26 Circa clavim doctrinæ Auguſtinianæ. *ibid.* Joſephi Hebræi de vitæ humanæ brevitate. 69. Lactantii de Antipodis. 77. De brutorum anima. 81. De Angelorum corporibus & commercio cum mulieribus. 58. Lutheranorum de concupiſcentia & baptiſmo. 39. Magorum Perſidis & Manichæorum de mali natura. 37 105 Mahometis de Iſaaco, & Iſmaele. 98 Marſhami Angli de Sacrificio Abrahami. 103 De origine Circumciſionis, aliorumque rituum Moſaicorum. 94. Melchiſedechianorum 90 Origenis de Paradiſo terreſtri. 31 De anima aſtrorum & belluarum. 81. Pelagianorum, maxime Juliani de concupiſcentia bona. 38. 39. De ignorantia. 42. Pereyræ, Iſaaci, de Præadamitis. 13. De diluvio. 53. 54. Pezronii de Celtica lingua omnium prima. 83. Pythagoreorum de mali natura. 38. Rabbinorum de Adamo. 13. 14. De Abraham, & Aran. 88. De Caino, an fuerit occiſus a Lamech. 54. Ruperti Abbatis de Adami ſalute. 47. Sethianorum hæreticorum. 56. Spenceri de origine Circumciſionis, & aliorum rituum. 94. Tatiani de Adami ſalute. 55. 56. Tertulliani de libro Enoch. 60. de corpore Angelorum, & com-

mercio cum mulieribus. *ibid.* Toſtati excuſantis ædificatores turris Babel. 73. Opiniones aliæ rejectæ, ut Philoſophiſmus. 43. Probabiliſmus. *ibid.* &c.

Originale peccatum. Duo expoſcit, conſenſionem voluntatis hominum cum voluntate Adami capitis, & privationem juſtitiæ originalis. 46. In Adami poſteros transfunditur. *ibid.* Modus transfuſionis. 46 47. Ejus effectus. 17. Mors. 37. 47. Dona gratuita ablata, & vulnera facultatum naturalium *ibid.* Ignorantia, malitia, infirmitas, concupiſcentia. 37. 38 Inferorum cruciatus, Dæmonum inſultus. 47. Dolor in partu, labor in excolenda terra, aliæque ærumnæ. 36 Remedium peccati originalis in Lege naturæ. 46. Signum externum permittebatur hominum arbitrio. 47. Originale peccatum ignoratum ab Ethnicis, eos in maximas conjecit difficultates. 11

Originalis juſtitia erat ordo, & rectitudo totius hominis, mentis, appetitus, & corporis. 19. Non eſt Gratia naturalis, 20

Origines quædam. Bellorum initia. 74. Circumciſionis & aliorum rituum. 94. Cultus ſolemnis Divini. 58. Idololatriæ ab Ægyptiis ex Lactantio. 75. Seu potius a Nino. *ibid.* Linguarum variarum. 73. 84. Polygamiæ. 55. Regnorum quorundam. 75. Sculpturæ, vel conſimilis artis, fortaſſe a Prometheo. 33. Vitis colendæ. 70

P

Paradiſus terreſtris. 29. 30. Ubinam ſitus. 7. 30. 31. Corporeus fuit non allegoricus. 30. Non perſtat niſi ejus ſolum, ſublata diluvii aquis amœnitate. 30. 31. Cherubim præ foribus Paradiſi. 30. Incertum eſt an eo translatus ſit Enoch. 60

Peccatum. Nulla eſt peccandi neceſſitas in ſtatu naturæ lapſæ. 44. Niſi moralis quandoque. 45. Non requiritur ad peccandum ut quis actu attendat ad peccati malitiam. 42 Peccati Philoſophici commentum rejicitur. *ibid.* Peccatum primorum parentum. 30. Superbia fuit. 34. 35. Immo peccatum generale. *ibid.* *Vide* Originale, Veniale.

Peregrinationis Iſraelitarum, a promiſſione facta Abrahamo, Anni 130.

Pentateuchus a Moyſe ſcriptus, quod oſtenditur ex traditione Judæorum, & Ethnicorum teſtimoniis. 9. Fons eſt unde plura hauſerunt Scriptores cæteri. 10. A quo recognitus, mortuo Moyſe. *ibid.* Hiſtoria Pentateuchi prioris ævi Moſi nota etiam citra revelationem. 12. *Vide* Scriptura Sacra.

Philoſophi materiam æternam ſtatuerunt. 7

Pœnitentia. An imminente diluvio aliquos pœnituerit ſuorum ſcelerum. 63. Tempus pœnitentiæ ante diluvium, centum viginti anni. 69

Polygamia ante diluvium vetita. 50. Polygamia Lamechi e Caini ſtirpe damnatur. 55. Permittitur poſt diluvium ob vitam hominum breviorem. *ibid.* Polygamia Abrahami licita. 102

Præceptum de non comedendo fructu vetito ortum a Dei dominio. 103. Præceptum Sabbati. 8. Præcepta Noachidarum, ſeu Gentium, ut Hebræi dicunt, fuerunt ſeptem. 70

Primi homines. Quamdiu in Paradiſo egerint. 31. *Vide* Fructus, Gratia, Peccatum, Præceptum, Status innocentiæ.

Probabiliſmus. Ejus pernicies. 41. 42. Illum maxime execratur Eccleſia Gallicana. *ibid.*

Prophani Scriptores plurima e S. Scriptura hauſerunt. 33. 82

Proſelyti portæ & domicilii apud Hebræos, non legem Moſaicam, ſed præcepta Noachidarum colebant. 70

Providentia Divina elucet in Mundo. 33

R

Religio, cultuſque Divinus, tum interior, tum exterior in lege naturæ. 47. 48. Cultus exterior ſine interiori inanis. 49.

Ritus varios acceperunt Ethnici ab Hebræis, non contra Hebræi ab Ethnicis. 104. 105

S

Sabbatum. Sabbati inepta Ethymologia a Sabbo, ſeu ulcere. 58. Sabbati Sanctitas etiam in ſtatu innocentiæ. 58. Sabbati præceptum. 64. Sanctitas Sabbati Judaici comperta quoque Ethnicis. 24. Dominica dies ejus loco Chriſtianis ſolemnis. *ibid.* Annus Sabbaticus. 8.

Sacerdotium Melchiſedechi. 91. Abrahami. 92

Sacramenta inſtituta fuiſſent Adamo non peccante. 21. 22. Sacramenta legis naturæ. 47

Sacrificium. Sacrificia legis naturæ. 76. Fuerit ne Deo grata animalium brutorum immolatio. 49. 50. Sacrificium Abelis, & Caini. 54. Sacrificium Melchiſedechi typus Euchariſtiæ. 90. Sacrificium Abrahami. 91. Non petitum ab Idololatris, qui non adhuc filios ſuos immolaverant dæmonibus. 104. Sacrificium illud repræſentabat ſacrificium Crucis. 97. Holocauſta, Sacrificia impetratoria, propitiatoria, & Euchariſtica. 77. Sacrificium Chriſti repræſentabant. *ibid.* Sacrificiorum quorundam apud Ethnicos inhumanitas. 104. 105

Sancti Veteris Teſtamenti. In eorum honorem Romana Eccleſia non ſolet dies feſtos ſtatuere: aliquot tamen Sanctorum faſtis adſcribuntur. 104. 102

Sanguinis. *Vide* Carnes.

Scientia. Primi parentes an ea uſi fuerint? 28. Scientia boni & mali quænam eſſet? 34. Cognitio nuditatis poſt peccatum experimentalis. 29

Scriptura Sacra. Duplex verſio ſeptuaginta Interpretum. 85. Septuaginta Interpretes prophetico ſpiritu afflati fuerunt. 86. 87. Origenis Hexapla. 87. Codices Hebræi, Græci, & Samaritani in Chronologia primæ, & ſecundæ Mundi ætatis diverſi. 107. Chronologia Hebraicorum codicum aliis præſtat. 110 Vulgatæ editionis auctoritas. *ib.* 63. Samaritanorum codicum diſcrepantia. 61. Quid dicendum de Cainane poſt diluvium apud Septuaginta interpretes, & S. Lucam? 85. De Cantabrigenſi codice. *ibid.* Quid de annis Mathuſalem. 60. 61. Quid de Genealogia Chriſti apud Matthæum. 86. Fabulæ Ethnicorum ex abuſu Sacræ Scripturæ. 33. Sacræ Scripturæ diverſitas a prophanis Scriptoribus in flagitiis, quę narrat quandoque. 101. 102. *Vide* Pentateuchus.

Septuaginta Interpretes. *Vide* Scriptura Sacra.

Statua

Statua Salis in quam mutata fuit uxor Lot. 100
Status Naturæ humanæ octo. 16. In ſtatu naturæ puræ non fuiſſet pugna concupiſcentiæ & rationis. *ibid.* Status naturæ puræ non repugnat. 17. In hoc ſtatu non fuit creatus Adamus. 16. Homo in ſtatu naturæ lapſæ minores habet vires quam habuiſſet in ſtatu naturæ puræ. 43. ſtatus innocentiæ felicitas. 37. In eo homines poſt felicem, diuturnamque vitam, ſine morte translati fuiſſent ad cæleſtem beatitudinem. 24. In ſtatu innocentiæ nati fuiſſent homines cum juſtitia originali. 19. Quid ſit juſtitia originalis? 18. Non fuiſſet in eo ſtatu concupiſcentia. 14. Neque peccatum veniale. 19. Fuiſſet conjugalis concubitus. 14. Fuiſſet diverſitas Sexus, ætatis, ſcientiæ, juſtitiæ, temperamenti, &c. De Dominio in eodem ſtatu. *ibid.* Pueri non fuiſſent tunc nati cum perfecto uſu rationis, & membrorum. 19. 22. Non videbatur in eo ſtatu Divina Eſſentia. 20. ſtatus innocentiæ non eſt dicendus Gratia naturalis, 20. In eo erat fides. 21. *Vide* Concupiſcentia, originalis juſtitia, Sacramenta, &c.
Suffocatum. *Vide* Carnes.
Superbia eſt perverſæ celſitudinis appetitus. 34. Peccatum primi hominis. *ibid.*

T

Tabernaculum. Ejus origo. 94
Tempus antiquum. Ejus tripartita diviſio apud Varronem, in Obſcurum, Mythicum, ſeu fabuloſum, & Hiſtoricum. 12.
Tentatio. Juſti probantur a Deo tentationibus. 97. 98. Tentatio primorum parentum. 28. Serpens promiſit primis parentibus ſcientiam Angelicæ ſimilem. 29 Uſi non ſunt in tentatione ſcientia, qua præditi erant. 29. 30
Teſtamentum vetus, juſti Teſtamenti Veteris ad novum pertinebant, verba Hebræi, re Chriſtiani. 3
Tribulationes. Earum utilitas. 97. 98

V

Veniale peccatum cur in natura lapſa, non in innocenti? 19
Vineam primus coluit Noe. 70
Vita hominum poſt diluvium. 68 69
Vulgata Editio. *Vid.* Scriptura Sacra.

# INDEX HISTORICUS

*Rerum, quæ continentur in primo Tomo.*


A

ABELIS victimæ . 49. 54. Cœlibatus . 54. Abel occiditur . *ibid.* Ejus ſalus certa . 55. 56. Abel Chriſti figura . 65

Aben Eſra putat Enochum mortuum eſſe, ac fuiſſe ad malum propenſum . 60

Abrahamidæ, & Iſraelitæ dici volunt Hebræi; cæteros vocant Noachidas . 70

Abraham natus eſt anno . 53. non vero 30. patris ſui Thare . 88. Non fuit primogenitus, ſed minor fratre Aran . 89. Abrahami geſtorum Synopſis . 97. &c. Ejus generationes decem . *ibid.* Abrahami fides, & juſtitia . 93. Sacrificium . 50. 97. non ſumptum ab Idololatris . 103. 104. &c. Abrahamus fuit Sacerdos . 91. Ei plura Deus promittit . 89. 90. Meſſiæ quoque adventum . *ibid.* Illius polygamia licita . 102. Non eſt mentitus . 92. 99. Vincit quatuor Reges . 100. Abraham Chriſti typus . 102. *Vide* 108. 109. 110.

Abydenus, Ethnicus Scriptor, agit de turri Babel . 82

Adamitæ hæretici turpes . 56

Adamus . Etymologia hujus vocis . 7. 13. 14. Vixit annos 930. 51. Ejus filii præter Abelem, Cainum, & Sethum . 56. Adamus totius humanæ ſpeciei origo . 32. Ejus ſomnus . 30. & coſta . 31. An fuerit conditus cum gratia . 16. Non fuit creatus in ſtatu naturæ puræ . *ibid.* In ſtatu innocentiæ fidem habuit . 23. non vidit tunc Divinam Eſſentiam . *ibid.* Tentatur . 28. Peccat ex nimio erga uxorem amore . 81. Ejus ſalus certa . 55. 56. Fuit Chriſti figura . 65

Aegyptiorum fabuloſa antiquitas . 12 72.

Agar fuit uxor Abrahami . 102. Typus Legis Moſaicæ . 103. 104.

Alexander de Ales cenſuit Adamum non fuiſſe creatum cum Gratia Sanctificante . 16

Alexander Polyhiſtor diluvii meminit . 53. & Moyſis . 10

Almarici diſcipulus David de Dinanto impie de Deo ſentit . 7

Amalecitæ Abrahamo multo poſteriores, quamvis ejus ævo habeatur regio Amalecitarum per anticipationem . 90

Ammonitæ ex Loth oriuntur . 101

Aran frater Abrahami, eodemque major natu . 89

Ariſtoteles mundi æternitatem adſtruere nititur . 33. negat Antipodas eſſe . 34. Antiquiorem, ac par ſit, facit Zoroaſtrum . 106

Arphaxad . 107. 108. 109

Aſſyriorum vetuſtas, & commenta . 12

S. Auguſtinus . Ejus Sententia de diebus creationis . 8. Nulla nota illi inurenda eſt . *ibid.* Antipodas credidit figmentum . 77.

B

BACCHUS non fuit primus vineæ cultor, ſed Noe . 70

Bahal idem ac Belus, ſeu Nembrod . 75. 76

Bajus Michael . Ejus ſententia circa ſtatum naturæ puræ . 17. circa liberum arbitrium . 44. circa ignorantiam . 41

Barcepha Moſes exiſtimat fructum vetitum in Paradiſo fuiſſe uſum conjugii . 32

Becanus, Joannes Goropius, cenſuit communem linguam primorum hominum fuiſſe Cimbricam . 83

Belus idem ac Nembrod . 75

Beroſus apud Joſephum diluvii meminit . 53. Agit de Moyſe . 9

Beroſus Annianus putat natos fuiſſe poſt diluvium Gigantes, dictos Titanas, filios Noe . 71

Bochartus vir eruditiſſimus, ejuſque Phaleg. 72. 73. 77

S. Bonaventura negat Adamum conditum fuiſſe cum Gratia ſanctificante . 16

C

CABRAL Hiſpanus e Luſitania ſolvens, procellarum vi in Braſiliam adſportatur . 78

Cajetanus Cardinalis Thomas de Vio exiſtimat, Noe poſt diluvium filios procreaſſe . 71

Caninan filius Enoſi ante diluvium . 51. 59

Cainan alter poſt diluvium inter Arfaxad & Salem an ſit ſuppoſititius . 85. Admittendus videtur . 88. Non perturbat Chronologiam Hebraici textus & Vulgatæ . 87. 108

Cainitæ hæretici Cainum venerantur . 56

Cainus . Ejus munera . 48. 49. Ejus ſcelus . 54. Cainus non eſt occiſus . *ibid.* Noluit Deus Caini ſtirpem cum Sethi filiis miſceri . 50

Calviniſtæ hæretici putant concupiſcentiam peccatum eſſe, & baptiſmo tegi, non vero deleri . 43

Canus, Melchior, vir doctiſſimus caſtigatur . 100

Carthaginenſes Saturno homines immolabant . 104. 105

Celtica Lingua non fuit omnium prima . 83

Cenſorinus . 12

Cetura fuit Abrahami uxor . 102

Chaldæorum antiquitas fabuloſa . 72

Cham filius Noe . 66. Parum in patrem pius . 70. Ejus filio maledicit Noe . 71

Chanaan non fuit in Arca genitus a patre Cham . 71

Ciceronis pro lege naturæ omnibus nota præclarum teſtimonium . 42

Cimbrica Lingua non fuit omnium prima . 83.

Cleopatræ Aegypti reginæ Bibliotheca igni conſumpta . 85

Codorlahomor rex Elamitarum victor . 100. Ab Abrahamo victus . *ibid.*

Cointius, Antonius . Ejus adnotationes in Chronolo giam

giam Nicephori improbantur, quod a vulgatæ Chronologia recedant. 110
Columbus, Chriſtophorus, primus detexit inſulas quaſdam novi orbis. 77

D

DAVID de Dinanto, Almarici diſcipulus, Deum cum materia prima impie confundit. 7
Democriti de mundi & hominis origine inepta ſententia. 33
Deucalionis diluvium idem atque Noeticum. 63
Diodorus Siculus quid ſentiat de Moyſe. 9. Diluvii meminit. 53. Ejuſdem fabuloſæ antiquitates. 75.
Duns. *Vide* Scotus.

E

ENCRATITÆ hæretici. 55. 56
Enoch non eſt mortuus. 59. Ubi nunc degat incertum. 60. Contra Antichriſtum in fine mundi pugnabit, morietur, atque reſurget. 59. Quid de eo Rabini quidam ſentiant. *ibid.* Ejus nomine inſcriptus liber Apocryphus. 60.
Enos Patriarcha ante diluvium ſolemnes preces inſtituit. 49. Dictus ob id invocare cœpiſſe nomen Domini. 58
Epicurus male ſentit de origine mundi & hominis, de Divina Providentia, de Animi immortalitate, & de inferis. 33
Eſdras ſacros Libros recognovit. 10
Evæ origo. 13. 30. Tentatio. 28. Salus certa. 55. 56
Eupolemi Scriptoris ethnici judicium de Moyſe. 10. Agit de turri Babel, & hominum diſperſione per orbem terrarum. 82

H

HARDUINUS, Joannes. S. J. ſcripſit de Chronologia Veteris Teſtamenti. 87. 88.
Heber Patriarcha. 108. 110. Propheta fuit. 74. Ejus familia neque ſubiit pœnam diſperſionis, neque antiquam communemque prius linguam Hebraicam dedidicit. 83. 84
Hebræi, an ita vocati ſint ab Heber Patriarcha? *ibid.*
Hebraica Lingua prima, & quondam communis. 83
Cæteræ ex illa naſcuntur. *ibid.* Conſervata fuit in familia Heber. *ibid.*
Hecatæus de Moyſe quid ſentiat. 10.
Henoch. *Vide* Enoch.
Hercules. Eum ob res fortiter geſtas primi Idololatræ coluerunt. 76
Hermogenes hæreticus materiam æternam, & a nullo productam docuit. 7
Huetius Epiſcopus Abrincenſis vir doctiſſimus. 96. 105. 106. Moyſi vindicat Pentateuchum. 10. Edidit opuſculum de Paradiſo terreſtri. 31. Quid cenſeat de prima hominum Lingua. 83. Sæpius Origeni favet. 81. Illum tamen alicubi caſtigat. *ibid.*
Hugo a S. Victore negat Adamum conditum cum Gratia ſanctificante. 16

I

IANSENIUS Iprenſis Epiſcopus. Rejiciuntur quædam ejus placita circa arbitrii libertatem. 44. 45. Circa ignorantiam quamlibet peccato apud illum obnoxiam. 39. Circa ſtatum naturæ puræ. 17. Circa Gratiam ſanctificantem Adamo, ut primum creatus eſt, collatam. 16. Et circa Gratiam primi hominis & Angelorum. 26. Quænam ſit clavis doctrinæ Auguſtinianæ ex Janſenio? 27
Japhet Noemi filius. 66. Primogenitus. 71
Jared. 51. 59
Job ſacrificia. 49
Jonas propheta mendax non fuit. 99
Joſephus Hebræus exiſtimat vitam hominum poſt diluvium annis centum viginti claudi. 69
Joſue quid addiderit Pentateucho. 10
Iſaac male in Alcorano poſtponitur Iſmaeli. 98. Ejus holocauſtum. 98. 99. Typus ſacrificii Crucis. *ibid.* Iſaac typus Chriſtianorum. 103
Iſaias Propheta mentitus non eſt. 98. 99
Iſmael male præponitur Iſaaco in Alcorano. 99. Typus fuit Judæorum. 103
Julianus Pelagianus cenſuit concupiſcentiam, rationi obluctantem, bonam eſſe & a Deo. 39
Julianus Toletanus Antiſtes. Ejus tertius Liber improbatur, quod nimis adhæreat Chronologiæ lxx. Interpretum. 110.
Jupiter. Ejus flagitia. 101
Juvenalis, ſatyrographus, Moyſis meminit. 9

L

LACTANTII nævi. 58. Antipodas ut fabulam rejicit. 77. Brutis animantibus nimium favet. 81
Laertius, Diogenes. 105
Lamech ex Caini ſtirpe. Polygamiæ etiamnum vetitæ auctor. 54. Cainum non occidit. *ibid.*
Lamech, alter filius Mathuſalem, & pater Noe. 61
Longini, Zenobiæ reginæ Palmyrenorum a conſiliis, & ſtudiis, judicium de Moyſe. 9
Loth nepos Abrahami ab eo in libertatem vindicatur. 100. Angelorum ope illæſus. *ibid.* Ejus ebrietas, & inceſtus. 101. Damnatur ebrietas, & inceſtus, immo peccat etiam dum filias exhibet Sodomitis. 105. Lothi virtutes, & ſalus æterna. *ibid.* Uxor Loth ſalis ſtatua effecta. 100
S. Lucas. Ejus Evangelium nullibi interpolatum. 85. 86
Luciani teſtimonium de diluvio. 62
Lutherani hæretici docent concupiſcentiam eſſe peccatum; ſed non imputari propter baptiſmum. 39

M

MAGI Perſarum. Eorum Religio. 105. Quid ſenſerint de mali natura. 38. 105
Mahometes. 98. 105. 106.
Malaleel. 59
Manes & Manichæi hæretici exiſtimant malum

eſſe naturam quamdam Subſiſtentem. 38
Manetho de Moyſe agit. 10
Manichæi. *Vide* Manes.
Marshamus male ſentit de origine circumciſionis, & aliorum rituum Legis Moſaicæ. 94. Audax ejuſdem ſententia de Iſaaci Sacrificio. 104
Mathuſalem. 51. Mortuus eſt ante diluvium, quicquid in codicibus lxx. Interpretum legatur. 60. 61
S. Matthæus cur quoſdam prætermiſerit in Genealogia Chriſti? 86
Melchiſedech quiſnam fuerit. 90. Ejus oblatio, ſacrificium, Sacerdotium, benedictio, decimæ. 49. 91
Melchiſedechiani, hæretici. 90
Moabitæ a Loth oriuntur. 101
Moyſes ſcriptor vetuſtiſſimus. 10. 95. Pentateuchi auctor. 9. Ejus laudes a quo fuerint inſertæ Pentateucho? 10. Etiam citra revelationem prioris ævi hiſtoriam callebat. *ibid.* Potuit citra revelationem, hiſtoriam Sacram didiciſſe a filiis Joſephi, hi a Jacobo, Jacobus ab Iſaaco, Iſaacus a Semo, Semus a Mathuſalem, Mathuſalem ab Adamo. 11. 12

N

NACHOR. 1. 109. 110
Nembrod, dictus eſt a Prophanis ſcriptoribus Belus. 75. Saturnus Babylonicus, Juppiter. 76
Nicolaus Damaſcenus agit de Moyſe. 10
Ninus rex Aſſyriorum & Babyloniorum. 74. 76. Idem atque Aſſur. 76. Idololatriæ auctor. *ibid.* Diodori commenta. 75
Noachidæ vocantur ab Hebræis illi qui Hebræi non ſunt, 70. Septem eorum præcepta. *ibid.*
Noe. 51. Dictus eſt ab Ethnicis Siſuthrus, vel Siſithrus, & Xiſuthrus. 53. & Oſiris. *ibid.* Ob juſtitiam fuit ſervatus in diluvio. 61. Ejus arca. 52. 62. Ejus Sacrificia. 49. 50. Altare erexit poſt diluvium. 69. Fuit Chriſti typus. 65. Vineam coluit primus, non Bacchus. 70. Ejus ebrietas ac nuditas. *ibid.* Ejus poſteri in omnem regionem diffuſi, etiam in Americam. 78. non genuit poſt diluvium Titanas. 71
Numenius tractat de Moyſe. 10

O

OGYGIUM diluvium idem quod Noeticum. 62
Origenis errores. Paradiſum terreſtrem cenſuit non fuiſſe corporeum, ſed tropologice de eo Moyſem loquutum. 31. Ejus ſententia de anima, & cognitione aſtrorum, & belluarum. 81
Oſiris Ethnicorum idem atque Noe. 53
Oxiartes rex Bactrianorum cum Nino pugnavit. 105

P

PASCHALIS, Blaſius. Ejus cogitata. 11
Pelagiani, ac Pelagius cenſent concupiſcentiam rebellem bonam, & a Deo eſſe. 38. Et ignorantiam nunquam obnoxiam eſſe peccato. 41
Pereyrus, Iſaacus, Præadamitarum auctor, primum Calvinianus, poſtmodum Catholicus. 14. Negavit diluvium fuiſſe univerſale. 53
Perſæ. *Vide* Magi.
Petavius vir doctiſſimus. 74
Pezronius, Paulus, Ciſtercienſis Monachus, docet Celticam linguam omnium primam extitiſſe. 83
Phaleg. 107. 108. 109. Idem valet ac diviſio. 73
Philocorus quid ſentiat de Moyſe. 10
Platonis de Moyſe judicium. *ibid.*
Plinius Moyſis meminit. *ibid.*
Plutarchus Moyſis meminit. *Ibid.* & diluvii. 53
Porphyrius agit de Moyſe. 10
Præadamitarum fabula. 105
Prometheus hominem e luto finxiſſe dictus 33. Fortaſſe artis ſtatuariæ inventor. *ibid.*
Pythagoras quid ſentiat de Moyſe. 10 Pythagoræorum error circa mali naturam. 38

R

REhu. 108. 109
Rupertus Abbas falſo credidit probabilem eſſe æternam Adami damnationem. 55

S

SAnguens, Ordinis Minorum, vir doctus, ſcripſit de cauſa, & origine peſtis, quæ anno 1720. in Provincia graſſari cœpit. 80
Sale. 108. 109
Sanchez, Alphonſus Bæticus, primum oram maritimam Americæ luſtravit, ſuaque Scripta dedit Veſpuccio. 78
Sara Abraham uxor & filia Aran fratris Abrahami 88. 89. Uxor, & neptis, quanquam more Hebræorum dicitur ſoror Abrahami. 92. Uxor ejuſdem præcipua, & materfamilias. 102. 89. Sterilis erat quum Deus prolem pollicitus eſt. 90. Typus fuit legis Evangelicæ. 103
Sarug. 108. 109
Saturnus Babylonius idem ac Nembrod. 76
Scotus negat Adamum conditum fuiſſe cum Gratia ſanctificante. 16
Sem filius Noe. 66. 107. An fuerit primogenitus. 71. Ex Semo Patriarchæ, Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli. *ibid.*
Seth filius Adami. 56. 51. Pius fuit. 56. Ejus filii dicuntur filii Dei. *Ibid.* Uxores e Caini Stirpe ducere non poterant. 50
Sethiani hæretici Sethum colunt ut Chriſtum. 56
Sinarum fabuloſa antiquitas. 12
Sixtus Senenſis perperam Origenem defendit. 81
Smerdes Magus rex Perſarum. 105. 106
Sodomitarum flagitia. 100
Spencerus male ſentit de origine quorundam rituum Moſaicorum. 94
Strabo de Moyſe agit. 10

Taci-

## T

Tacitus hiſtoricus meminit Moyſis. 10. In rebus Judaicis rudis. 95.
Tatianus auctor hæreſis Encratitarum negavit æternam Adami ſalutem. 55
Tertullianus falſo credidit genuinum librum Enoch, & illinc hauſit ſententias quaſdam perabſurdas. *60*
Thare Abrahami pater. 108. *109.* 110. Abrahamum genuit, non *70.* ſed 130. anno ætatis 88. Non fuit Idololatra. *89*
Theopompus quid de Moyſe ſentiat. 10
Thomaſſinus, Ludovicus, linguarum Orientalium peritus. 83. Linguam Hebraicam omnium primam cenſet. 32. Docet Adamum in ſtatu innocentiæ vidiſſe Divinam Eſſentiam. 21
Titanas poſt diluvium non genuit Noe. 71
Torrentus, Levinus, cum Becano putat primam linguam fuiſſe Cimbricam. 83
Toſtatus excuſat ædificatores turris Babel. 73
Trogus Pompejus de Moyſe agit. 10

## V

Varro doctiſſimus Romanorum. 12
Veneris turpitudo. 101
Veſpuccius, Americus, Florentinus Americam detegit. 77
Voſſius, Joannes Gerardus, vir eruditus, ſcripſit de Idololatria. *76*
Waltonus Anglus in Bibliis Polyglottis quid ſentiat de prima hominum lingua. 83

## Z

Zoroaſter. 105. Fuit Moyſe poſterior. *ibid.* Ejus antiquitas fabuloſa. 106. Falſo dicitur inveniſſe arte magicas. 105. *106.* Multa a Moyſe accepit. *ibid.* Ejus commendatio. *ibid.* Non eſt ſuppoſititius, neque duo fuerunt ita vocati. 107

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

# INDEX RERUM
## TOMI SECUNDI.

### A

ABſtinentia Chriſtianorum . 103 Actiones earum duplex genus ; Quædam ex ipſa natura, & ſemper malæ, quædam non ita . 31

Adulterium , & alia Venerea prohibentur ſexto Decalogi præcepto . 185. Adulterium Davidis . 123

Ætas Mundi tertia annorum 116. a vocatione Abrahami ad profectionem Hebræorum ex Ægypto. 64. Ætas mundi quarta ab exitu Hebræorum ex Ægypto ad Templi ædificationem ſub Salomone. 68. 127. 128. 129. Complectitur 606. annos . *ibid.*

Æternum in Sacra Scriptura quandoque idem ac diu duraturum . 92

Agnus Paſchalis fuit Chriſti figura. 42. 99

Altare uni Deo dicandum . 82. Altare thymiamatis . 76. 79. 80. Altare holocauſtorum . *ibid.*

Amor Dei neceſſarius . 97. &c. Præcipitur primo Decalogi mandato . 81. Amor proximi . 96

Amphibologia , *Vide* Mendacium .

Angelus aliquis, non Deus ipſe apparebat Patriarchis ex vulgata ſententia, quæ tamen rejicitur . 22. Angeli exterminatores Ægypti . 19. Angelus vaſtator Ægypti Hebræis parcit . 39. Angelus Apparet Gedeoni . 117. Matri Samſonis . 119 Angelus, orante David, gladium recondit . 124.

Animalia quædam cur offerrentur in veteri lege ? 98

Annus . Ejus initium apud Hebræos . 39. Anni peregrinationis Hebræorum . 34. *Vide* Ætas Mundi .

Apparitio . Apparuit Patriarchis Verbum Divinum ſub humana ſpecie . 22

Apparitio in rubo . 18

Aqua dulcis efficitur injecta arbore . 69. fluxit e rupe tacta Moyſis virga . 70. Aqua zelotypiæ pro ſuſpectis fœminis . 90

Arca Fœderis . 76. In ea erant tabulæ legis , virga Aaron & manna. 78. 81. Ejus origo . 79. Arca a Philiſthæis capta . 121

Ariſtocratia, ſive regimen optimatum , ſub Moyſe . 64. Ariſtocratia Reipublicæ Hebrææ poſt ſolutam captivitatem Babylonicam . 24

Aſini effigiem ab Hebræis coli falſo & impudenter ſcripſit Tacitus . 36

Atrium tabernaculi . 79

Azymorum ſolemnitas . 41. Cur inſtituta ? 42. Cur primus, & ultimus dies Azymorum ſolemnes eſſent ? *ibid.*

Azymus panis . Eo utitur Eccleſia Latina in conficienda Euchariſtia ob Chriſti Domini exemplum .

### B

BAptiſmus . Ejus figura fuit Circumciſio . 99 Bellum juſtum . 85

Biblia ſacra . *Vide* Liber . Pentateuchus . Scriptura Sacra .

Beniaminus a fratre ſuo Joſepho valde dilectus . 16. 17. fuit, pater decem filiorum , quos tamen , dum una cum patre ſuo Jacobo deſcendit in Aegyptum , genuiſſe probabile non eſt . pag. 18

Bruta animantia non ſunt pura automata . 26

### C

CÆremoniæ Veteris Legis cur inſtitutæ in tanta multitudine ? 98. Earum ceſſatio . 100. *Vide* Lex vetus .

Cæremonialia præcepta veteris legis dividuntur in Sacrificia , Sacramenta , Sacra , & Obſervantias . 87

Candelabrum aureum . 83. 85. 87

Caritas, *Vide* Amor , Caritas erga proximum . 96

Caſtitas Joſephi . 16

Cherubini Propitiatorii . 83. 85

Chriſtus . Illum prænunciabant plura Pentateuchi oracula, & Sacrificia veteris Legis . 87. 99. Ejus figura fuit manna . 69. Agnus Paſchalis . 40. 99. Serpens æneus erectus . 74. Propitiatorium . 80. Joſephus 43. Job 44. Moyſes . 48. Aaron . 111. Joſue 114. David . 125. *Vide* 71. 80. *Vide* Fides .

Chronologia Sacra . Eam Hebræi non vitiarunt . 60

Ciborum delectus , 103

Cinifes in Aegypto . 18

Circumciſio . Quomodo dicatur æternum duratura ? 92

Ciſtæ Ethnicorum ex arcæ æmulatione . 79.

Cogitationes pravæ . 86

Columna , quæ Hebræis præibat . 19

Compenſatio an licita ? 26. 36

Conſecratio Sacerdotum, tam ſummi , quam aliorum in veteri lege . 95. 109.

Coturnices vento delatæ ad caſtra Hebræorum . 69

Crudelitas Simeonis & Levi in Sichimitas . 12

Cultus Dei internus neceſſarius . 96

### D

DÆmones . Eorum reſponſa . 29 Decalogus eſt lex naturalis litteris conſignata. 81. Ejus explicatio . *ibid.*

Directio operum in Deum neceſſaria . 97

Divinatio vetita . 81 Divinatio Joſephi prophetica . 15. 16. *Vide* ſuperſtitio.

Diviſio Terræ promiſſæ . 114

Doctrina & veritas , ſeu Urim , & Thummim in Rationali , 107 . 108. Non erat ſimulacrum ſuperſtitioſum . 109

Dominicæ diei Sanctitas . 84

E

EDucatio filiorum ad matrem pertinet, & multo magis ad patrem. 30. Pravæ educationis exemplum in Heli, & ejus filiis. 118
Eccleſia. Ejus leges colendæ. 104
Ephod. 107. 108
Errores varii, *Vide* opinio.
Euchariſtia conficienda eſt adhibito pane azymo apud Latinos. 40. Ejus figura fuit manna. 70

F

FŒminæ in oſtio Tabernaculi excubantes quænam eſſent? 107. Fœminæ ad idololatriam, & libidinem illiciunt. 74
Feſtum. Sanctificatio feſtorum. 83. Quomodo veteris legis ſignificarent noſtra? 99. Pœnæ non colentium feſta. 74. Feſta Hebræorum; Sabbatum, Annus ſabbaticus, Annus Jubilæus, Neomenia, Feſtum tubarum, expiationis, Scenopegiæ, ſive Tabernaculorum, Cœtus, ſeu Collectæ. 88. Paſcha, dies Azymorum, & Pentecoſtes. *ibid.*
Fides meſſiæ, ſeu mediatoris Chriſti Domini, fuit ſemper neceſſaria ad ſalutem. 22. & 23.
Figura. Sacramenta veteris legis fuerunt figuræ Sacramentorum legis Evangelicæ. 99. Feſta Moſaica ſignificabant noſtra. *ibid.* &c. Manna figura fuit Euchariſtiæ. 70. *Vide* Chriſtus.
Fœcunditas mulierum in veteri teſtamento Dei munus fuit. 28. Fœcunditas Hebræorum in Ægypto. 34. 35
Fornicatio ante legem moſaicam vetita. 30. Prohibita quia mala. *ibid.* Peccatum eſt grave cum obſit prolis certitudini & educationi. *ibid.* Præclarum S. Thomæ teſtimonium. *ibid.* Fornicatio vetita fuit ab Apoſtolis, quod Gentiles cenſerent, eam non eſſe peccatum. 103
Fugitivorum civitates. 114.
Furtum, ejuſque genus multiplex prohibetur ſeptimo decalogi præcepto. 85. 86. Quid ſentiendum ſit de multiplicatione gregis Jacobi? 26. Quid de Idolis Labani quæ ſurripuit Rachel? 28. 29

H

HÆreſis. *Vide* Opiniones.
Hircus emiſſarius. 88
Hiſtoria. Ad quos pertineret apud varias nationes memoriæ prodere hiſtoriam ſuorum temporum? 28
Hiſtorici, & ſcriptores prophani hiſtoriam ſacram fabulis adſperſerunt ut idololatriam ſtabilirent. 19. 21. Egerunt de captivitate Hebræorum in Ægypto. 19
Holocauſtum Sacrificium præſtantiſſimum. 87. 88
Homicidium, & alia cum illo prohibita in decalogo. 84. 85. &c. In bellis & judiciis juſtis non homo occidit, ſed lex. 84
Honor quibus debeatur. 84. 85

I

IDololatria primo decalogi præcepto vetita. 81. Idololatriæ peccatum. 52. Idololatria Hebræorum aureum Vitulum colentium. 72. Colunt Baal, ſeu Beelphegor, ſeu Priapum. 74. Pœnæ *ibid.* 115. Rachel idololatriæ non fuit addicta. 281. Idola Labani. 29. Idololatriæ ædiculas & templa portatilia falſorum Numinum conſtruunt poſt Tabernaculum moſaicum. 77. Sacra ethnicorum plena inhumanitate. 56. Idololatriæ cultus barbarus & obſcenus Molocho, atque Saturno præſtitus. 106. Idololatrarum Teraphin. 108
Jejunium. 103
Imaginatio. Ejus vis in fœtu. 26
Imagines in templo Hebræorum, & in Eccleſia Catholica. 82. Sacrarum Imaginum cultus. *Ibid.*
Immunditia legalis ejuſque ſpecies octo. 88
Incarnatio. Permiſſio ſcelerum ante, & poſt diluvium oſtendebat neceſſitatem Incarnationis. 1. Filius Dei apparens Patriarchis ſub humana ſpecie præludebat Incarnationi. 22
Inceſtus. Peccatum Ruben cum Bala noverca. 12
Inimicorum dilectio. 97
Intentio recta quandonam excuſet? 31
Invidia fratrum Joſephi unde orta fuerit? 13
Jubilæus annus. In eo agri venditi redibant ad priores dominos. 89
Judices in Republica Hebræorum quo jure & auctoritate fruerentur? 113
Judicialia præcepta Hebræorum, eorumque quadruplex genus ex Sancto Thoma. 89, &c. Tribunalia, Magnum Synedrium, &c. *ibid.* Judicialia præcepta veteris legis nunc ſunt mortua, non mortifera, & in quo ſenſu per Chriſtianos Principes revocari poſſent? 105
Juramentum. 13. 14. Tres conditiones ut ſit licitum. 82. Juramenti maximam rationem habendam eſſe docet Joſue. 112

L

LAbrum æneum. 76
Legalia ex SS. Auguſtino & Thoma ante Chriſti Paſſionem, neque mortua, neque mortifera erant; poſt Evangelii promulgationem ſunt mortua, & mortifera; a Paſſione Chriſti ad Evangelii promulgationem mortua erant, ſed non mortifera. 101. Legalia quandoque permiſſa Judæis fidelibus, non vero Ethnici ritus gentilibus, quia illa a Deo inſtituta erant, hi a Diabolo. *ibid.*
Qui legalia nunc obſervaret, eſſet ex S. Auguſtino impius Sepulturæ violator. 102. Cur Eccleſiæ quædam diu abſtinuerint a ſanguine & ſuffocato? *ibid.*
Lepra. Hebræi ex Ægypto exeuntes lepra non laborabant, ut Tacitus falſo ſcribit. 36. Lepra laboravit Jobus. *ibid.* Leges Moſaicæ circa leproſos. *ibid*
Leviratus. Jure Leviratus Onanus & Sela ducunt uxorem Thamar. 29. Quid eſſet hujuſmodi jus? 32. Notum Patriarchis antequam Lege Moyſis ſanciretur. *ibid.* Non fuit ab Ægyptiis petitum. 30
Levitarum civitates quadraginta octo. 114
Lex. Lex naturæ, *Vide* Decalogus. Lex naturæ

fere deleta erat ex hominum mentibus, hinc lex ſcripta ei adjicitur. 72. Legis veteris & novæ diſcrimen. 71. Lex vetus danda erat tempore Moyſis. 91. 60. ſolis Hebræis danda videbatur. *ibid.* Ea non obſtringebantur niſi Hebræi, demptis iis, quæ pertinebant ad legem naturalem. 91. Cur ceſſare debuerit? *ibid.* Quantum ad præcepta naturalia non eſt abolita. 92. Legis & Sacerdotii abolitio. 93. &c. 100. Lex Moſaica bona eſt, & a Deo. 90. Lex moſaica, quamvis ſancta, propria vi non conferebat veram juſtitiam. 58. Non tamen Deus reliquit homines in impotentia obſervandi legem. 58. 59. Lex moſaica, manifeſtando morbos & peccata, diſponebat ad quærendum Salvatorem Chriſtum. 59. Lex moſaica. *Vide* Cæremoniæ, Judicialia præcepta, Legalia, Præcepta, Sacrificium, Sacramentum. Lex Evangelica Moſaica multo præſtantior. 96. Præcellit antiquæ in cultu interno, in amore proximi, in dilectione inimicorum, in matrimonii vinculo, in juramentis, in patientia, & aliis. *ibid.* Leges condere poteſt Eccleſia. 104

Liber. Pentateuchi liber. *Vide* Pentateuchus. Liber Joſue. Ejus auctor fuit Joſue ætate jam provecta. 113. Eſdras ei addidit caput poſtremum, & alia. 114. Liber Job Canonicus. 47. &c. Quis Ejus auctor? *ibid.* Moyſi aſſerendus. *ibid.* Ejus elegantia. 48. Cur idiotiſmis linguarum Orientalium ſcateat? *ibid.* Liber Pſalmorum. *Vide* Pſalmorum liber. Liber Juſtorum, de quo fit mentio in libro Joſue, erat carmen Epinicium editum ſtatim poſt cæſos hoſtes Gabaonitarum. 113

Literæ veteres Hebraicæ erant eædem atque Chananææ, & Samaritanæ. 50. Jonum Græcorum literæ antiquiſſimæ ab eis non valde abludunt. *ibid.*

Lucernæ Candelabri. 74. 80

M

MAgia. Ab ea antiqui patres abhorruerunt. 16. Magi in Aegypto præſtigiis virgas in ſerpentes mutant. 18

Mandragoræ & earum vis pro utero purgando, & ſomno conciliando. 28

Manna. 69. Non fuit naturale ob ſaporem & alia plura. *ibid.* Totos quadraginta annos pluit manna. *ibid.* Typus fuit Euchariſtiæ. *ibid.* Manna in Arca. 78 81

Mare rubrum. *Vide* Miraculum.

Matrimonium. Matrimonii fœdus, & amor. 30. Quid in nuptiis ſpectandum. 9. Nuptiæ in quibus eſt maxima ætatis diſſimilitudo plerumque reprehenſione dignæ, non tamen legibus reſcinduntur. *ibid.* Soboles eſt ſæpe argumentum Divinæ benedictionis, & Sanctitatis Matrimonii. *ibid.* Matrimonia, Polygamia, Repudium Hebræorum. 89. Abrahami & Ceturæ conjugium laudabile. 9. Felix conjugium Iſaaci, & Rebeccæ. 8. &c. Matrimonium Judæ inconſulto parente Jacobo. 13. Matrimonium inauſpicatum Sichem, & Dinæ. 12. &c.

Mendacium vetitum octavo decalogi præcepto. 86. Mendacium licet officioſum, & recta cum intentione, ſemper illicitum. 31. Amphibologiæ, & mentis reſtrictiones veritati, & ſocietati humanæ pernicioſæ damnantur. 26. non mentitur Jacobus benedictionem præripiens ob Spiritum prophetiæ. 25. Non mentitur Joſeph vocando fratres ſuos exploratores Aegypti. 15

Menſa panum propoſitionis. 76. 78

Menſis primus Hebræorum. 39

Meretrices. Meretricum fallaciæ. 120 Pœnæ. 74. *Vide* Scortatio.

Meſſias. *Vide* Chriſtus, Incarnatio, Prophetia.

Miraculum. Vera Miracula a falſis diſtinguenda. 18. Miraculorum Moyſis veritas. 55 Mutat Moyſes baculum in ſerpentem. 18. Plagæ decem Aegypti. *ibid.* Columna, quæ Hebræis præibat. 19. Tranſitus maris rubri. *ibid.* & 37. Alexander Magnus nihil ſimile præſtitit. 38. Non debet tribui refluxui maris, quem obſervaverit Moyſes rerum naturalium peritus. *ibid.* Aqua amara dulcis efficitur injecta arbore. 69. Coturnices, & manna. *ibid.* Aqua fluit e rupe Moyſis virga tacta. 70. Aaronis virga floret, editque amygdalas. 73. Serpens æneus morbos depellit. 111. Sol obtemperat imperio Joſue. 113. Jordanis tranſitus. 114. E dente erumpit aqua, orante Samſone. 120. Miracula Arcæ captæ. 121. Miracula in Templi dedicatione. 127. Miracula Sacrarum Reliquiarum. 82

Mitra byſſina. 108.

Monarchia Hebræorum. 67

Multiplicatio & ingens numerus Hebræorum in Aegypto. 34. 35.

Murmuratio Hebræorum. 69

N

NOminis Divini Sanctitas. 82

Nuptiæ. *Vide* Matrimonium.

O

OBduratio impii miracula videntis. 18. Pœnæ ejuſdem. *ibid.*

Obſtetrices Aegyptiacæ ob miſericordiam laudantur, non ob mendacium. 35

Opiniones quædam vel impiorum & Infidelium, vel etiam Catholicorum auctorum, quæ in hoc tomo refelluntur. Aben Eſra cum Toſtato, & quibuſdam Hebræis putat Iſraelitas non tranſiſſe ab uno littore maris rubri ad aliud oppoſitum, ſed rupem quamdam circuiviſſe ſecus mare, refelluntur. 38 Anabaptiſtæ aliique hæretici, Pſalterium expungunt ex albo librorum Canonicorum. 125. Carteſiani exiſtimant bruta animantia eſſe mera automata. 26. Eraſmus, & Queſnellus male ſentiunt de lege veteri. 58. Hebræi nonnulli cenſent, Saram timore correptam in immolatione filii ſui Iſaac obiiſſe. 8. &c. Hebræi quidam arbitrantur eamdem fuiſſe Ceturam, atque Agar. 9. Iconoclaſtæ, & Novatores negant cultum Sacrarum Imaginum, & Reliquiarum. 82. Joſephus Hebræus dubitat de miraculo in tranſitu maris rubri. 37. &c. Julianus Apoſtata Imperator negat Oraculum Moyſis capit. 56. Deuteronomii pertinere ad Chriſtum. 49. 50. Manichæi, aliique hæretici quædam ciborum genera execrantur. 103. 104. Marshamus Anglus arbitratur, Serpentem æneum a Moyſe erectum fuiſſe velut quoddam amuletum, & taliſmanum, inſtar Aegyptiacarum præſtigiarum. 110 Exiſtimat cum Spencero Templum Salomonis extructum fuiſſe, quia Hebræi ſeſe accommodare ſtudebant mori-

moribus gentium & ævi . 127. Putat Ægyptios ante Moyſem fuiſſe artium & diſciplinarum inventores . 18. Contendit Manethonem hiſtoricum voluiſſe per *Hycſos* , ſeu *paſtores* ex Ægypto ejectos, indicare Arabes, non Iſraelitas . 21. Nititur evertere antiquitatem Veteris Teſtamenti ; negat Deum eſſe auctorem Cæremoniarum Moſaicarum, & Prophetiam Danielis lxx. hebdomadum ad Chriſtum pertinere . *ibid.* Docet ante legem Moſaicam Hebræis innuptis licuiſſe corporis copiam pro libitu facere . 30. Exiſtimat , Hebræos mutuatos fuiſſe ab Ægyptiis jus leviratus . 32. Montaniſtæ hæretici jejunia & quadrageſimas multiplicabant . 103. 104. Pelagius ſentit veteres Patres non fuiſſe juſtificatos ex fide Mediatoris . 58. Pezronus Ciſtercienſis Judicum Chronologiam turbat, & annos adjicit plures . 115. &c. Tribuit quartæ Mundi ætati , ab exitu ex Ægypto ad Templi ædificationem , annos 873. 186. Samoſatenus-Paulus male ſentit de libro pſalmorum . 125. Simonius Richardus Pentateuchi ſcriptorem fuiſſe Moyſem pernegat . 50. Spencerus putat Tabernaculum Hebræorum ex prophana Gentium religione originem duxiſſe . 76. Arcam repetit a ciſtis Ethnicorum , & Cherubim a ſimulacris Ægyptiorum . 79. Scribit Sacrificia animalium apud Hebræos fluxiſſe ex prava Gentium opinione , eaque emundata, a Deo tolerata fuiſſe. 87. Exiſtimat *Urim* in Rationali nihil aliud fuiſſe quam parvum ſimulacrum ſimile Ethnicorum Teraphim . 108. Tacitus ſcribit Hebræos ob ſcabiem ex Ægypto pulſos fuiſſe , eoſque aſini aquam monſtrantis effigiem coluiſſe . 36. Theodorus Mopſueſtenus aliique cenſent Jobi hiſtoriam fabuloſam . 46. Rejicit Pſalmorum librum . 125. Toſtatus aliique Debboram ex albo Judicum expungunt . 117. 118. Opiniones quorundam cenſentium , licitas eſſe reſtrictiones mentales exemplo Jacobi Patriarchæ , & aliorum . 26. Angelos Dei vice apparuiſſe antiquis Patriarchis . 22. Mandragoras conferre fœminis fœcunditatem , & vim habuiſſe philtri amatorii ad devinciendum animum Jacobi . 27. 28. Rachelem fuiſſe Idololatriæ addictam . 28. 29. Moyſem mortuum non eſſe . 75. 76. Moyſem in Chriſti Transfiguratione reſurrexiſſe . 76. Opinio quorundam confundentium in Chronologia Judicum annos ſervitutum Hebræorum cum annis præfecturæ Judicum . 128. 129

Oraculum , ſive Propitiatorium . 76

Oraculum Dæmonum . 29. Oracula Ethnicorum a doctis viris ſugillabantur . 52

Oratio , & ejus vis . 70

Origines rerum quarumdam . Arcæ 79. Cæremoniarum variarum in Lege Moſaica . 98. Feſtorum, Azymorum . 41. Paſchatis . 39. 40. Pentecoſtes . 88. Hebræornm falſa origo ex Tacito . 36. Monarchiæ apud Hebræos . 121. 122. Nominis Judæorum communis omnibus Hebræis . 25. Sacrificiorum . 87. Tabernaculi . 77. Templi . 127

P

Pacifica Sacrificia . 87

Panes propoſitionis . 76. 78 79

Parentes colendi . 84

Paſcha idem ac tranſitus, nempe Angeli . 39. Quomodo paſchalem agnum primo comederint Hebræi , quomodo ſequenti ævo . *ibid.* 40. Tempus celebrandi Paſchatis . 39 Chriſtus ultimum Paſcha celebravit die a lege ſtatuta . *ibid.*

Patientia Jobi heroica . 44. 45

Patriarchæ duodecim filii Jacobi . 11

Peccatum peſſimum fratrum Joſephi quodnam fuerit ex Ruperto , & S. Thoma ? 13

Pentateuchon , ejus Divina auctoritas. 51. 55. Ejus Auctor Moyſes . 51. Cur ab eo genere ſcriptus ? 51. Quando ſcriptus, & quo characterum . 50. Stylus, & doctrina. 55. 56. Ex Moyſis Pentateucho plurima mutuati ſunt Scriptores prophani . 53. Pentateuchi verſio Græca antiquior verſione lxx. Interpretum . 55

Pentecoſte Hebræorum . 88. Chriſtianorum. 71

Phariſæorum ſuperſtitio . 103

Philoſophi plura a Moyſe acceperunt . 53

Philtra amatoria : illis uti non licet . 28

Plagæ Ægypti decem . 18. 19

Pœnæ Veteris Legis pro delictis . 90

Poeſis ſacra . 47

Præcepta Veteris Legis alia erant moralia , ſeu naturalia , alia cæremonialia , alia judicialia . 87. *Vide* Decalogus .

Præſtigiæ . *Vide* Magia .

Primogenitura . Ei annexum erat Sacerdotium Iſaaci ævo . 11

Prophani Scriptores . *Vide* Hiſtorici .

Prophetia . In Pentateucho plurima ſunt oracula Meſſiam promittentia , a pag. 49. uſque ad 50. Prophetia Jacobi Patriarchæ . 22. Impletur tempore Herodis alienigenæ, naſcente Chriſto . 24. Prophetia Balaami . 74

Propitiatorium . 76. Locus S. Thomæ ad illud pertinens reſtituitur. 78. Fuit Chriſti figura. 79

Propitiatorium Sacrificium , ſive pro peccato ob ignorantiam admiſſo , quadruplex . 88

Pſalmorum liber Canonicus. 125. Non omnes pſalmi Davidi adſcribendi ſunt . 124. Maximam partem a Davide eſt concinnatus . *ibid.* Pſalmi quidam editi ſunt poſt captivitatem Babylonicam . *ibid.* Pſalterium non eſt digeſtum ſecundum ordinem temporum . *ibid.*

Q

Quadrageſima , & jejunia . 104

R

Rabbini Judæorum non ſunt Sacerdotes Moſaici . 95

Raptus Dinæ . 12. &c.

Rationale, ſive ſuperhumerale . 107. 108

Redemptio Chriſti ſimilis Ægyptiacæ ; immo excellentior ex R. Bechai . 42

Religio . 81. Vota , Sacrificia , Templa , & Altaria ſoli Deo debentur . 82

Reliquiæ Sanctorum , earumque cultus . *ibid.*

Repu-

Repudii libellus. *96*
Reſpublica Hebræorum. Ejus varium regimen. 24. 40. 41. Adminiſtratio, & jus Judicum. 115. A Patriarcha Jacobo ad Herodem alienigenam habuit ſemper e ſua gente Duces, Reges, Principes. 24.
Reſtrictio mentalis. *Vide* Mendacium.
Rex. Regem petentes Iſraelitæ a Samuele, deterrentur a ſententia. 121. Primus Hebræorum Rex Saul, Deo jubente. 122.
Ritus Veteris Legis. *Vide* Cæremoniæ, Conſecratio Sacerdotum, Feſtum, Sacrificium, Sacramentum &c.

S

Sabbatum. Sabbati Sanctitas. 83. Præceptum Sabbati partim fuit naturale, ac morale, partim cæremoniale. *ibid.* Sabbatum in Sacra Scriptura quandoque idem eſt ac feſtum, & ſolemnitas. 41. 42. Mutatum eſt in diem Dominicam. 81
Sacerdos, & Sacerdotium. Sacerdotium ab univerſali diluvio annexum fuit primogenituræ. 11. Sacerdotium Melchiſedechi diuturnius Levitico. *94*. Sacerdotii Aaronici duratio. *93*. Abolitum eſt, nec Hebræi Sacerdotes habere poſſunt, cum Tribus Levitica non diſtinguatur ab aliis. *94*. Non poteſt eſſe fine Templo Hieroſolymitano. *ibid.* &c. Conditiones Sacerdotum eligendorum in lege veteri. 108. *Vide* Conſecratio. Summi Sacerdotes apud Hebræos, eorumque auctoritas poſt ſolutam captivitatem Babylonicam. 24. 108. *109*
Sacramentum. Sacramentum Veteris Legis. 88. Circumciſio, Conſecratio Sacerdotum, Agni Paſchalis manducatio, Oblatio Victimarum, Eſus panum propoſitionis, carniumque conſecratarum, Purificationes, & Luſtrationes. *89*. Sacramenta antiqua quomodo figuræ eſſent Evangelicorum. *99*
Sacrificium. Vetus Religio Sacrificiorum Deum eſſe oſtendit. *6*. Sacrificium ſoli Deo offertur. 82. Jobi Sacrificia. 44. Sacrificia Veteris Legis erant Chriſti figuræ. 87. *99*. Ea offerre ſolis Sacerdotibus Aaronicis licebat in Templo, poſt latam legem Moyſis. 44. Species Sacrificii tres, Holocauſtum, Pacificum, & pro peccato, ſeu Propitiatorium. 87. Sacrificium pro peccato quadruplex. *ibid.* Sacrificium juge. 88. Quæ animalia munda, & quæ res inanimes in ſacrificiis offerrentur? 87. Ritus Sacrificiorum. *ibid.* Origo Sacrificiorum non eſt arceſſenda ab erroribus Ethnicorum. *ibid.*
Sancta Sanctorum *76*
Sanctuarium. *Vide* Tabernaculum.
Sanguis. *Vide* Suffocatum.
Scientia. Ægyptii non fuerunt primi auctores artium, & diſciplinarum. 18
Scortatio vetita erat ante legem Moyſis. *29*. Pœnæ ejuſdem. 74 *Vide* Meretrices.
Scriptores prophani a Moyſe multa ſunt mutuati. 53. & 54
Scriptura Sacra. Eam, data opera, vitiare Hebræi neque potuerunt. *60* Oracula, a Chriſto Domino & Apoſtolis laudata, etiam num integra ſuperſunt. *ibid.* Vulgatæ editionis auctoritas. *61*. Irrepſerunt in textum Hebraicum menda minoris momenti, quæ nec fidem, nec mores lædunt. *ibid.* Quædam in S. Scriptura ſcripta ſunt oratione vincta numeris. 47. 48. Scriptores librorum Canonicorum. 51. Antilogia, quæ videtur circa ſepulchrum quod emit Abrahamus, nulla eſt. 7. &c. Nulla pariter eſt antilogia inter caput *6*. libri 3. Regum, & librum Judicum circa Chronologiam, neque mendum ullum irrepſit. 128. 130. Sanctus Lucas, deſcribens Acta Apoſtolorum, & enumerans. 75. animas ingreſſas in Aegyptum, ſequitur lxx. Interpretes, neque adverſatur textui Hebraico, ubi leguntur ſeptuaginta animæ. 16. *Vide* Liber, Pentateuchon, Pſalmorum.
Seditio, & ejus pœna. 73. 74
Sepultura. An eam vendere liceat? 7
Serpens æneus a Moyſe erectus. 110. 115. Fuit Chriſti figura. 74. Serpentes igniti in Hebræos ſeditioſos immiſſi. *ibid.*
Servitus, ſeu captivitas, ſive oppreſſio multiplex Hebræorum tempore Judicum. 115. *116*. Aſſyriaca. *ibid.* Moabitica. *ibid.* Chananæa. *ibid.* Madianitica. 117. Ammonitica. 118. Sub Philiſtæis. 119
Sol Joſue voci obtemperat. 113.
Solemnitas. *Vide* Azymorum ſolemnitas, feſtum, Paſcha.
Somnia myſtica Joſephi. 13 Pharaonis. 37. Somniorum hujuſmodi interpretatio. *ibid.*
Suffocatum. A ſanguine & ſuffocato abſtinentiam imperarunt Apoſtoli pro pace ſancienda inter Judæos & Græcos, qui Chriſto nomen dabant. 102
Summus Sacerdos. *Vide* Sacerdos.
Superhumerale. *Vide* Ephod.
Superſtitio vetita primo decalogi præcepto. 81. Ejus variæ ſpecies. *ibid.* Abhorruerunt ab illa Patriarchæ. 16

T

Tabernaculum conſtruitur in deſerto. 73. Tabernaculi, ſeu Sanctuarii ſtructura. 76. Ejus origo non arceſſenda a ſuperſtitione Ægyptiorum, vel aliarum gentium. 76. 77. Diverſitas ejus a templo. 78. Tabernaculum Moloch. 77
Tabulæ legis in Arca. 78
Taliſmanes; imagines natura efformatæ: aniles fabulæ. 111
Templum ſoli Deo dicatur. *79*. Cur conſtruantur Templa? *ibid.* Templi diverſitas a Tabernaculo. 78 Templi Hieroſolymitani fabrica. 127. Quantum Deo placuerit. *ibid.* In ſolo Templo Hieroſolymitano licebat Judæis Sacrificium offerre. *94*. Templum nunquam inſtaurabitur. *ibid.* Sæpius irrito conatu nituntur Judæi illud ædificare. *94*. 101. Et cuncta in Lege Moſaica ſpectabant ad Templum; eo ſublato, intelligimus legem abolitam eſſe. 100
Teſtamenti utriuſque diſcrimen. 59 *60*. 71
Theocratia Hebræorum, ſeu regimen ab uno Deo pendens. *65*.
Theologia veterum Phænicum, Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum, orta eſt a Pentateucho ab Ethnicis vitiato. 54
Tranſitus maris rubri, & Jordanis. *Vide* Miraculum.
Tribus duodecim filiorum Iſrael. 11

Vendi-

V

Venditio. Primogenituram vendens Eſau peccat, non Jacob, qui emit. 21. &c. *Vide* Sepultura.
Verſio Græca Pentateuchi ante lxx. Interpretes. 55
Veſtis. Sacerdotales veſtes. 107. 108
Virga Aaron in Arca. 78. 81. *Vide* Miraculum.
Virginitas. Eam coluerunt aliqui in Veteri Teſtamento, ſed nemo ante Deiparam ejus votum Deo nuncupavit. 107. Virginibus fœminis neceſſarium eſt hominum conſpectum vitare. 12.
Votum ſoli Deo fit. 82. Votum Jephte illicitum. 119

Z

Zelotypiæ aquæ pro ſuſpectis uxoribus. 89
Zelus Moyſis. 72. Zelus Phinees. 75

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.

# INDEX RERUM
## TOMI TERTII.

### A


ABdias, quartus inter Prophetas minores, de Chriſto vaticinatur. Ejus patria, Geſta, & Vaticinia. 13
Abias, Roboami filius, & Succeſſor. Ejus Geſta, & Regni duratio. 8
Acataleptici, Socratis diſcipuli, eorum dogmata. *96*
Acab Rex Iſraelis impius, regnat. Ejus Geſta 21
Achaz Joathamo patri ſuccedit. Ejus Geſta. 14
Aera Nabonaſſari quando incipit? 23. Seleucidarum æræ initium. 93. 121
Aera vulgaris a Dionyſio exiguo inventa. 132
Aeræ Lagidarum initium. 88
Aeræ Pompejanæ exordium. 95
Aeſchylus, Poeta Tragicus. 147
Aeſchines, orator. *96*
Aethyopes, Zara Duce, in Judæam irrumpunt, & ab Aſa delentur. *9*
Aggæus, Propheta minor. Ejus Geſta, & Vaticinia a pag. 104 uſque ad pag. *ibid.*
Ahias, Propheta, regnum Jeroboamo prædicit. 18
Alexander Magnus Darium Codomanum ter vincit. 38. Ejuſdem res geſtæ. 38. 144
Alexander Janæus regnat. 129. 146
Alexander Bala Syriæ regnum invadit. 127
Alexander Zabina, Rex Syriæ. 127
Alexandra Judææ Regina. 146
Amaſias Rex Judæ ſuccedit Joaſo Patri. 12
Amos Manaſſe Patri pœnitenti ſuccedit. 16
Amos inter Prophetas minores Tertius. Ejus Geſta, & Vaticinia. *61*
Amri, poſt conflagratum Zamri, regnat. 19
Anacreon Poeta Lyricus. *96*
Ananus, Propheta, Aſam reprehendit & in vincula conjicitur. *9*
Anni regni Salomonis. 7
Jo: Annius viterbienſis errat circa librum de temporibus Philoni aſcriptum. 11
Annulus Salomonis opus magicum. 7
Antigonus, Aſiæ Rex, a Seleuco vincitur. 94
Antigonus Gonatas regnat in Macedonia. 87
Antigonus II. regnat. *ibid.*
Antigonus, Judæus, capite plectitur. 81
Antigonus alter regnat. 147
Antiochus I. Soter regnat poſt patrem. 94
Antiochus II. Patri ſuccedit. *ibid.*
Antiochus III. Magnus. 145
Antiochus IV. Epiphanes. 73. 145
Antiochus Eupator. *ibid.*
Antiochus Sidetes. 127.
Antiochus Grypus. *ibid.*
Antiochus Cizicenus. *ibid.* Euſebes. *ibid.*
Antipater, & Alexander Caſſandri filii regnant. 87
Antipater II. regnat dies xlv. *ibid.*
Antipater Aſcalonites. 129
Apries, Ægypti Rex, admittit profugas Judæos. 22
Arabes invadunt Judæam, omnes, excepto uno, Jorami filios trucidant. 10
Aratus Poeta. *97*
Arbaces Medos in libertatem vindicat. 23.
Arceſilaus, Mediæ Academiæ princeps. *96*
Aridæus frater Alexandri regnat in Macedonia. 87
Ariſteæ Epiſtola ad Philocratem de verſione Septuaginta. *90*
Ariſtoteles, Peripateticorum Princeps. *96*
Ariſtobulus regium diadema ſumit. 128
Ariſtobulus II. 129. 146
Arphaxad nomen commune Regibus Mediæ. 23. 45
Arſes Patri Artaxerſi Ocho ſuccedit. 83. 84. 144
Arſinoe uxor Lyſimachi regnum occupat. 87
Artaxerxes Longimanus quando regnat. 82. 84. 143
Artaxerxes Mnemon patri Dario Notho ſuccedit. 83. 84. 144
Artaxerxes Ochus ſuſcipit Imperium Perſicum. 83. 144
Aſa, Abiæ filius, Rex Judæ. 8
Aſiongaber, Judææ portus. 10
Aſſaradinus, Babyloniorum & Aſſyriorum Rex; Manaſſem debellat, & capit. 15. 23
Aſſuerus quis maritus Eſtheris? 116
Athalia, uxor, Jorami, filia Achabi. 10
Ejus crudelitas, & impietas. 12
Athenienſis Reſpublica 24
Atrium Templi quotuplex? 5
Auctores librorum Regum, & Paralipomenon quinam? 32
Auguſti Octaviani Imperii Epocha duplex. 136
Azarias, Propheta. *9*
Azarias, qui & Ozias, ſuccedit patri Amaſiæ; 12


### B


BAal, Idolum a Judæis cultum. 10
Baaſa, Rex Iſrael, Ramam occupat. *9*. Interfecit Nadab. 19
Babylonium, & Aſſyriacum Regna conjuncta ab Aſſaradino. 23
Bagoas, Eunuchus dives, Perſarum Reges occidit. 83. 84
Mich. Baii propoſitio damnata. 42
Balſami planta a Regina Sabæ in Palæſtinam allata. *6*
Balthaſſar cum Nirigliſſare, Patre ſuo, regnat. 37. 77. 142.
Baronii circa mortem Herodis ſententia confutatur. 136
Baruch, Propheta. 56. Ejus de Chriſto vaticinia. 57. deſcendit in Ægyptum. 17
Baſemath, filia Salomonis. 7
Beelzebub, Accaronitarum Deus. 17
Beli a Daniele everſi hiſtoria. 100
Benadadus, Syriæ Rex. 9
Booz, Columna veſtibuli Templi. *6*
Bubatiſtarum in Ægypto Dinaſtia. 8


Ca

C

CAbala apud Hebræos quid, & quotuplex ſit? & an Eſdram auctorem habeat? 111. 113.
Callimachus poeta. *97.*
Calliſthenes Olynthius. *96. 97.*
Cambyſes, Cyri filius, & ſucceſſor. 81. 84. 143.
Canon librorum ſacrorum apud Hebræos duplex. 42.
Canticum Canticorum explicatur, & defenditur. 33.
Melch. Canus de fine captivitatis Babylonicæ explicatur. 38. *79.*
Captivitatis Babylonicæ Calculus. 80. Ejuſdem initium. *16.* 17. 18. 35. *36. 79.* Canon ejuſdem Chronologicus. 37. Captivitas Aſſyriaca differt a Babylonica. Ejus initium. 35.
Caraitarum apud Judæos Secta. 138.
Caranus, Conditor Regni Macedonici. 88.
Carneades, novus Academicus. *96.*
Carthago quando condita? 22.
Carteſius Philoſophiæ mechanicæ Sectator. *96.*
Caſſander quando regnare cœpit? 87.
Chinaladanus, Rex Aſſyriorum. 23.
Chryſippus, Stoicus. *96.*
Cicero, Academicus. *ibid.* Orator. 140.
Cimon, Athenienſis, terra marique Perſas vincit. 82.
Clavicula Salomonis, opus magicum. 7.
Cleanthes, Zenonis ſucceſſor. *96.*
Cleopatra, Soror Ptolomæi, dicti Dionyſii, regnat in Ægypto. 89.
Confucius, Sinenſis philoſophus. 95.
Conſulatus quando Romæ introductus. 25.
Cyrus, Rex, Darium Medum vincit. 78. Duplex Epocha regni ejus. *36.* 80. Libertatem Judæis impertit. *36. 79.* 84. A Tomyre, Regina Maſſagetarum, occiſus. 80. 142.

D

DAmaſcus, Civitas Syriæ metropolis. 14.
Danielis Geſta ſub Nabuchodonoſore. 77. Sub Balthaſare. 78. Sub Dario Medo. 81. *97.*
Darius Medus, dictus Nabonidus, & Labynitus, regnat, & a Cyro vincitur. 37. *79.* 143. Darius Hyſtaſpis filius regnat in Babylonia. 38. 81. 143.
Darius Nothus regnat. 143.
Darius Codomanus ab Alexandro devictus. 39. 83. 84. 144.
Dejoces, Medorum Rex primus. *46.*
Demetrius, Phalereus, Bibliothecam Alexandriæ inſtituit. 88.
Demetrius Poliorcetes regnat. 87. Demetrius Soter regnum Syriæ occupat. 95. Demetrius II. Nicanor regnat in Syria. *ibid.* Demetrius filius Antigoni Gonatæ patri ſuccedit. 88. Filius Antiochi Grippi. 127.
Democritus, Epicuri præceptor. *96.*
Demoſthenes, Orator Athenienſis. *ibid.*
Deutero-canonici Judæorum libri quinam? 44.
Diogenes, Cynicus Philoſophus. *96.*
Dionyſius, Halicarnaſſenſis hiſtoricus. *ibid.*
Dionyſius Exiguus auctor æræ vulgaris. 132.

E

ECcleſiæ Catholicæ eſt Canonem librorum Sacrorum condere. 31. 32.
Eccleſiaſtis liber contra Impios & Atheos defenditur & explicatur. *29.* 30.
Eccleſiaſticus a quo compoſitus? 31.
Ela, filius Baaſæ, ſuccedit Patri. *19.*
Eleazarus lxx. viros ad Ptolomæum Philadelphum mittit. 130.
Eleazari Senis martyrium. 180.
Elias, propheta, Acabo excidium prænunciat. 15. Ejus tempus, miracula & res geſtæ, an vivat etiamnum? *66. 67.*
Eliakim, qui Joakim & Jechonias, poſt abductum fratrem, regnat in Judæa. *16.*
Eliakim, ſeu Joakim, Summus Sacerdos aſſeritur. *46.*
Eliezer Joſaphato exprobrat fœdus, cum Ochozia. 10.
Eliſæus, Propheta. *19.* Ejus res geſtæ, miracula, & vaticinia. 68.
Epicurus, Philoſophiæ mechanicæ cultor. *94.*
Epitome librorum Regum & Paralipomenon. 33. & ſeqq.
Epocha annorum Regum Syriæ quando incipit? *66.*
Eſdras auctor aut ſaltem compilator librorum Sacrorum hiſtoricorum. 32. Quis ille fuerit. 106.
Eſſenorum Secta. 138.
Eſtheris hiſtoria deſcribitur. 112.
Evilmerodacus, Rex Aſſyrius. 37. Jechoniam libertate donat. 77. 142.
Eupolemi error circa Salomonis ad Tyri Regem Epiſtolam. 21.
Euripides, poeta Tragicus. *96.*
Expenſæ in ſtructura Templi. 5.
Ezechia, piiſſimus, Patri Achazo impiiſſimo ſuccedit. 14.
Ezechielis Prophetæ res geſtæ, & de Chriſto vaticinia. 57.

F

FOrma Templi Salomonici quotuplex? 14.

G

GAlilæorum apud Judæos Secta. 138.
Garizin mons ubi Templum a Samaritanis extruitur. 86.
Gaſſendus, philoſophiæ mechanicæ ſectator. *96.*
Græci Perſas in campis Marathonis debellant. 82.
Hugo Grotius in Hiſtoriam Judithæ vapulat. 44.

H

HAbacuch, Prophetarum minorum ſeptimus. Ejus patria, tribus, & vaticinia. *63.*
Hananus, Pater Jehu Prophetæ. 10.
Harduinus arguitur. 131.
Hazael, Syriæ rex, irrumpit in Judæam. 12.
Hebdomades lxx. Danielis quando incipiunt? 105.
Hecbatanis Civitas a Dejoce condita. 23.
Helcias in Templo librum legis invenit. *16.*
Hemerobaptiſtarum Secta. 139.
Herodis regni in Judæa anno trigeſimo ſexto naſcitur Chriſtus. 75.
Herodis Regni duplex Epocha. 130. Ejuſdem hiſtoria. 130. 147.
Herodianorum Secta. 137.
Heſiodus quando vixit? 24.
Hieremias, Propheta, ſecedit in Ægyptum poſt mortem Godoliæ. 17. Ejus hiſtoria. 56. Ejus de Chriſto vaticinia. 56. 57.
Hiramus, Tyriorum Rex. 21.
Holofernes, Dux Exercitus Babylonici. 47.
Homerus quando floruit? 24.
Q. Horatius Poeta Lyricus. 140.
Hyrcani res geſtæ. 128. 146.
Hyrcanus Pont. 129.

I


JAchim columna veſtibuli Templi. 5
Jaddus, Summus Pontifex, Alexandro occurrit, & benigne excipitur. 86
Jadon Propheta Jeroboamum litantem Diis corripit. 25
Idumæa deficit a Joramo. 10 Idumæi ab Amaſia debellati. 13
Jehu, Propheta, Joſaphatum arguit. 10
Jehu, deſtructor familiæ Achabi. 11. 19. Jehu propheta a Baaſa occiditur. 19
Jeroboamus, filius Nabati, Rex ab Iſraelitis eligitur. 8. 18. 19. Jeroboamus II. Rex Iſraelis, patri Joas ſucceſſor datus. 20
Jeſus Chriſtus quando naſcitur? 75. 132. 147
Jezabel, filia Ethbaal, uxor Achabi. 19
Interregnum Iſraeliticum XI. annis durat. *ibid.*
Joachaz, filius Jehu, Patri ſuccedit. 20
Joachaz, qui & Ochozias, filius Jorami. 10
Joachazus poſt Joſiam Rex captivus in Aegyptum abducitur. 16
Joakim filius Eliakim, ſucceſſor Patris poſt tres menſes captivus abductus eſt. 16. 142. Joakim, qui & Jechonias, & Eliakim, fratri ſucceſſor datus. 18
Joan. Harduinus arguitur. 131
Joan. Hyrcani res geſtæ. 128. 146
Joas, filius Joachaz, regnum Iſraelis hæreditat a Patre. 20. Joas, filius Ochoziæ, a Joſaba, Amita, ſalvatur. 11. Succedit Patri ſeptennis, 12. Joaſus Iſraelis Rex, Amaſiam captum ducit Hieroſolymam. 13
Joathas Patri Oziæ ſuccedit. 14
Joel inter Prophetas minores ſecundus. Ejus vaticinia. 60
Jojadas, Pontifex, cum uxore Joſaba in templo Joaſum abſcondit, & reſtituit ſolio. 14
Jonas, inter Prophetas minores quintus, vaticinatur de Chriſto. 62
Jonathas Machabæus Rex Judæorum. 126. 146
Joramus, Rex Iſraelis, cum Ochozia infauſte Hazaelem aggreditur. 10. Joramus, Achabi filius, Ochoziæ fratri ſuccedit. 19. Jorami nuptiæ cum Athalia. 10. Patri mortuo ſuccedit. *ibid.* Fratres ſex occidit. *ibid.* Idololatriam in Regnum invexit. *ibid.*
Joſaphatus Aſæ Patri ſuccedit. 9
Joſephus, Hebræus, Jobi, & Tobiæ hiſtorias quare prætermiſit? 42. Ejus error in annis Regni Salomonis. 7. Ejus calculum circa initium Regni, & obitum Herodis Regis accuratiſſimum eſſe probatur contra Cardin. Baronium. 136. & ſeq.
Joſias, piiſſimus, impœnitenti Amoni Patri ſuccedit. 16
Iſaias, Propheta, mortem ſanitatem, & captivitatem Babylonicam Ezechiæ denunciat. 15. Ejuſdem res geſtæ. 53 De Chriſto vaticinia. 54. a Manaſſe ſerra per medium diſſectus. 15
Iſmael, Ammonita, Gedoliam obtruncat. 17
Iſocrates, orator. 96
Iſraelis Regnum a Jeroboamo conſtituitur. 18. Tabula Chronologica Regum Iſraelis, *ibid.*
Judæ Regnum. 7
Judæ Regum a Davide uſque ad Sedekiam Tabula Chronologica. 17
Judæ Machabæi facinora, & mors. 126. 145
Judæorum opiniones falſæ de Meſſia. 64. 65
Judices per urbes Judæ a Joſaphato conſtituti. 9
Judithæ Hiſtoria contra Grotium, Lutherum, & alios propugnatur. 44
Julius Cæſar mittitur in Ægyptum. 90. Ejus Commentaria. 140


L


LAboroſardochus, qui & Balthaſſar. 78
Labynitus, qui & Darius Medus. *ibid.*
Lactantii de Regum imitatione ſententia. 21
Lacydes, tertiæ Academiæ auctor. 96
Latini Scriptores circa tempora Auguſti. 139
Leotychidas, Lacædemonius, Perſas ad Mycalem debellat. 82
Lepra corripitur Rex Ozias ob impietatem. 14
Lycurgus dat Reip. Lacedæmoniorum leges. 22
Lyſimachus regnat in Macedonia. 87


M


MAcedonicum Regnum fundatur. 24
Machabæorum hiſtoria. 121. & ſeq. Ejus auctoritas, ſolutio argumentorum.
Magica Salomonis opera falſa. 7
Malachias, Propheta inter minores duodecimus. Ejus Geſta, & Vaticinia. 105
Manahemus Regnum Iſraeliticum invadit. 20. 21
Manaſſes, Ezechiæ filius, impius, ſanctiſſimo Patri ſuccedit. 15
Manaſſes, Jaddi frater, templum in monte Garizin extruit. 86
Manethos, Sebennyta, hiſtoricus. 97.
Mardochæi hiſtoria. 113
Mardokempadus, qui & Merodach Baladan, Rex Babyloniorum. 23. 24
Mardonius, Perſarum Dux, a Græcis vincitur. 82
Marathonia Græcorum victoria a Perſi relata. 81
Maſora apud Hebræos quid ſit? 111
Maſſagetarum natio. 80
Maſſiliæ fundatio. 24
Mathan, Baalis Sacerdos, a Joaſo Rege occiſus. 12
Mathanias. *Vide* Sedecias.
Mathathias, Sacerdos, Machabæorum pater, & Dux. 125
Medici tanquam Dei miniſtri obſervandi. 6
Meleager regnat in Macedonia. 87
Mendacium Jehu a SS. Patribus improbatum. 19
Menander, novæ Comœdiæ Poeta. 96
Menelaus, Judæorum Pſeudopontifex. 125
Mercatura Iſraelitarum ante Salomonem. 6
Merodach Baladan, Rex Babylonius. 15
Micheas, Propheta, perniciem Achabo prædicit. 19. Micheas, Prophetarum minorum ſextus, vaticinatur de Chriſto. Diverſus eſt ab alio Michæa filio Jemlæ. 62
Molochus, Idolum Judæorum. 35
Moria mons. 5
Mulieres Salomonis ad mille acceſſerunt. 7


N


NAaman, Syrus, ab Eliſæo mundatus lepra. 70
Naamanem ab Eliſæo Propheta petiiſſe licentiam ſimulandi cultum externum Idolo exhibitum, oppido falſum eſt. 71
Nabonaſſarus Rex Chaldæorum creatur. 23
Nabonidus, qui & Darius Medus. 78
Nabopolaſſar, ſeu Nabuchodonoſor. 1. 23. 37
Nabothus, vinea & vita a Jezabel exutus. 19
Nabuchodonoſor, rex, in Judæam irrumpit. 16. 40. 77. 142. Nabuchodonoſor. Patri ſuccedit. 9. 23
Nabuzardan urbem Hieroſolymam incendit. 16


Na-

Nadab Jeroboamo ſuccedit filius. 19
Nahum, Prophetarum minorum ſeptimus. 63.
Naneæ Templum in Perſide fruſtra aggreditur Antiochus Epiphanes. 126
Natale verum & proprium Chriſti diſtingui debet a Natali Chriſti, quod dicitur vulgare & Dionyſianum. 132
Nechao, Ægypti Rex. 16. 22.
Nehemias Hieroſolymam urbem ædificat. 84. & ſeq.
Nehemias qualis fuerit? *ibid.*
Nerigliſſar regnat cum filio Balthaſſare. 80.

O

OChozias, Iſraelis rex, fœdus pepigit cum Joſaphato. 10. 19. Ochozias, qui & Joachaz, Jorami regis Judæ filius, Patri ſuccedit. 11.
Ochus, ſeu Darius Nothus, Imperio Perſico potitur. 83. 84.
Octavius Auguſtus Cleopatram & M. Antonium ad mortem adigit. 89.
Oded, Propheta, in Samaria. 41.
Olympias prima quando inſtituta? 24.
Ophir, regionis ſitus. 7.
Oſee, filius Elæ, parricidio regnum Iſraelis invadit. Regum Iſraelis ultimus. 20.
Oſee, inter Prophetas minores primus, ejus vaticinia. 59.
Ovidius Naſo, Poeta. 140.
Ozias, qui & Azarias, Rex Judæ, filius & ſucceſſor Azariæ. 13.

P

PŒnitentia Salomonis an certa? 7.
Paſcha celebratur a Rege Ezechia. 15.
Perſeus ultimus Rex Macedoniæ a Romanis victus. 88.
Pezroni error in annis Regni Salomonis. 7.
Phacee in Regem Iſraelis inauguratio. 20. Judæam invadit. 14.
Phaceja, filius Manahemi, mortuo Patri in Regnum ſufficitur. 20.
Phariſæorum ſectæ & errores. 137.
Philippus, frater Caſſandri, Rex in Macedonia. 56.
Philippus, filius Demetrii, Rex Macedoniæ. 88.
Philo, Judæus, non eſt auctor libri de temporibus, ipſi ab Annio Viterbienſi affícti. 11.
Phurim, dies feſtus Judæorum. 114.
Pindarus, poeta lyricus. 96.
Plato, Philoſophus. *ibid.*
Pompejus regnum Syriæ in provinciam redigit. 95. 102.
Prophetæ nomen quid ſignificet? 50. Notæ veri Prophetæ. *ibid.* Quomodo ſolet Deus inſpirare Prophetas? 51. Quorum vaticiniis fidem habere tenemur contra Grotium. 52. Sexdecim ſunt Prophetæ. 53. Quomodo factis Vaticinati ſunt. 71. 72.
Prophetarum oracula ad Chriſtum Dominum recta collimant. 52.
Prophetia apud Hebræos duplex. 43.
Protagoras, Philoſophus & orator. 96. Sex. Aur. Propertius, Poeta. 140.
Protocanonici Judæorum libri, quinam? 43.
Proverbiorum liber an ſit totus Salomonis? 28.
Ptolomæus, Lagi filius, regnat. 77. Ægyptum occupat. 88. 89. A quonam incipit æra Lagidarum. *ibid.* Ptolomæorum Regum Series. 89. & ſeqq. Ptolomæus Laturus, Ægypti Rex. 127.
Puncta vocalia in libris Hebræorum an ab Eſdra inventa. 109.
Pyrrhonici a Pyrrhone Accademico dicti. 96.
Pyrrhus regnat in Macedonia. 87.
Pythagoras, Sectæ Italicæ dogmaticæ Princeps. 96.

Q

QUeſnelli error damnatus. 42.

R

RAbbaniſtarum apud Judæos Secta. 138.
Rabbini, Judæorum doctores. 119.
Raphael Archangelus a mendacio excuſatur. 42.
Razias mortem ſibi conſcivit. 124.
Razinus, Rex Syriæ, contra Achaz. 14.
Regnum quid differt a Sacerdotio ex Chryſoſtomo? *ibid.*
Regum, qui Alexandro Magno in Regno Ægypti ſucceſſerunt, Series. 89.
Regum duodecim priorum, qui Alexandro M. in Regno Syriæ ſucceſſerunt, ſeries. 94.
Regum Syriæ Geſta uſque ad Pompejum, qui illud Regnum in Provinciam redactum Romano ſubjecit Imperio. 125.
Revelatio duplex mediata, & immediata. 51.
Roboamus, Salomonis filius, quot annis regnavit? 7.
Romæ fundatio deſcribitur. 18.
Romanorum Regum Series. 25.
Romulus, Romæ fundator. 24.

S

SAba Regina venit Hieroſolymam. 6. fabula de ejuſdem cum Salomone concubitu, & de prole ab ipſo ſuſcepta, refellitur. 6.
Sadducæorum Secta, & errores. 138.
Salaminia navalis pugna. 82.
Criſp. Salluſtius, hiſtoricus. 140.
Salmanaſar Regnum Iſraeliticum e medio tollit. 21.
Salomon an peccaverit occidendo Adoniam, Joabum, & Abiatarem exauctorando? 27. Quot libri ab eo ſcripti ſunt Canonici? *ibid.* Uxorius Idola veneratur. 7. Quot mulieres habuerit? *ibid.* Quot annis regnavit? *ibid.* An ſit ſalvus? 26. Ejus Stirps non defecit in Ochozia. 11. & ſeqq.
Salomon ſocietatem inivit cum Hiramo Rege Tyriorum, & naves ad mercaturam cum aliis nationibus exercendam conſtruxit. 6.
Salomonis in ſtructura Templi Hieroſolymitani, & Regiæ ſuæ domus magnificentia. 5.
Salomona cum ſeptem filiis Machabæis martyrium ſubit. 125.
Samariæ Civitatis origo. 19.
Samaritanorum apud Judæos Secta. 138.
Sancta Sanctorum, pars templi. 5.
Saoſduchinus, Aſſyriæ Rex, Manaſſem libertate donat. 56. 16. 46.
Sapientiæ liber a quo ſcriptus? 31.
Sardanapalus occiſus. 23.
Scribæ apud Judæos quinam erant? 139.
Scribæ apud Judæos alii erant politici, alii Sacri, & Eccleſiaſtici. *ibid.*

Seba-

Sebaſtæ urbs quæ & Samaria. 119.
Sedekias, qui & Mathanias, ultimus Judææ Rex. 16.
Sectæ apud Judæos Phariſæorum, Sadducæorum, Herodianorum, Eſſenorum, Hemerobaptiſtarum, Samaritanorum, Galilæorum, Caraitarum, Rabbaniſtarum. a pag. 137. uſque ad pag. 139.
Seleucidarum æra. 12. 13.
Seleucidarum Æram ſectabantur Judæi, Syro-Macedones, Edeſſeni, Apameenſes, Damaſceni, Tripolitæ, Antiocheni, Seleucienſes, Laodiceni, Gazenſes, &c. 93. 94.
Seleucus, Nicanor, regnum Syriæ conſtituit. 93. 94. 144. Seleucus Callinicus 94 145. Seleucus Ceraunus. *ibid.* Seleucus IV Philopator. 95. 145
Sellumus Regnum Iſraeliticum occupat. 21.
Semejas Propheta, Roboami expeditionem in rebelles coercet. 8.
Sennacherib obſidet Hieroſolymam, fugit inde deleto ab Angelo exercitu. 16. 23.
Serpens æneus ab Ezechia confractus. 15.
Seſacus, Rex Ægypti, vaſtat Judæam. 8. Quis iſte Seſacus? 8. 21.
Seſoſtris idem ac Seſacus, Seſooſis, Seſonchis, Seſachis. 8.
Severus Sulpitius correctus in annis Roboami. 7. Idem de annis Evilmerodachi. 77. Ejus error de annis Balthaſſaris. *ibid.*
Simon Machabæus, Dux populi Judaici. 127. 146
Simonides Ceus, Poeta Lyricus. 96.
Rich. Simonii Critica de hiſtoria Pentateuchi exploſa. 33.
Smerdis Magus Cambyſi ſuccedit. 143.
Socrates, Scepticorum princeps. 96.
Sogdianus, ſeu Secundianus Xerxem II. occidit, & regnat. 83. 84.
Solon, legislator, quando floruit? 23.
Sophocles, Poeta tragicus. 96.
Sophola, quæ & Ophir? 6.
Sophonias, Prophetarum minorum nonus. 64.
Soſthenes regnat in Macedonia. 83.
Stoici, auctore Zenone, coaleſcunt. 96.
Suſanna a Daniele puero liberatur. 77. 97.
Synagoga magna Hebræorum quid ſit? 118. 119.

T

Tabula Chronologica Regum Judæ a Davide ad Sedekiam. 17. Tabula Regum Iſrael. 18. a captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti. 142.
Tabula Chronologica, exhibens ſeriem, initium, & finem Monarchiæ Perſicæ. 84.
Tabula Chronologica ſucceſſorum Alexandri Magni in Regno Macedoniæ, uſque ad Perſeum. 86.
Taphet, filia Salomonis. 7.
Teglathphalaſar, Aſſyriæ Rex, Achazo fert ſuppetias. 14. 23.
Templum Salomonicum quo anno cœptum? 5. Ejuſdem Templi deſcriptio. *ibid.* forma quotuplex? *ibid.* Templi, & Civitatis Hieruſalem Hiſtoria quando incipit, & deſinit? 38. & ſeqq. 79.
Thales Mileſius Sectæ Jonicæ Dux. 94.
Tharſis regionis ſitus. 5.
Thebnes æmulus Amri in Regno Iſraelitico. 19. 20
Theocratia, Dei regimen, 6.
Theocritus, eclogarum ſcriptor. 97.
Thermopylarum pugna. 82.
Terſa, Civitas Metropolis Regni Iſraelitici ante Samariam. 18. 19.
Thucydides, Hiſtoricus Græcus. 82.
Tobiæ Hiſtoria. 40. & ſequentibus Canonicam eam agnoſcit Conc. Trid. 42. circa eamdem Hæreticorum objectiones 43.
Tomyris, Regina Maſſagetarum, Cyrum obtruncat. 81.
Tyranni imago in Manaſſe Rege. 15.
Tyriorum hiſtoria. 21. Tyrii Mercatores. 6.

V

Varroniana Epocha cæteris præferenda. 24. M. Terent. Varro Vir doctiſſimus. 140.
Verſio Sacræ Scripturæ quomodo a lxx. viris facta? 90. & ſeqq.
Virgilius Maro, poeta. 140.

X

Xerxes Patri Dario ſuccedit. 82. 84. 143.
Xerxes 9. Artaxerxis longimani ſucceſſor a Sogdiano occiditur. 83. 84. 143.

Z

Zacharias Propheta, Jojadæ filius, a Joaſo occiſus. 12.
Zacharias Propheta apud Regem Oziam. 13.
Zacharias filius Jeroboami II. ſuccedit Patri. 20
Zacharias, Propheta minor. 104.
Zamri, occiſo Rege Ela, regnat. 19.
Zara, Ethiopum rex, ab Aſa deletus. 8.
Zeno, Stoicorum auctor. 96.
Zoilus, dictus canis, hiſtoricus. 97.
Duplex Zorobabel. 112.

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIALE

[illegible] 170.
[illegible] utrinque [illegible]
[illegible] Pontificatus, [illegible] a pag. 137. usque ad pag. 159.
Seleucidarum æra. 91. 11.
Seleucidarum [illegible] Tripolis, Antiochiæ, [illegible] Gazæ, &c. 91. [illegible]
Selinus, [illegible]
Sellum [illegible]
[illegible]
Thesaurus [illegible]
Theodotus [illegible]
Theopompus [illegible]
Theodotion [illegible]
Thermopylarum pugna. [illegible]
[illegible] Civitas Metropolis Regni [illegible]
[illegible]
Tomyris Regina Massagetarum, [illegible]
[illegible]
Tyrus [illegible] Tyrii Mercatores. [illegible]

V.

[illegible]

X.

Xerxes [illegible]

Z.

Z [illegible]

Signt.ª Top.ª
Est. 99
Tab. 1
Núm. 9

GRAVES
Histor
Ecclesiast
1.

2707
4062